



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

1.
SUPREMO. NUMINE
ET. MAGNIF. FACTORUM. ORDINE
ANNUENTIBUS
SUB. PRÆSIDIO

DN. SAMUELIS STRYKII

J. U. D. COM. PALAT. CÆSAR. ET
ANTECESSORIS. CLARISSIMI
DOMINI. DOCTORIS. ET. PATRONI. MEI
OBSERVANTISSIME. SUSPICIUNDI
DISPUTATIONEM

DE
CONSCIENTIÆ
FORO

INAUGURALIS. LOCO
VENTILANDAM
IN. ILLUSTR. AD. VIADRUM
ACADEMIA

AD DIEM. XXV. JUNII. M. DC. LXXIII.
HORIS. ANTE. ET. POMERIDIANIS
MODESTE. PROPONO

CHRISTIAN EHRENZED
CHARISIUS, FRANCOF. MARCH.

Cum privilegiis.

Denuò edita. M DC LXXXIII.

FRANCOFURTI AD VIADRUM
Sumptibus JEREMIAE Schrey/ & HENR. JOH. Meyer.
Vol. II. Disp. XII.

SERENISSIMO. ET. POTENTISSIMO.
RÉGL. AC. DOMINO.

DN.

C A R O L O X I.

SVECOR. GOTHOR. AC. VANDALOR.

R E G I.

MAGNO. PRINCIPI. FINLANDIÆ

D U C I.

SCANIÆ. ESTHONIÆ. LIVONIÆ

CARELIÆ. BREMÆ. VERDÆ.

STETINI. POMERANOR. CASSUBIÆ.

ET. VANDALIÆ.

PRINCIPI. RUGIÆ.

DOMINO. INGRIÆ. ET. VISMARIÆ.

UT. ET.

COMITI. PALATINO. AD. RHENUM.

BAVAR. JULIAC. CLIV. ET. MONT.

D U C I.

ETC. ETC. ETC.

REGI. ET. DOMINO. MEO.

CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME
 REX,
 DOMINE CLEMENTISSIME,

Provolve audet ad Pedes MA-
 JESTATIS TUÆ Sacratissimos tenuis Differtatio: Non
 fiducia sui, quippe quam suæ
 tenuitatis premit conscientia;
 sed TUÆ Clementiæ, quâ
 Orbi pates ad exemplum. Sileo indultam mihi
 vice non unâ Regiam Manum, quam adorant,
 quot-

quotquot TUAM stipant MAJESTATEM,
 Illustria ora. Taceo clementissimè jam olim à me
 acceptam Devotionem humillimam, quæ balbu-
 tientem Kilonii stylum lassaverat. Id rumpit si-
 lentium omne, quòd munificentissimo hæctenus
 subsidio juvari etiam mea studia, MAJESTAS
 TUA voluerit: Quo augusto TUÆ Clementiæ
 documento, vel quicquid ab iis nunc profectum,
 vel proficisci cum humillimo obsequio un-
 quam poterit, ad eò quoque TUÆ devovisti MA-
 JESTATI, ut inde partem subduxisse vel mi-
 nimam, Sacrilegii instar habeat. Videbatur et-
 am TUA Justitia poscere sibi, tanquam ad Ly-
 lium lapidem, CONSCIENTIÆ FORUM,
 cui sub Imperii Tui læta primordia Rerum Mode-
 ratorem tantâ jam geris integritate, REX Poten-
 tissimus, ut nusquam abusus potentiâ, Libram
 æstimandas, Gladium ad ressecandas lites, fugi-
 te ab Astræâ videaris vindicasse, & jam propè
 m JUSTI appellatione, quàm CAROLI nosca-
 s. Servet TE Deus tantum REGEM tantis
 virtutibus, &, cum aliis quoque fulgeas quamplu-
 nis, REX SERENISSIME, æternùm audias

REX PIUS, REX JUSTUS, REX MU-
NIFICUS, & quod his temporibus inprimis
mis convenit, aut PACIFICUS, aut VICTO-
RIOSUS!

SACRE R^z. M^{dis}, THE

Humillimus & Subjectissimus
cliens

CHRISTIAN Ehrenfried
CHARISIUS.

Ad

Ad

LECTOREM BENEVOLUM

PRAEFATIO.

Duo sunt, L. B. quibus potissimum orbis regitur & Justitia, Scientia & Conscientia. Ista sibi sic conjuncta sunt, ut esse alterum sine altero haud queat. Scientiam solam si spectaveris, Doctos cernes, non Bonos: Si Conscientiam, Bonos interdum, Doctos vix unquam. Scientia sine Conscientia vitium est: Conscientia sine Scientia stupor & ignorantia. Scientiam regi oportet à Conscientiâ: Conscientiam vicissim ab illâ informari. Illa huic Dux est: hæc illi Cynosura & regula: Circulus hic est, in quo coherent omnia puncta. Unum si desit, alteram ab imperfectione proprius abest. Hæc cum ita sint, mirari subit non semel, qui tamen fiat, ut Scientia hominibus queratur tam anxio, Conscientia plerisque ignoscatur crassissime. Cernitur in negotiis quibuscunque civilibus, quam ista frequens, hæc sit profligata hominibus. Juris in eos, quos in potestate habes, abusus, officii vero invicem neglectus: in acquirendis rebus vis, dolus, Technæ, circumventiones: in lædendo proximo artes & studia: in ipsis denique Judiciis Ambitus, corruptiones, personarum respectus, protelationes, moræ &c. quid aliud sunt, quem Scientiæ (perverse licet ac prava) documenta, Conscientiæ vero exilia, quibus mota Antiquitas non absurde finxit, terris se suberaxisse, Justitiam, cum ista frequentari cerneret inter Mortales. Habes ita, L. B. quid causæ sit, ex quo præfens nata dissertatio. Scilicet post exantlata Examina cum facta mihi esset ab Amplissima Incuræ nostræ Viadrinæ Facultate Juridicâ, disputandi licentia, non inconveniens visum est argumentum, quo ea, quæ dixi, ruminari altius, & Juris propterea scientiam conferre, Conscientiâ valerem. Non quidem ideâ fini, ut notare alio

& mores corrigere Seculi intenderem ; (licet corrigi posse commune sit votum Bonorum.) sed ut juvaret, scrutari Conscientiæ incorruptas Leges. Namque multum refert, nosse, unde descivimus. Decet etiam contendere vicissim, unde dilapsi sumus: Et, si illuc redire non datur, optimus tamen mortalium est, qui eò eniti semper studet, ac, quò quisque propius accedit ad istam bonitatem, eò magis bonus videtur censendus. Cæterum cum primum laborem suscepi, breviorē quidem esse me posse speravi: unde nec veritus sum, idem polliceri ab initio. Sed mox volumini æquiorē quam disputationi materia se præbuit, ad eò, ut non admovisse manum haud semel voverim. Accessit, paulo post, quæ curatioribus studiis non est amica, festinatio. Namque à Magnifico Reip. Stralsundensis Senatu (quâ Factorum fiduciâ? nescio.) in publicæ Illius sollicitudinis partes vocatus, detrahere coactus sum tempori, quod iste quidem labor jure suo videbatur exigere. Multa ergò hic occurrent minus dicta solidè, multa magis tacta quam dicta, haud pauca plane transmissa, omnia tuæ indiga veniæ L. B. Neque non lapsus, me unquam ausim affirmare. Arduam enim rem ingressus sum, & ubi facilior eò lapsus, quò magis lubricus gressus. Ast quomodo nimis superbè dedignatur mortalitatem, qui peccasse erubescit, sic nec veniæ difficilem fore confido, apud quemcunque lapsus pro eâ quam debeo vel reverentiâ vel pietate deprecor. Laudem aucupari animus nunquam fuit, in quam nec audet adfurgere tenuitatis meæ conscientia: Sed veniam tamen rogare, non vereor, quam non negabit, quisquis humanæ fragilitatis Conscientia metiri semet didicit.

Tu qui regendo fata figis Gentibus,
 Caputq̄ve condis Sanctus inter æthera,
 Fac scripta nostra scripta gloriæ tuæ,
 Et me placere Conditori temporum,
 In cœteris bonos precabor arbitros.




DISSERTATIONIS
De
FORO CONSCIENTIÆ
CAPUT I.
De
Natura ac Definitione Fori Con-
scientiæ,
CONSPPECTUS.

INGRESSUS in Disputa-
tionem. num. 1. Evolutio vo-
cabuli **FORUM**. n. 2. An re-
ctè dicatur Forus. n. 3. Descriptio
Fori & acceptio diversa, remissi-
vè. n. 4. Differentia à Judio. n. 5.
& à Territorio. n. 6. ubi responde-
tur Panormitano. n. 7. Divisio Fo-
ri. n. 8. **CONSCIENTIÆ E-**
tymon, allusivum. n. 9. Verum n. 10.
quod explicatur. n. 11. Synonymia
Conscientiæ. n. 12. Homonymia n.
13. & seqq. Differentia à Synteresi.
n. 16. Acceptio propria. n. 19. De-
finitio, & ejus explicatio remissivè.
n. 20. Divisio n. 21. Dissidentes
circa eam n. 22. Divisionis ratio.
n. 23. Conscientia Recta. n. 24. Ejus
fundamentum. n. 25. Quiditas.
n. 26. An omnes eodem modo ob-
liget. n. 27. An dispensare **DEUS**

contra eam possit & remissivè. n. 28
Conscientia Erronea. n. 29. Illa un-
de; n. 30. Ejus obligatio. n. 31. De
eâ Regula I. n. 32. Illius ratio. n. 33.
Orta C. E. ex ignorantia invinci-
bili, interdum dicitur Recta. n. 34.
Regula II. num. 35. ubi explicantur
Rom. c. 2. v. 14. 15, & c. 1. v. 13. seqq.
remissivè. num. 36. Deciditur, an
invincibilitas fuerit in Gentibus,
quibus e. g. incestus, furta, & c. fue-
runt licita. n. 37. & 38. it: quod
ignorantia **J.** Nature non excu-
set. n. 39. Restringuntur dicta. n.
40. Regula III. n. 41. Illius ratio.
n. 42. Regula IV. n. 43. Illius ex-
plicatio. n. 44. ubi differentia in-
ter ligare & obligare. n. 45. Con-
siliium deponendi Errorem n. 46.
Conscientia Dubia. n. 47. Que
dividitur. n. 48. & divisio defen-
ditur

ditur. n. 49. Ejus obligatio nulla. n. 50. Sed deponenda dubitatio. n. 51. ubi ex parte dissensit Grotius n. 52. Conscientia Probabilis. n. 53. Circa eam Moralistarum Studium n. 54. Moraliste citati. n. 55. Ejus obligatio. n. 56 que sit verè probabilis. n. 57. 58. Cessat Probabilitas in tribus casibus. n. 59. De formidine oppositi circa probabilitatem. n. 60. Conscientia Scrupulosa. n. 61. Illius obligatio. n. 62. Divisio Conscientie in Antecedaneam & Consequentem. n. 63. Ejusdem Existentia. n. 64. **FORUM CONSCIENTIÆ** n. 65. Definitionis explicatio n. 66. Homonymia F. C. cum sumitur (1.) pro Foro Canonico. n. 67. Quod rejicitur. n. 68. ubi Judicium Dn. Ziegleri de Fur. Canon. n. 69. It. Judicium Valerii. n. 70. & in Angliã Juris Can. Dd. creari publicã Legge prohibitum recensetur. n. 71. In Belgio quoque Fur. Can. Dd. tantum impropiè dici n. 72. Sumitur

(2.) pro F. penitentiali. n. 73. Quo pertinet Valerii definitio. n. 74. Inde apud Pontificios die Conscientie Rãhte. num. 75. ad quos remittitur etiam ista significatio. n. 76. Sumitur (3.) pro F. Ecclesiastico exteriori. n. 77. De cujus processu remissivè n. 78. Sumitur ultimò pro Judicio hominis interno. n. 79. Differentia F. C. à F. Exteriori. n. 80. Multa in F. exteriori justa sunt, que interiori non licent. n. 81. Synonymia F. C. n. 82. Fundamentum F. C. in J. Can. n. 83. Etiam in J. Civili. n. 84. ubi Judicium Godofredi del. 1. §. 3. ff. de Peric. & Com. Rei Vend. num. 85. Judicium Card. Hostiens. de Conscientiã JCorum. n. 86. Judicia de integro Fur. Civili, remissivè. n. 87. Herm. Vultei opinio de F. C. n. 88. Forum judiciale debet aptari Foro Consc. n. 89. Consulens semper debet sequi F. C. num. 90. Transitus ad Cap. seq. num. 91.

1.  Um primum omnium sit, naturam rei novisse, de quã sit tractaturus, meritò quoque in *Fori Conscientie* naturam primo loco inquiram. Cum autem *Conscientie Forum* sit complexum aliquid, postulare videtur ratio, ut singula prius, ex quibus constat, evolvam, quàm in ipsam totius significationem perveniam. Brevior tamen in omnibus ero, quòd latum habeam *Exercitationis* campum, cauturus, quousque fieri licebit, ne ultra fines *Disputationis* procurram, vel si procurrendum diffusum materia cogat, saltem cum veniã id liceat.

In *Fori* potissimum evolutione ut *sim* prolixior, operæ pretium non videtur. Fecerunt id alii, inter quos præcipuo loco laudo Matth. Stephan. *de Idiēt. l. 1. c. 27.* Osyv. Hilliger. *ad Don. l. 17. c. 9. lit. A.* Illud saltem noto, quod non solum dicatur FORUM, sed etiam FORUS in genere virili, in c. 10. X. *de V. S.* ubi Isidorus: *Forus, inquit, est exercendarum litium locus, à fando dictus sive, &c.* Constat Forus &c. Quod quam rectè, disputant inter se, contra Isidorum. Wefenb. *ad tit. C. de Idiēt. omn. Jud. n. 78.* Alciat. *l. 2. Dispunct. c. 24.* Joh. Parlad. *l. 2. Rev. quotid. c. ult. p. 2. §. 3. n. 10.* Conf. *de Latinitate Isidori judicium Alciat. in tr. de 5. ped. Præscript. n. 5.* Pro Isidoro, Godofr. *ad Rubr. C. d. t. Cujac. in Parat. ad eund. ac G. J. Vossius in Etymolog. Ling. Lat. lit. F. tit. Forum.* quibus posterioribus accedit Jctorum non infrequens usus. Mihi tamen cum puriore Latinitate consistere vix posse, probabilius videtur. Quid sit *Forum*, ex dictâ jam Isidori definitione patet, in quâ & acquiesco. Facile enim intelliget quis, hic non notari forum, in quod res feruntur venales, Basilica dictum in *l. 32. §. 4. de aur. & arg. leg.* (licet & Basilica propriè, *Vitruvio* teste, forum nostrum contineat, in parte scil. sui superiore. Vid. *Coras. miscell. Fur. l. 6. c. 16. & ad l. 1. ff. de O. J. n. 7.*) nec fori appellatione contineri aliud aliquid, (quomodo sex ejus acceptationes ex Festo *l. 6.* refert Menoch. *ad rubr. X. d. t. n. 3. & Præst. Jud. p. 2. c. 5. n. 4.*) sed illum locum denotari, in quem res controversæ deducuntur, ibidem decidendæ. Conf. *l. ult. C. Ubi in rem. act. l. 7. pr. ff. Qui satis d. cog. l. 9. §. 4. de Pen.* Ex quo simul patet differentia inter *Forum, Judicium & Territorium*, quæ confundere solent nonnulli, momente Stephan. *d. l. 1. c. 27. n. 18.* Nam *Judicium* est legitima causæ controversæ tractatio, coram Magistratu à paribus litigantibus instituta, ut ejus sententiâ lis determinetur, Dn Struv. *Jurispr. Rom. Germ. for. l. 4. c. 1. aph. 1.* *Forum* autem est locus illius tractationis: unde ista differunt tanquam contentum & continens. (Licet fatear hæc quidem sæpissimè & tantum non semper pro iisdem usurpari Jctis.) *Territorium* verò definitur in *l. 239. §. 8. ff. de V. S.* quod sit universitas agrorum, intra cujus fines aliquis habet jus terrendi, h. e. jus dicendi exercendique Unde cum *Forum* sit locus quidam particularis, Magistratui in territorio, tanquam in loco universali, assignatus, Hillig. *d. l. 17. c. 3. lit. D. in fin.* apparet iterum hæc differre, tanquam totum à suâ parte. Neque huic impedimento est quod ait Panormitan. *ad d. c. 10. X. de V. S. distingvendum.*

sc. an dicatur *Forum*, quomodo ait saltem locum Judicii denotari; an dicatur *Forum*, quo casu dicit Territorium Judicis significari: Nam, vocabulum *Forum* mihi non probari, supra jam dictum est. Add. Martin. in *Lex lit. F. tit. Forum*. Dividitur Forum generalissimè in *forum Externum*, quod & *Soli*, item *Fori*, nec non contentiosum dicitur, de quo sunt consulendi Processus Scriptores & *Internum* seu *Conscientiæ* de quo mihi instituta est Disputatio. Videatur *Magnum illud & Immortale Academiæ nostræ hæcenus Lumen, nuperrimè ebecul. extinctum*, Dn. Brunnemannus, *Promotor olim & Susceptor meus observandissimus, de Proc. for. leg. inf. 1. n. 2. & seqq.*

Circa *Conscientiæ* vocabulum etiam contractior erit tractatio, 9 cujus percurram singula. Circa *Etymon* mitto allusiones; quando quidam *Conscientiam* dictam putant quasi *Cordis scientiam*, Monticul. de *Inventar. c. 3. n. 3.* Alii, quasi *Concludentem scientiam*, cum sit Syllogismus Practicus, ex Lumine naturæ, quid honestum sit, quid turpe dijudicans & concludens; quod non ineleganter deducit Drexel. in *Antigraph. f. de Conscient. c. 1.* Nam has, ut allusiones quidem non omnimodo incommodas posse retineri, ut notationes autem probas ineptas esse, nec dignas, quibus immoreris, ait Robert. Sanderfon. Theol. Oxon. in *pral. de Obl. Conscient. pral. 1. n. 4.* Deduco verò ab inseparabili particula *Con*, quam importare ordinem scientiæ ad aliquid tradit Thom. p. 1. q. 79. art. 13. & à voce *Scientia*. Cui derivationi adspulatur, tum Græca vox, *Συνείδησις* à *σύν*, i. e. *Con* & *ἔδνησις* i. e. *Scientia* composita; tum Germanica *Bewissen* / quæ est à particula *Bei* quam eandem esse cum Latinorum *Cum* notat Martinus in *Lexic. tit. Conscientia*, & *wissen* / i. e. *scire* Ita ut, *Conscientia* sit quasi conjuncta 11 scientia s. *Scientia multorum*. Et hoc cum dupliciter possit intelligi, uno modo, *subjectivè*, quasi dicam, *multorum Scientiarum Scientia*, cum idem multi pariter sciunt; altero modo *objectivè*, quasi *multorum Scitorum Scientia*, cum multa idem pariter scit, mihi, utràque ratione reddi posse rationem nominis, putatur, sine rem ipsam spectes, sive usum loquendi apud probatos. Authores: id quod latius etiam deduxit Sanderfon. d. l. f. 5. & 6. Præferri tamen forsitan non immeritò posteriori acceptione largirer. Conjungit enim *Conscientia* *Scientiam* *Scientiæ*, universalem scilicet seu *Juris*, scientiæ particulari seu *facti*, applicando hanc ab illam, quod exemplis declaratur *ibid.* De *Synonymia* minus ero sollicitus. Possent enim plures termini similes fingi, à quo tamen absti-

abstineo consultò. Judicium Intellectus vocat Vasquez. 1. 2. Tom. 2. d. 59. Theatrum Dei Cicer. lib. 2. Tuscul. Quest. & Naturalem Sanctitatem, quæ velut in arce animi præsidens exercet boni malique judicium, Hieronym. ad Demetriad. Quoad Homonymiam, licet 13 varias acceptationes recensere magis videatur necessarium idèd, quod non prius definire Conscientiam possim, quàm verum ejus sensum acceperò, breviam tamen & hic saltem excerptam ex Sanderfòno, qui elegantè hæc & ex professo tractat. d. præl. 1 § 7. & seqq. Primum ergò 14 sumitur tripliciter. (1.) *Subjectivè* pro *potentiâ intellectivâ practicâ*, quemadmodum dicimus, Legem Naturæ scriptam esse in *Conscientiâ* (2.) *Formaliter* pro *habitu*, pertinente ad illam Potentiâ eamque informante; quomodo dicimus, *hominem rimoratae*, (ut loquuntur Dd. Moralium) seu teneræ *Conscientiæ*, *hominem nullius Conscientiæ* (3.) *Effectivè*, pro actuali aliquo motu, exercitio aut operatione illius habitus, sicut dicimus, habere quem de singulari quodam facto *Conscientiam*, bonam s. malam? Præter hæc Repetendum est, quod supra dixi, esse Conscientiam Cognitionem Syllogisticam, applicantem Scientiam Juris suo facto per discursum. Inde ergò rursum accipitur 15 quatuor modis. (1.) & *propriissimè*, pro *ultimâ conclusionè* totius Syllogistici discursus, quippe in quâ continetur *ultimum Judicium* intellectus Practici; e. g. *Ergò hoc facere vel non debueram, vel non debeo.* (2.) Pro *notitiâ primi illius principii* universalis cogniti, ex quo pendet totus discursus; e. g. *Nullum injustum est faciendum.* (Licet hæc acceptio sit *impropria*: & sit hæc *Synteresis* propriè, quæ differt à Conscientiâ. Habet enim se ad hanc eodem modo, quomodo se habet Intellectus ad Scientiam: Ut, sicut in *Specularivis Intelligentiâ* est Ha- 16 bitus primorum principiorum circa *Verum & Falsum*, unde deducuntur Conclusiones, de quibus est *Scientiâ*; Sic in *Practicis Synteresis* sit Habitus primorum principiorum circa *Bonum & Malum*, unde deducuntur conclusiones, de quibus est *Conscientiâ*. Vide de aliis Differentiis Drexel. d. c. 1. D. Frid. Balduin. de Cas. Conscient. l. i. c. 4. & Guil. Arnef. de Conscient. l. i. c. 2. cum aliis.) (3.) Sumitur *latius* pro 17 toto *discursu* mentis practico, à primo principio ad ultimam usque conclusionem, sic ut & propriè dictam Conscientiam & Synteresin simul complectatur: id quod duobus Syllogismis expeditur commode e. g. (α) *Nullum injustum est faciendum. Furtum est injustum. E.* (β) *Nullum furtum est faciendum. Hoc, quod ego feci, vel facien-*
dum.

dum sollicitat animus, est furtum E. (4.) Sumitur pro *notitiâ ag-*
 18 *gregatâ* plurium actuum particularium, unde conficitur univer-
 sâ vitæ ratio, & unde *integre vel corruptæ conscientiæ* hominem
 19 dicimus. Alias acceptiones, quas alii habent Dd. tanquam im-
 pertinentes merito prætereo; hûc tractâ significatione illâ, quâ
Conscientia sumitur pro *notitiâ ultimæ conclusionis* Syllogismi Pra-
 ctici.

20 Sequitur Definitio, quòd sit *Conscientia Habitus Intellectus*
Practici, quo mens hominis per discursum rationis applicat Lumen,
quod sibi inest, ad particulares suos actus morales. Quæ, qui ube-
 rius cognoscere cupit, adeat Sanderfon. *d. Pral. 1. §. 14. & seqq.* ubi sin-
 gula membra eleganter explicat & prolixè

21 Circa *Divisionem* quidem aliqua inter Dd. sententiarum (si
 tamen sententiarum & non verborum potius) diversitas reperitur.
 Nam Franciscus Bordonus, Theol. Parmens. in tractatu, quem anno 1668.
 edidit, inscriptum: *Propugnaculum Opinionis probabilis in concursu*
probabilioris: ubi ad institutum viam sibi sternit per explanationem
 Conscientiæ, quinque hujus species constituit in c. 1. n. 27. Rectam s.
Veram; Erroneam s. *falsam*; Dubiam s. *incertam*; Probabilem s. *Opi-*
nativam, & *Scrupulosam*. Idem citari ab eo longâ serie, ac Steph. à S.
 Paulo, *Theol. Moral. tract. 1. Diss. 2. dub. 1. §. 2.* & ex nostris D. Bal-

22 duin. *d. l. 1. c. 6.* Tanquam dissentientes autem Bordonus allegat Pos-
 vaniens. *l. 4. Dec. Theol. spec. & Moral. c. 3. q. 1. concl. 3.* & Jul. Mer-
 cor. *in Bas. tot. Theol. Moral. p. 1. art. 2.* (Contra quos tamen divisi-
 onem suam defendit n. 29. & seqq. simulque expungit species Conscien-
 tiæ, *Laxam & Temerariam.*) & ex nostris contrarii sunt Clariss. Dn.
 Sam. Pufendorf. *Et. Phil. l. 1. obli. 1. §. 6.* nec non hoc anno edito
Tract. de J. Nat. & Gent. l. 1. c. 3. §. 5. & Conr. Hornej. *Philos. Moral.*
l. 3. c. 4. §. 4. (sed qui easdem species sub diversis saltem generibus &

23 ipsi tamen diverso etiam inter se modo constituunt.) Cum verò quin-
 que reperiantur Conscientiæ differentiæ eandem dividentes, (ut
 ex subjectis patebit) ex Logicorum autem regulâ, tot sint species ali-
 cujus generis, quot sunt differentiæ formales, cum genere constituen-
 tes species, mihi retinendæ videntur, quas dixi species; quarum brevi ex-
 plicationi subjicere, quatenus in actionibus nostris nos obligent vel non

24 obligent, ère erit. Conscientia E. Recta describitur quod sit, *Con-*
formitas Judicii cum Lege; s. cum novit Intellectus, *Judicium suum*

conve-

convenire cum Jure Divino & humano, *certitudine* indubitata. Dn. Pufend. *d. Obs. 1. §. 6.* Ea tamen certitudo sufficit, si modo *practica* fit, licet non semper sit *speculativa*. Vid. Svarez. *tr. 3. disp. 12. sect. 3.* Fundamentum ergò hujus Conscientiæ consistit in L. Divina, vid. eleg. Sanders, *d. tr. prel. 4.* ubi de adæquatâ Conscientiæ regulâ differit; Naturæ. (cujus Legis Existentiâ pluribus probat & contra Hobbesium, Anglum, in *Leviathan. p. 1. c. 14. & p. 2. c. 26.* defendit ejus Civis Robert. Scharrock *de Offic. sec. Nat. Jus. c. 2.* novissimè autem adstruit *Summi tribunalis Wismar. incomparabile quondam Decus & Vice-Præs.* Dn. Mevius, in *Prodromo Jurispr. Gent. comm. superiori anno edito, in primis Insp. 4. Add. Infr. n. 35.*) & Humanis divinx legi non contrariis. Vid. *infra*, ubi humanas etiam l. Civiles LL. in Conscientiâ obligare, *seq. cap.* probabo. Quidditas autem seu proprietates consistit in vi & obligatione tantâ, ut contra eam veniens non sit immunis à peccato mortali, docente Thoma 1. 2. *qv. 29. art. 5. & 6.* Cujus ratio expedita est: quoniam Conscientia recta, & sensus Legis à Legislatore intentus sibi invicem respondent, adeoque, quæ contra illam sunt, ab hoc quoque discrepant. Dn. Pufendorf. *d. §.* Illud tantum observandum, si quis alienæ sub sit potestati, quod tunc circumspèctè sit agendum circa præcepta *adfirmativa*, ne scil. Juri Superioris detrahatur: in *negativis* autem parendum strictiùs, quando semper & ad semper obligant; id quod declarat Hornej. *d. c. 4. §. 4.* qui distinguit præterea inter Conscientiam Rectam *Suadentem & præcipientem*, & inter *dissuadentem ac prohibentem §. eod.* Cæterum nec Deum dispensare posse, ut quis agat contra Conscientiam Rectam, defendit contra quosdam Bordon. *d. tr. c. 2. n. 3.*

Conscientiam *Erroneam* describo, quod sit *Difformitas Judicii cum Lege*, s. quæ licitum esse judicat nec peccatum, quod est malum, bonum autem judicat illicitum esse & peccatum. Bordon. *c. 3. n. 1.* Quæ adeoque ex falsâ operis ad scientiam applicatione oritur, *vel ex falsis ratiociniis*, derivatis ex principiis universalibus Vid. Ames. *d. l. 1. c. 4. §. 2.* veluti, si quis putet ad obtinendum bonum finem sibi licere quibuscunque etiam mediis uti: de quo errore vide integram prælectionem, apud Sanderfonum *prel. 2.* & plura exempla apud Drexel. *d. tr. de Conscient. c. 4.* Circa hujus obligationem cum subtiliter admodum & multum intricatè disputetur à Scholasticis, quatenus ea nos obliget: Videri possunt Azor.

Azor. *in Instit. Moral. tom. 1. l. 2. c. 8.* Becan. p. 2. *Theol. Scholast. tom. 1. tr. 1. c. 4. qu. 7. §. 7.* etiam Amef. d. c. 4. & alii; Vitandis illis subtilitatibus videtur distingvendum breviter: (1.) utrum error, in quo versatur Conscientia, sit *vincibilis* an *invincibilis*. (2.) Utrum res, quæ venit sub Conscientiam, sit *indifferens*, an *Lege præcepta* vel *prohibita*. Ex quâ distinctione regulæ fluunt: (1.) Si Conscientia versetur in *Errore invincibili*, (i. e. quem quis omni diligentia moraliter possibili discutere non valuit) & quidem circa *rem indifferentem*, tunc obligat hæc Conscientia tam positivè quam negativè; i. e. sive quid faciendum dicet sive non faciendum. Horn. d. c. 4. §. 5. Pufend. d. c. 1. §. 7. *in fin.* Ratio, quia iudicium intellectus Practicum voluntati, alio ad sui instructionem adjutorio hæc desitutæ, est proxima regula benè operandi, cui si contrarietur, videtur peccare contra legem, cum Intellectus hoc ei sub specie jussi vel prohibiti exhibeat, licet reverà tale non sit. Conf. Bordon. d. c. 3. num. 9. à S. Paulo. *Theol. Moral. Tr. 1. Disp. 2. dub. 2. §. 5.* Hornej. d. c. 4. n. 5.

34. Et hinc hæc Conscientia interdum etiam Recta dicitur, docente Bordon. d. c. n. 7. & Sanderfon. d. præl. 4. §. 13. *in fin.* quoniam scilicet fundamentum habet in justo, non quidem propriè, sed *reductivè* tali, de quo eleganter, quem supra laudavi B. Dn. Mev. d. prod. *Insp.*

35. §. 7. 10. *seqq.* II. Reg; Si Conscientia versetur in *Errore Invincibili*, & quidem circa rem *in se* & sui naturâ *præceptam* vel *prohibitam*, tunc vix est, ut statuamus illius obligationem. Nam ejusmodi verus error esse ne quidem posse videtur, cum, ut ait Gentium Apostolus, *etiam Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter tamen quæ Legis sunt, faciunt: & ejusmodi Legem non habentes ipsi sibi sint Lex: qui ostendunt* (quemadmodum pergit) *Legis opus scriptum in ipsorum cordibus, testimonium quoque iis reddente Conscientiâ &c. ad Roman. 2. v. 14. 15. & in cap. præc. v. 13. seqq.* *Homines veritatem in injulitiâ detinent, quia quod notum est DEI, manifestum est illis: nam DEUS illis manifestavit, quo circa nec excu-*

36. *sationem merentur.* Quos textus cum nonnulli ad Gentes ad fidem Christianam conversas, ad Legem non Naturæ sed Gratia, ad observationem ex viribus cœlitis dispensatis trahant: verè pertinere ad Gentiles, & ad notitiam ejus, quod justum est injustumvè, prolixè deducit D. J. A. Osiander, *Theol. Tubing. in Deo in lumine Naturæ representato, Exerc. 1. per tot. & in Typo I. naturæ part. spec. per tot.*

Cui

Cui adeoq; nec obstat, quod in iis Gentibus, quibus vitia virtutum specie quasi naturaliter imposuerunt (quomodo *Incestus* Persis, Spartanis *furtiva* licita, ne dicam iusta, fuerunt) invincibilitas tamen videatur statuenda, saltem propter errorem communem, qui iustam excusationis causam præbeat. Idè enim, quod his Gentibus inscripta fuit in cordibus Naturæ Lex, non videtur, istum errorem ad excusationem iis sufficere, cum perspicaciorum saltem ingeniorum studio deprehendi vitium, & Naturæ congruum potuerit reperiri: Unde non magis notum iis esse desiit, quam Solis splendor latet, quod aliqui præcœcitate planè non, aliqui ex oculorum vitiiis minus vident, aliqui clausis obteclisque spontè oculis, intueri nolunt, prout eleganter loquitur iterum B. Dn. Mevius *d. prodr. Insp. 2. §. 2. in fin.* & eodem sensu, aliis licet verbis, *§. 6. in fin.* Addatur Dn. Pufend. *de J. Nat. & Gent. d. c. 3. §. 3.* Ex quo etiã est, quod nec in Civili Jure Juris Naturæ ignorantia excuset, uti ex textibus ejus apparet *in l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. l. 2. C. de in Jus voc.* Nam hoc ignorari non debebat, & si ignoretur, in culpam latam illa ignorantia vertitur. Licet, cum ex naturali Jure aliud magis pateat, aliud recesserit longius, & non nisi per ratiocinationis dexteritatem ex primis principiis elicatur, illud hîc fatear, quemadmodum variat facultas adsequendi, variare sic etiã hîc culpam & vitium. Vid. Dn. Mev. *d. Insp. 3. §. 3.*

III. Regula: Si conscientia versetur in errore *vincibili* (i. e. quem quis adhibitâ diligentiam moraliter possibili discutere potuit, ac debuit quoque) & iterum circa rem *indifferentem*, tunc ea eodem modo obligat, quo hærens circa errorem *invincibilem*, ut scil. faciat quis, quod dicat ea, peccet verò, si id omittat. Vid. Balduin. *d. l. 1. c. 7.* Dn. Pufend. *de J. N. & G. d. c. 3. §. 14.* Ratio iterum ea est, quæ supra dicta: quia nim: Judicium Intellectûs rursus in hisce est proxima regula voluntatis, unde sequi hæc illud tanquam ducem suum, debet. Nam indifferentia, quæ & interjecta, neutra, adiphora, media, dicuntur, ac justè fiunt & tamen non injustè omittuntur, utrumque propitiâ naturâ, quemadmodum ait. Dn. Mev. *Insp. 4. §. 3.* moralitatem tamen suam ex mente facientis accipiunt. Id. *Inspect. 7. §. 13.* Idque in primis, quia, licet de his reverà nulla sit Lex, judicium tamen Intellectûs tunc putat Legem aliquam esse; quo fit, ut quantum in se est, Legem transgrediatur. Vide citatos apud Bordon. *d. c. 3. n. 12.* IV. Regula

Si Conscientia versetur in errore *vincibili*, ac circa rem per se vel

- præceptam vel prohibitã*, tunc ea nec obligat omninò, nec non omninò non obligat. H. e. peccat quis, si ve juxta eam agat, si ve *contra* eã. Id quod facile patet. *Prius* ideo, quia res, quam facit vel omittit, ipsa aut prohibita est aut præcepta: Unde committit in legem & sic peccat. *Posterius* ex ea ratione, quia, licet, quod agit, Legi divinæ aut humanæ nõ repugnet *materialiter* seu objective, i. e. prout in se spectatur; cum judicium Conscientiæ erret: repugnat tamẽ *formaliter*, i. e. prout ille statuit, id, quod agit, Lege quãdam præceptum vel prohibitum esse, licet reverà tale non sit. Vid. Hornej. *d. l. Dn. Pufend. d. l. §. 7. n. 2. & de. J. N. ac G.*
- 44 *d. c. 3. §. 13.* Atque hoc est, quod dicit Amefius *d. c. 4. §. 5.* Conscientiam erroneam *ligare* quidem, sed non *Obligare*. *Ligare*, sic ut non possit licitè quis procedere tali conscientia manente, quin peccet, in quamcunque se partem flexerit: non tamen *obligare*, sic ut præcisè quis eam sequi teneatur; Quocirca solent hoc casu id suppeditare Consilium, ut quis inquirat in rem accuratiùs, admittat informationem, deponat errorem, & sic ad actionem pergat. Videantur Amefius *d. l. §. 10.* Balduin. *d. c. 7.* & Bordon, *d. c. 3. n. 31.* Add. à S. Paulo, *Theol. Mor. Tr. 1. D. 2. dub. 2. §. 8.*
- 47 Sequitur Conscientia *Dubia*, quam describo, quòd sit *Ambiguitas Judicii circa quoddam factum*, si ve, quæ fluctuat, ac in incerto habet, an quod facere instituit, faciendum sit omittendum ve. Horn. *d. c. 4. §. 8.* Cujus E. judicium consistit in eo, quod incertam esse in suis prædicatis, super quibus dubitat, ipsam rem judicat. Bord.
- 48 *Cap. 4. n. 1.* Hanc communiter dividunt in *Dubiam Speculativè*, & *dubiam Practicè*. *Speculativè*, cum de re dubitatur *universali*, *extra* praxin vel operationem peragendam. v. g. num hoc vel illud *in genere* liceat: *Practicè*, cum dubitatur *dere singulari*, *circa* praxin vel operationem singularem, v. c. num *hic vel nunc* peccatum quid sit nec ne. Balduin. *d. c. 8.* Ames. *d. l. c. 5.* Bordon. *d. c. 4. n. 2.* à S. Paulo
- 49 *d. D. 2. dub. 3. §. 8.* Non quidem distinctionem hanc admittit Vasquez. *Disp. 62. c. 5 n. 22.* & ex illius rationibus Hornej. *d. c. 4. §. 8.* Sed retinenda tamen videtur ideo, quoniam certum est, qui *contemplativè* dubitat, posse *activo* *judicio* non dubitare, quoniam vel consideratis circumstantiis certus esse potest, hãc & nunc sibi licere quod facere instituit, à S. Paulo *d. dub. 3. §. 11.* vel credere potest, in re dubia obsequendum superiori Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 26. §. 4. n. 1.* Add. *supr. cit.* Svarez. *tr. 3. disp. 12. sect. 3. & mox citandum.*

Magnif.

Magnif. Dn. Ziegler. *conclus. 35. §. 19.* Quoad obligationem autem hujus aded certum est, non obligari quem Conscientiâ dubiâ, ut peccet potius, qui cum ea agit. Vid. Dn. Pufendorff. *de F. N. & G. l. 1. §. 8.* Unde etiam Cicero *de offic. l. 1. Benè, inquit, præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit an iniquum.* quod refert Grot. *d. l. 2. c. 23. §. 2. n. 2.* Et ratio est, quoniam operans sic se committit manifesto peccandi periculo, cum incertus sit, quod agit bonum sit malumvè, & tamen id agit. Clariùs hæc vide apud Hornej. *d. §. 8.* Ex quo, quemadmodum in Conscientiâ erroneâ deponendum esse *Errorem* suadeat, ita hic deponendam cupiunt *Dubitationem*, quod fieri non melius posse putant, quam si, qui sui juris est, partum tutiorem elegerit; qui alteri subjectus, id amplectatur, quod superior iusserit, à S. Paulo *d. l. §. 12.* Grot. *d. c. 23. §. 2. & c. 26. §. 4.* ubi tamen *n. 4. & seqq.* dissentit quoad posterius, sed idcirco notatus 52 ab Excellentissimis Viris, Dn. J. A. Osiandro *in Observ. Dn. Joh à Felde in Annot. ad Grot. d. c. 26.* Adde deponendo dubio Bordon. *d. c. 4. n. 9. & seqq. ubi tres, modos habet, Studium Electionem & Possessionem*, etiam Drexel. *de Consc. c. 5. ubi 5. regulas proponit.*

Conscientia Probabilis est Opinatio Judicii circa suum factum; s. cum Intellectus rei adfentitur, ob rationabilem electionem, quâ voluntas in unam partem magis inclinatur, quam in alteram. Hornej. *d. c. 4. §. 6.* Hæc verò illa est, circa quam in primis multæ sunt Moralistarum subtilitates & disceptationes. Graviter novissimè censet Magnific. Dn. Zieglerus Jctus Wittebergenfis, *in Dicastice, hoc anno edita, concl. 40. §. 1.* Potissimum Moralistarum hodiè studium esse, sub hoc Probabilitatis, quam vocant, involucre atrocissima quæque delicta excusare & licita facere. Ac probat id elegantissimus scriptor, Ludovicus Montaltius *in Epist. Provincial. imprimis ep. 5. & 6.* (quem allegat etiam Dn. Sam. Rachelius *ad Cit. off. l. 2. p. 264.* ubi se refert ad *Examen suum Probabilitatis Jesuiticæ*) ac ad ep. 5. Wilh. Wendrockius, qui hanc inter alias illorum Regulam refert; *Omniem probabilem opinionem, etiam falsam & Legi divine contrariam à peccato caram DEO excusare.* Videri 55 possunt Azor. *Instit. Moral. l. 3. c. 9. & multis seqq.* Sanchez. *in Summa l. 1. c. 9.* Gregor Sayrus *in Clar. Reg. l. 1. c. 6.* Paul. Laymann. *Theol. mor. l. 1. tr. 1. c. 5.* à S. Paulo *Theol. Moral. tr. 1. disp. 2. dub. 4.*

novisf. Bordonus in *d. Propugnaculo opinionis probabilis concurrente probabiliore* : & qui cum eo faciunt, blasphemè laudatus propter defensas opiniones probabiles à Johan. Caramuel. in *dedic. Theol. Moral. fundam.* Ant. Diana *Resol. Moral. tom. 8. tr. 1. Ref. 1.* cum citatis longa feriè, ac P. Gobat in *Alphab. Ord. cas. 6. n. 197.* ubi se scribit confirmasse illam opinionem in *Clypeo Alphabetico* auctoritate 65. Theologorum. Verum ut hîc quoque paucis afferam multa, 56 dicendum est: Obligare quidem hanc Conscientiam probabilem, 57 sed (1.) sub *Explicatione* certâ, (2.) sub certâ *Restrictione*. Explicata, ut Probabilem dicam, non eam, quæ sola stat Doctorum auctoritate, vid. Dn. Ziegler. *d. l. §. 28.* etiam Sanderson. *præl. 3. §. 25. & seqq.* (quæ quidem in *facti* probabilitate posset sufficere, in probabilitate *v. dogmatis* & velut *juris* planè non procedit, Dn. Pufend. *de f. Nat. & G. l. 1. c. 3. §. 6.*) nec, quæ argumentis nititur debilibus, quæ superare facile sit; sed eam tantum, quæ in rationibus subsistit firmissimis, ac hoc tempore intellectui invincibilibus. Ratio est quoniam implicat, vinci rationibus & tamen esse probabile. Nam, quemadmodum fieri non potest, ut inter duo contradictoria veritas detur plus quam unica, & quemadmodum dici non potest, alteram propositionem veram esse, veriore alteram, cum sit simplex veritas & una; sic nec fieri potest, ut sint in Conscientia duæ probabilitates. Dn. Ziegler. *§. 30.* Etenim, dum sententia una contradictoria convincitur per rationes alterius sententiæ, definit protinus prior esse probabilis, quoad Conscientiam, quippe quæ fortioribus alterius argumentis nunc succumbit. *Id.* 58 *§. 31.* Neq; huic obstat, quòd sic hæc Conscientia videatur recta potius, quam probabilis: nam fateor, obligare quidem eam sub recti specie, dum operans secundum eam, *hoc tempore*, sive? ut loquuntur, *hic & nunc* rectum putat, quod agit, ob rationes ei, hoc tempore, invincibiles; sed manet tamen ipsa opinio *in se* & sui naturâ probabilis (id quod efferunt aliàs, manere probabilem *abstractivè* non *concretivè* dum idem deinde, pro dispositione diversa, vel atatis vel judicii, alio tempore, aliud, in eodem casu, probabilius habere potest. 59 *Id. §. 3.* *Restringo*: ut Probabilitatem nullam admittam (1.) in Sphæra superiori cultus divini eorum quæ creditu, factu, speratu sunt, necessaria. In his enim determinata DEI voluntas nullam admittit ratiocinationem, sed nudam requirit obsequii gloriam, quam implere nostrum est. vid. eund. *§. 25.* (2.) In iis, in quibus S. Scriptura decidi

lendi argumenta supeditat. Nam hïc nil quicquam iterum valetatio, sed sequenda est divinarum literarum norma id. §. 26. (3.) In iis, quæ Lege positivâ jam sunt decisa, cum & hïc rationis instar Lex habeat. §. 27. Latius hæc omnia *ex d. d. bis §. §.* peti possunt, nam solidam sic industriam contra Moralistarum spinas impendit ipse Magnif. Dn. 60
 Author. De *formidine* quoque *oppositi*, quam in Probabili Conscientiâ equirunt, consuli potest Idem §. 32. & *seqq.* ac de eadem D. Osiander in *Observ. ad Grot. lib. c. 23.* ubi eam in *opinione* probabili admittit, à Conscientiâ probabili (nam hæc distingvit) omninò arcet. Addatur etiam Dn. Pufend. *de J. N. & G. l. 1. c. 3. §. 6.* ubi regulas pro informanda Conscientiâ probabili exhibet.

Tandem Conscientiam *scrupulosam* describo, quod sit *formido* animi circa *suum factum*, s. cum quidem uni parti adhæret, sed mota rationibus levibus ab actione deterretur, & sic torquetur perpetuâ velut anxietate. Amel. *d. l. 1. c. 6.* Balduin. *d. l. 1. c. 10.* Circa hanc autem illud saltem observandum, quòd scrupulus ille, quo impeditur, oriatur vel ex causa *rationabili*, vel ex *irrationabili*. Obligat verò nunquam: sed priori casu 62
 suspendenda est actio, donec eximatur scrupulus, posteriori casu generosè contemnendus & ejiciendus est ex animo. Vid. Pufend. *d. O. 1. §. 8. & de J. N. ac G. d. c. 3. §. 6. & eleg. Drexel. d. 22. de Conscient. c. 6.*

Cæterum hæc, quæ ita dicta sunt, Conscientiæ *Antecedentæ* species 63
 omnes sunt. Datur enim & alia, quam *consequentem* vocant, & ab effectu in *bonam* vel *malam* dividunt. de quo vid. Dn. Pufend. *de J. N. & G. l. 1. c. 3. §. 4.* Est enim effectus Conscientiæ, (ut utar verbis Cicer. in *Orat. pro Milon.*) ut nec timeant, qui nihil commiserunt, & ænam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint. h. e. tranquillitas mentis ex bene gestis, ex male factis dolor & laniatus. Quo de effectu elegans est locus apud quem dixi, B. Dn. Mev. *in sp. 2. §. 55.* & apud ob. Scharrock. *de Off. sec. Jus Nat. c. 1. n. 10.* Patet autem ex hoc etiam ipsa Conscientiæ *existentia*, quam cum Hobbes in *suo Leviathan* 64
 deretur velie expungere, contra hunc prolixè eam & eruditè probat Clarif. Dn. M. Jac. Henning. *Prof. Mor. in Acad. Gryph. in Disp. iam habuit de Conscientia*.

His ita præmissis ad ipsum *Forum Conscientiæ* jam progredior; 65
 ius describo: quod sit nihil aliud, quam *Intellectus hominis*, in quo *tituitur discursus* (de quo sup. n. 14. & n. 20. *rationis, judicans de lionibus suis, quatenus cum divina & Natura Lege conveniant, & non.* Dico: *Intellectus hominis*, quia, cum Forum sit, adsignandus 66
 est lo-

est locus quasi, in quo exerceatur Conscientiæ iudicium, qui alius esse non potest, quam *Intellectus*. Equidem sunt, qui in *Voluntate* Conscientiæ sedem constituunt, sed hos remitto ad Sanderson. *sæpe citat. præl. l. §. 21.* ubi his abundè satisfiet. *Naturæ* autem *Legem* dum dico, non illam intelligo simplicem, qualis extra respectum ad Rempubl. deprehenditur, sed talem, qualis est, cum ad Respubl. ipsa est accommodata. Habent enim Civitates illud in *Naturæ Legem Jus ac potestatem*, ut restringere hanc & ad suos usus applicare valeant *l. 6. de f. & f.* quibus itaque etiam conformandæ sunt Civium actiones, & si conformentur, in conscientia satis subsistunt. Add. B. & Magnif. Dn. Mev. *d. Prodr. Insp. 6.*

Sumitur aliàs *Forum Conscientiæ* multipliciter: (1.) pro *Canonico Jure*, ita ut in F. C. tutus esse dicatur, qui Canonico Jure tutus est, nec ea inter se differant. Joh. Valer. *de Differ. utriusq. for. Judic. & Consc. in prælud. n. 6.* Nam Canonikum Jus principaliter intendit vitare peccatū. arg. c. *si vero X. de fure jur. c. 1. X. de Pañ. &* ut ait Abbas, Jus Canonikum, etiam quatenus disponit in F. Contentioso, nunquam disponit cum peccato. *in c. quia plerumq. n. 17. de Inunit. Eccles.* Sed hæc significatio ad hanc Disputationem non pertinet; sicut nec in Abbatis sententiam, velut nimis benignam & ex adfectu Papali descendimus. Quam enim non omnia Juris Canon. xqua sint, in qve F. C. subsistant, docet Decian. *pr. Cr. l. 2. cap. 12. n. 3. & seqq.* & agnoscit ipsa glossa fin. C. *Consuluit. X. de Usur.* Nec Exempla congerere operæ pretium erit. Adiri modò potest *Excell. Dn. Ziegler. Diff. de Orig. & increm. Jur. Ca-*

69 *non. præmissâ Comment. ad Inst. Lancellot. ubi §. 67. concludit Etiam inter illas materias, quarum nobis aliquis usus esse potest, e.g. Juramentorum, Matrimoniorum, Processus & c. oppidò paucas esse, quæ justam & piam continent sententiam: reliquas corruptelis atq. impietatibus ita infectas esse, ut satius sit, totum istud opus negligere, & aliunde addiscere, quod Ecclesia ac Reip. fuerit salutare. Et hinc ipse quoq. Valerius*

70 *d. l. n. 7. dicit: F. Canonikum contentiosum non semper esse directivum ad salutem animæ, neq. omnia licita secundum eum esse, licitâ in F. Animæ, Ac in Anglia publicâ Lege cautum esse, ne quis amplius Juris Canonici*

71 *Doctor creetur, testatur Robert. Parker de Polit. Eccles. l. 2. c. 32. & 33. Impropric quoqve saltem, & valde abusivè, in Belgio Canonici Juris Do-*

72 *ctores dici ait Paul. Voëcius de Us. & author. f. Civ. & Canon. in Belg. unit. c. 6. postquam c. præc. admodum perstrinxisset Jus Canonikum. Add. si placet, Diff. Inaug. Oswald. Hillig. quæ est inter Dispp. colle-*

ctas

tas ab Ahasver. Fritschio. 12. *tb.* 83. & seqq. & Magnif. ac B. Dn. Mev. *d. Prodr. Insp.* 3. §. 17. *vers. Pleniorcm.* (2.) Sumitur F. C. pro *F. pæ-* 73
nitentia in Confessione, quippe in quo nulla habetur ratio rigoris seu
 Justitiæ Legum, sed judicatur secundum Deum & Conscientiam. Vid.
 c. 6. *Seff.* 24. *Concil. Trident. de Reform. & Martin. Utran.* Prenninger.
 in *Lectur. ad c. cum venerabilis. X. de Except.* Quam significationem
 summè notandam ait Joh. Valer. *d. l. n. 2.* additâ ratione, quia nonnulli 74
 fatis eruditi in eo lapsi sint. Neq; aliò tendit ejus definitio, quando
 §. 1. dicit, F. C. quod nihil aliud sit, quam *vir bonus, æquum jubens ac*
constituens ex Bald. in *c. cum causam. n. 6. de Testib.* quem refert & se- 75
 quitur etiam Petr. Barbof. 4. *part. rubr. ff. Solut. matrim. n. 26.* Ex quo et-
 iam *Confessionarii* apud Principes Pontificios dicuntur hodiè *Conscientiæ*
Râthel qui semper hærent à lateribus ipsorum, eum in finem, ut in ca-
 sibus obvenientibus informet Conscientiam; quomodo non ita pri- 76
 dem exemplum ejus rei ex Polonia regno publica acta dederunt. Sed
 nec ea significatio ad nos spectat, verùm ad Pontificios tantum. Apud
 hos enim, ex aliorum Conscientia suam formare, religionis; in avidas
 autem Sacerdotum aures exonerare, quicquid peccatorem urit, pœni-
 tentiæ pars est: Apud nos quiescit illa Conscientiarum tortura, & sic
 non ad nos propriè Forum illud pertinet, Conf. Joh. Gerhard. *Conf.* 77
Catb. l. 2. p. 3. cap. 4. (3.) Sumitur F. C. pro *F. Ecclesiastico Exteriori*,
 quod vocamus hodiè den *Kirchen-Râth.* Vid. Covarruv. *tom. 2. pract.*
quest. c. 11. n. 4. Cujusmodi forum, suam habens Jurisdictionem exter-
 nam, olim in Ecclesiâ non fuisse, docent Dn. Ziegler. *d. Comment. ad Lan-*
cellot. l. 3. tit. 1. §. 2. Paul. Vcëtius *d. tr. de us. fur. Civ. & Canon. in Belg.*
c. 5. §. 4. p. 94 ubi eam in rem allegat *t. t. C. de Episc. Audiend. Add. Jac.*
Moestert. de Jusit. LL. Rom. lib. 1. dub. 28. Successu autem temporis de-
 venit ad Episcopos, & in terris nostrorum Principum exercetur per Con- 78
 sistoria. Verum neque illud forum hûc pertinet, & de illius processu vi-
 denda sunt *Magnifici & B. Dn. Brunnemanni di& de Proc. Consist.* (4.) 79
 Deniq; sumitur pro *judicio hominis interno*, pro quo quilibet seipsum
 sistit, examinat, & vel absolvit vel condemnat: & sic est hujus loci. 80

Ita autem differt F. C. à F. Exteriori & potissimum quidem in his:
 (1) quod in *exteriori* alius est Judex, alius Actor, alius Reus, alius Testis;
 sed in *Interiori* s. Conscientiæ, mens hominis omnem hanc representat
 personam, quod exemplis opus non habet. Vid. *Magnif. Dn. Ziegler.*
in Dicast. concl. 12. §. 1. & 2. (2.) quod objectum Fori Exterioris sint actus
 hominum *exteriores*, cum de *internis* nemo judicium ferat *arg. l. 18. ff. de*
Pan.

- Pæn. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 20. n. 18 & Dn. Ziegler. ad d. c. 20. §. 39. p. 464.*
 de quibus nec fieri posse Legem probat Sanderlon. *de O. C. præl. 9. §. 6. à S.*
Paulo Theol. Moral. tr. 2. disp. 3. dub. 5. sed in C. F. tam actus interni quam
externi dijudicantur. Vid. latius Excellentif. Dn. Præfes. Dominus præ-
ceptor meus & Fautor observandissimus, de Jure Sensuum; Diss. 10. c. 6.
- 81 Addatur Valer. *lit. I. tit. Judicium. diff. 1.* Ex quibus (3) fit, ut multa in
 exteriori foro justa sint, quæ in interiori nõ sunt juxta, Valer. *d. tit. Judic.*
diff. 4. n. 3. Excell. Dn. D. Lederer, f. Ctus Witteberg de J. B. Privat. l. 1. c.
4. §. 1. quemadmodum id rationibus confirmat & exemplis probat Ma-
 gnif. Dn. Brunnem. *de Proc. for. leg. Inst. d. c. 1.* cum grano salis tamen
 quomodo intelligendum sit, infra cap. f. ostendam.
- 82 Dicitur hoc F. C. etiam Forum *Anime.* Valer. *in prælud. n. 6.*
gloss. in c. Consuluit X. de Usur. interdum quoque *Judicium Divinum,*
 Thom. 1. 2. *q. v. 96. art. 4. in 1. arg. Valer. num. 9.* Sæpius *Jus poli* cui tunc
 opponitur *Jus fori.* D. August. *in cap. fin. 17. q. v. ult. Gratian. in §. hinc*
- 83 colligitur. qui est sub *c. Euphemium. 2. q. v. 5.* Fundamentum autem ha-
 84 bet non modo in Jure Naturali, sed etiam in Jure scripto. Neq; vero fo-
 rum in Canonico *per dd. tt.* sed etiam in Civili Jure, id quod apparet
 tum ex Prætorio Jure, quod Juris Civilis hodiè pars est, & æquitatis na-
 turalis semper rationem habet. Dn. Struv. *Synt. f. Civ. Ex. 2. §. 4.* ut cœ-
 tera taceam, ex eleganti *l. 1. §. 3. ff. de Peric. & Comm. Rei Vend.* ubi
 dicitur: Si quis vinum vendiderit, & ad metiendum diem præstituerit,
 testando etiam denunciaverit Emptori, ut aut vinum tollat, aut sciat
 futurum, ut vinum effunderetur: Possit, nisi emptor illud tollat, postea
 jure idem effundi; Si tamen cum possit effundere, non effundit, laudan-
 85 dum esse potius. In quem textum cum incidit Gothofredus, *Hoc Con-*
silium f. Cti, inquit, *quoties apud me diligentius retracto, audacter jam*
dicam, inter f. Ctum & virum bonum nihil interesse: deniq; certissimam
ad cælum viam esse nostram Juris professionem, si ad æquum & bonum
- 86 *revocetur.* Egregiè profectò, & veriùs longè, quam Henr. à Segusio, *Car-*
din. Hostiens. qui, cum de Conscientiâ differit, aliquam dicit esse *duram,*
voluntariam, seu capitaneam, qualem habent plerumq; Legistæ, judican-
tes de peccato pro beneplacito voluntatis, nec credentes peccare,
dummodo secundum Legem humanam judicent: quia qui peccat Legis
authoritate, excusatur. c. qui peccant. 25. q. v. 4. in Summ. aur. l. 4.
Rubr. 3. n. 4. quod ad eò verum non est, ut etiam Injuria summo
 87 jure dicatur. Taceo de integro Jure Civili, cujus ea non inter-
 Jctos modo præclarissimos; sed Theologos quoq; circumfertur.

Iustitia, ut tanquam Rationem scriptam ab omnibus ferme gentibus etiam Turcis, imò & Judæis, sicubi Mosaica Lex deficit, meritò receptum, (pauca excipienda, Conf. Dn. Osiand. *ad Grot. Proleg. obs. 8. in fin. Celeberr. Job. Hein. Bœcler. ad Grot. lib. 2. c. 7. n. 1. §. dum Jus Civil. p. 241. & seq.*) testentur. Vid. prolixius B. Dn. Mev. *d. prodr. Insp. 3. §. 9. & 10. & ante hunc Arthur. Duck. ꝑ. Ct. Anglic. de Auth. ꝑ. Civ. Roman. l. 1. c. inpr. 2.* Conf. etiam *Magnif. & Excell. Dn. D. Job. Frid. Rhetius, Ordinarius ac Antecessor hujus Acad. celeberrimus, Patronus, meus in Comment. ad Jus feud. proem. p. 26. n. 101. Ubi, nihil in Jure Rom. præsertim in Pandectis traditum reperiri ait, quod non Conscientiam obligaverit antequam legali sanctione fuerit munitum.* Meritò autem mirari jam subit, quomodo Herman. Vultejus de jure aliquando rogatus, respondit: *Utut verò maximè in Foro fortasse Conscientiæ consuetudo loci nullam justam excusationis causam præbeat prout voluisse videtur Cravetta. Consil. 145. n. 7. in fin. Roland. à Valle 96. n. 31. vol. 2.) animad. vertendum tamen est, nos in proposito casu non in F. C. sed foro fori. seculari versari, in quo inter omnes convenit, &c. Consil. Marpurg. vol. 3. conf. 17. n. 193.* Omninò enim etiam Judiciale forù foro Conscientiæ debet aptari, cùm nec leges dedignentur sequi sacras & divinas regulas, ut est in *Nov. 83. c. 1. Clerici X. de Judic. c. Leg. 9. fin. dist. 10.* nec sufficiat Lex ad tranquillandam conscientiam, ubi accidunt, ob quæ illa dura & inhumana sit, prout loquitur in alio casu B. Dn. Mev. *Discuss. Levaminop. debet p. 60. n. 264.* Imò consulens in primis, semper Forum judiciale sequi debet, cum quilibet, quantum in ipso est, peccatis obviare, & animis teneatur consulere. *Valer. d. l. in præl. n. 14.*

Cæterum, ~~ista~~ operose esse institutum prohibet: Et jam ad ipsam transactionem progrediendum, quam ex Justiniani Imperatoris methodo in *ꝑ. fin. Inst. de ꝑ. N. G. & C.* præscripta suscipere constitutum est, cum alia commodior festinanti non videretur se obligatura.

CAP. II.

De Foro Conscientiæ, quatenus versatur circa personas.

CONSPLECTUS.

QVÆSTIO preliminaris, an
 LL. Reip. civiles obligent in
 Conscientiâ? num. 1. *Authores de
 hâc.* n. 2. *Absolutè & vi propria
 obligat Conscientias Lex DEI,
 sed vi dependente LL. aliæ.* n.
 3. *Obligat non lex sed voluntas
 & potestas legislatoris.* n. 4. *Da-
 tur obligatio ad pœnam, quæ non
 est ad culpam.* n. 5. *LL. nonnullæ ni-
 runtur in solâ presumptione.* num.
 6. *Quid sit obligare in Conscien-
 tiâ?* n. 7. *Conclusio preliminaris.*
 num. 8. *Differentia inter
 LL. justas & injustas quoad obli-
 gationem.* n. 9. *Quenam sit Lex
 injusta?* n. 10. *Distinctio inter
 LL. latas à Principe justo & latas
 ab injusto.* n. 11. *Quid in casu du-
 bio, si non constet, justus ne Princeps
 an secus sit.* n. 12. *& seqq. Diffe-
 rentia inter LL. moralitatem a-
 ctui constituentes & præscribentes
 formam.* n. 16. 17. *Lex pœnalis.* n.
 18. *Lex præsumtiva an obliget?*
 n. 19. 20. *Lex permissiva.* num. 21.
Hac melius dicitur permissio. n. 22.
Permissio minus plena. n. 23. *Ejus
 exempla.* n. 24. *Permissio plena.*
 n. 25. *Decisio questionis in n. 1. n. 26.*
SERVITUS non est contra Jus
 Naturæ. n. 27. *Convenientia cum
 L. Naturæ, quomodo convenient
 cum Conscientiâ?* n. 28. *Conscientiæ
 Regula adæquata quænâ?* n. 29. *O-
 rigo Servitutis.* n. 30. *Potest. Româ.*

*in Servos n. 3. Occidendi arbi-
 trarium an justum.* n. 32. *Pactum
 inter victorem & victum.* n. 33. *Jus
 occidendi quando competat Do-
 mino?* n. 34. *Servitus quanam
 justa sit?* n. 35. *An servorum fi-
 lii justè detineantur tanquam
 servi, remissivè.* n. 36. *Servis
 equiparantur hodiè Homines
 proprii.* n. 38. *Anbi rectè habeantur
 inter Christianos?* n. 38. *Fiunt
 vel pacto expresso.* n. 39. *vel præ-
 sumto.* n. 40. *Mendicantes vali-
 di justè ad eam conditionem cogun-
 tur.* n. 41. *Justè venduntur homi-
 nes proprii.* num. 42. *Sed non sine
 fundo cui sunt additi.* n. 43. *Fu-
 gere à Dominis num salvâ Con-
 scientiâ possint.* num. 44. *Reme-
 dia juris contra fugitivos.* n. 45.
An se præscribere queant. n. 46.
 47. *De mutuo Dominorum erga
 servos officio, remissivè.* n. 48.
De Judæis, remissivè. n. 49. **PATRIÆ POTESTATIS** fun-
 damentum, remissivè n. 50. *Ef-
 fectus apud Ethnicos.* n. 51. *Apud
 Judæos.* n. 52. *Apud Romanos.*
 n. 53. *Apud Moscovitas.* n. 54.
An convenient cum naturâ? n.
 55. *Respondetur ad ea, quæ de Ju-
 dæis dicta.* n. 56. *Ad exemplū Abra-
 hami.* n. 57. *ad Legem Lev. ult. v.* 28.
 n. 58. *ad exemplū Jephthæ.* n. 56. *Roma-
 norū LL. mitigatæ, quoad Ca-
 sigationem.* n. 60. *quoad Venditio-
 nem.*

nem. n. 61. Romanorum Legum Fustitia. n. 62. 63. An etiam mater vendere filium possit. num. 64. An Pater aliquo casu possit comedere filium. n. 65. Obligatio Parentum ad alimenta n. 66. Quid alimentorum nomine veniat, remissive. n. 67. Alimenta sunt debitum proprium. n. 68. Quando non debeantur? num. 69. An etiam debeantur liberis ex illegitimo coitu n. 70. An ortis ex coitu damnato. n. 70. 72. 73. Et qualia. n. 74. De officio liberorum mutuo, remissive n. 76. De justitia LL. Roman. quoad peculia, remissive, & de modis solvendi P.P. n. 77. POTESTAS MARITALIS quanta? n. 78. An extendat se ad verbera. n. 79. 80. Oritur ex Matrimonio: cujus preparatoria sunt Sponsalia. n. 81. Ad Sponsalia num sufficiat consensus fictus in Consc. n. 82. Sententia negans n. 83. Ampliatur. n. 84. Sententia affirmans. n. 85. 86. Respondetur ad contraria. n. 87. An differant: peccare mortaliter, & teneri in Conscientia? n. 88. Sponsalia an eodem modo solvantur in utroque Foro? n. 89. An mutuo dissensu? num. 90. dantur causa, propter quas nec volentibus licet consummare matrimonium. n. 91. An propria auctoritate liceat ab his discedere? n. 92. Quid circa inimicitiam irreconciliabilem? n. 93. Traduntur aliae

causae solvendi voti. n. 94. An haec Conscientiam faciant tutam? n. 95. An justè Sponsalia contrahant impuberes? n. 96. An justè Conjug viri vete conjugè altero, in casu viduitatis? n. 97. Exemplum hujus n. 98. An justè contrahantur intra luctus annum. n. 99. Ad Matrimonium an sit aliqua in Conscientia obligatio? n. 100. Respondetur ad 1. Cor. 7. n. 101. Finis instituti matrimonii n. 102. Necessitas conjugii probatur per appetitum naturalem n. 103. Vitia & commoda Calibatus n. 104. Obligatio ad incundum Matrimonium qualis sit. n. 105. De Conjugio Clericor. remissive n. 106. An ad subsistentiam Matrimonii requiratur Consensus Parentum. n. 107. Opinio Canonistarum n. 108. Refutatur. n. 109. Tenentur liberi in Consc. adhibere Consensum, etiam majorem, ac etiam matris. n. 110. Parentes tamen neglectum gravius punire vix possunt. n. 111. Prohibenter nonnulli à nuptiis propter cognationem n. 112. Si dispensaverit tamen suprema potestas, an Conscientia possit esse tranquilla? num. 113. 114. Divortia an sint licita? n. 115. Examinatur Judaeorum sententiam. 116. Ob malitiosam desertionem an justè fiat separatio? n. 117. Quid circa hoc natura Jus statuatur? n. 118. An propter illam in F.C. sit licitum divertere etiam

non expectatâ Judicis sententiâ?
 n. 119. An propter errorem qua-
 litatis justè petatur divorcium? n.
 120. An propter diversitatem Re-
 ligionis? n. 121. Uxores secun-
 dariæ quenam. n. 122. Quare
 hæc introductæ? n. 123. Conjun-
 ctionis illarum effectus. n. 124.
 Dicitur illud Matrimonium ad
 Morganaticam. n. 125. Hujus
 exempla. num. 126. Conjugium

Abrabami, cum Cethurâ an huic
 possit comparari? num. 127. An hoc
 Matrimonium possit sustineri in
 F. Consc? n. 128. Sententia ne-
 gans. n. 129. Authores ejus n. 130.
 Affirmans. n. 131. 132. Responde-
 tur ad contrariam. n. 133. & seqq. De
 POTESTATE TUTELARI. n.
 137. An, personarum respectum
 habere, sit Conscientiæ conforme?
 n. 138. usque ad fin.

1 **I**mperatoris methodum sequi dum animus est, primùm ad Personarũ
 Jus Conscientiæ Forum vocandum venit. Ubi tamen, priusquam
 ad ea, quæ discutienda sese præbent, aggrediar, generalis antè
 & præjudicialis quasi, ac ad integram hanc Disputationem perti-
 nēs quæstio videtur decidenda, quæ hæc est: An Cives teneantur quoad
 Conscientiam Legibus Reipubl. in quâ vivunt? sive, ut vulgò hanc ef-
 ferunt: *An & quatenus civiles Reip. alicujus LL. obligent Civem in*
 2 *Conscientiâ?* In quâ quæstione, cum magni sit præjudicii, & operosi
 in eâ propterea fuerint Azor *Inst. Mor. l. 5. c. 6.* Vasquez. *Illustr. Con-*
trav. l. 1. c. 29. tit. Disp. 158. & seqq. Svarez. *de LL. l. 3. c. 21.* Soto *de F.*
& F. l. 1. qv. 6. à S. Paulo *Theol. Mor. tr. 2. Disp. 3.* Balduin. *l. 4. cas. 13. &*
prolixè allegati ab Arnold. de Reyger. in Th. Jur. tit. Lex. n. 15, ac in ad-
dit. n. 7. Sanderfonus *de Oblig. Conscient. præl. 5. §. 6.* qui multos dicit
 eam negare, adfirmare alios, quosdam distingvere, sequutus ego ulti-
 mos, per diversas Legum species quomodo quælibet obliget vel non,
 ostendam præmissis nonnullis ad rem facientibus.

3 Quoad obligationem sciendum itaque prius est (1.) *Absolutè* qui-
 dem *per se & vi propriâ* omnium hominum conscientias obligare *Le-*
gem Dei, idque in summo gradu: Esse tamen præter hanc etiam alia
 nonnulla, quæ *gradum quendam* obligandi obtinent, licet summo hoc
 inferiorem: id quod vel inde patet, quòd ob corruptam rationem hu-
 manam, indeque ortam juris nobis infiti vel ignorantiam vel scientiam
 imperfectam, de quâ B. Dn. Mevius *in Prod. Jurisp. Gent. Comm. Insp. 3.*
 non possit nobis sufficere solum illud Jus, nisi pluribus adhuc delictis &
 vitiis januam velimus aperire. Add. *Id. d. tr. Insp. 6 §. 9. & 10.* Esse autem
 obligationem illam *dependentem*, & non ex vi propriâ, sed *virtute divi-*
 ni ali-

si alicujus præcepti seu instituti, in quo fundantur. Conf. Sanderf. *d. præl.* 2. (2.) Sciendum est, Propriè loquendo obligare non *Legem* ipsam, sed *4 voluntatem & potestatem Legislatoris*, quæ verè inducit obligationem ad modum causæ efficientis. Dn. Pufend. *de J. N. & G. l. i. c. 6. §. 1.* Si tamen dicatur obligare Lex, intelligendum id esse *terminativè*, quod scilicet obliget ut terminus obligationis, & per modum *causæ exemplaris*, sicut ab exemplari sibi proposito dirigitur artifex, notante Sanderfon. *d. l. §. 5.* (3.) obligari quem interdum quasi ad *pœnam*, nec tamen simul ad *culpam*: cum nimirum LL. liberum sæpè relinqvant, rem extra dispositionem Legis *indifferentem*, aut facere, aut negligentia nomine certum quiddam præstare; id quod potissimum fit tum in LL. *merè pœnalibus*, vid. Sanderf. *præl. 8. §. 17.* tum in *negotiiis civilibus*, quibus à Lege forma præscribitur servanda, quæ nisi servetur, actus sit invalidus. Vid. Dn. Struv. *Synt. f. Civ. Ex. 2. §. 5.* (4.) Sciendum est, esse LL. quæ solâ nituntur *præsumptione*, in quibus veritati cedere præsumtionem notat. Valer. *Differ. inter. utr. for. Rubr. tit. Lex. Diff. 12.* & (5.) Denique intelligendum est, quid sit propriè *obligare in Conscientiâ*? quod nihil aliud est, quàm sic adstringere quem ad obediendum, ut, si non pareat, culpam credatur contraxisse, adeoque obnoxius fiat pœnæ, non solùm LL. constitutæ, vel arbitrio relictæ Superioris, sed divinæ quoque, quam incurrisse contraveniendo ipsa dicitur Conscientia. Add. Celeb. Dn. Georg. Calixt. *Theol. Mor. p. 29.* cit. à Dn. Struv. *d. Synt. Ex. 1. §. 13.*

Ex his præsuppositis fluunt *Distinctiones*, rem ipsam absolventes. & atque ex priori post *Conclusionem* hanc: *Leges quas dâ humanas virtute præcepti divini, quo tenemur illis parere, qui nobis a Deo præpositi sunt, non obligare subditorum Conscientias ad præstandam eis obedientiam, et sub peccato mortali & metu offensionis Dei teneatur quis ejusmodi LL. obtemperare, & nisi sic fecerit, accusantis conscientia murmura & rursus perferre*; de quâ Sanderfonus *præl. 5. §. 23.* & huic accedens D. Osiand. *in Annotat ad Hug. Grot. l. i. c. 1. §. 14. O. 2. it.* Paul Voët. *de usu Jur. Civ. & Can. in Belg. c. 5. p. 106.* (qui tamen p. 109. distinguit inter obligare ipsam *Conscientiam* & obligare *in Conscientiâ*) provenit *Distinctio* inter *Leges Justas & Injustas*. De quarum obligatione cum quaritur, certum est, illas obligare hoc magis, quoniam cum L. Divinâ ex asse conveniunt, habentque adeo duplex vinculum, alterum ex convenientiâ cum L. Divinâ, alterum ex legitimo Superioris præcepto, sec. Sand. *d. l. §. 10.* & Osiand. *d. l. 224.* Hæ verò adeo non obligant, ut potius huic pertineat, quod est *Apor. 5. v. 29. Deo magis parendum esse, quam hominibus.* Add. *l. 15. ff. de*

10 *Condit. Instit. &c. Imperatores. §. quicumque Dist. 9. D. Joh. Conr. Dan-*
havver. Colleg. Decal. Diss. 18. tb. 19. Ubi tamen noscendum est, quæ-
 nam sit Lex injusta? Non sc. illa, quæ quid jubet prohibetvè *injustè*; sed
 quæ statuit *injustum*; & quidem, si injustum illud etiam non *perpeffu*
 modo *iniquum* sit, sed quoque *factu illicitum*. Vid. Sanderfon. *d. l. §. 7. &*
8. ac pral. §. 9 & eund. in Prælect. de Jurament. pral. 2. Sect. 13. it. Ofi-
andr. ad proleg. Grot. observo 9.

11 Ex secundo præsupposito fluit distinctio inter LL. latas à Principe
justo, & inter latas à Principe *injusto*. Nam hæ violentiæ potius sunt
 quàm LL. ideoqve non obligant. Nam deficiente causâ propriâ, effectum
 quoque deficere necesse est: id quod Judicis exemplo patescit in Jure
 12 *l. ult. ff. de Jurisd. Add. latius Sanderfon. d. l. §. 11. & seq.* Quo in loco il-
 lud expediendum est: Quid in *casu dubio*, si non constat, justusnè Prin-
 ceptus ansecus sit, an & quatenus quis obligetur in Conscientiâ tempori
 cedere, ac LL. edictis &c. hujus Principis obtemperare? Ubi tanquam
 in gravi & arduâ quæstione nihil quidem se statuere dicit Sanderfon §. 14.

13 Concludit tamen deniqve: Eum qui *de facto* Summum in Civitate Im-
 perium obtinet, etsi *malis artibus* potestatem illam sibi quæsierit, Civi-
 tatem tamen pro legitimo Principe habendum esse, eiqve ut legitimo Principi
 ex *Conscientiæ obligatione* esse obtemperandum; nisi subsit justa in con-
 trarium dubitandi ratio: h. est nisi vel certò constet vel saltem valdè sit
 probabile, aliam esse personam, cui summum Imperium meliori jure
 14 debeatur. Imò licet de hoc constet, v. g. quòd justus Princeps modò ex-
 pulsus sit, tamen interdum esse, ubi parendum sit LL. etiam injusti Prin-
 cipis: ad evitandam scil. turbationem in Rep. & ad sui ipsius conserva-
 tionem; adeoq; ex *obligatione*, non *Legis*, quæ nulla est, sed eâ, quâ quis
 etiam *Patriæ & sibi* ipsi obstrictus est: *Gratitudinis* præterea ratione
 erga Principem, sub cujus præsidio, injusto licet, nunc vivit: cum valdè
 perversum sit, sub illius Dominationis patrocinio velle vivere, cui pa-
 15 rere nolis, & cujus protectione gaudeas, ejus imperium detrectare. Atq;
 hæc sententia cum admodum sit rationi conveniens, mihi quoque vide-
 tur approbanda, imprimis, si id etiam observetur *moderamen*, ut pareat
 LL. injusti, quem dixi, Principis, quatenus saltem non adstringunt ad
 exuendam planè omnem erga legitimum Principem obedientiam. Vid.
 ipsum Sanderfon *d. l. §. 4. cum multis seq.*

16 Ex tertio præsupposito oritur distinctio inter Leges, *moralitatem*
 actui alicui constituentes, h. e. bonum eundem vel malum efficientes,
 & inter LL. vel *formam* actui præscribentes, eumque solennem ac LL.

conformem reddentes, vel libertatem actus relinquentes arbitrio hominum, saltem cum additione pœnæ. Nam sæpè contingit, ut actus ex Jure & Gent. provenientes ad usum Reip. particularem ex rationibus civilibus ita saltem formentur, ut ad jiciantur iis *substantialia*, quibus non observatis actus, utpote formâ illâ præscriptâ destitutus, sit nullus. Conf. *l. non dubium. §. C. de LL. 12. C. de Testam. t. 1. C. de Præd. min. c. 2. X. de Testib.* Sæpius etiam libertatem subjectis Legislator relinquit agendi ex præscripto, vel pœnam negligentix nomine præstandi: quæ lex *Pœnalis* (quod tamen non ex materia Legis, secus quam voluisse videtur Amestus de Cas. Conf. *l. 5. c. 25. §. 28. sed ex formâ* ejusdem petendum est) dicitur. Hæc itaq; quoties Lex involvit tantum, nec moralitatem intendit actui, nulla est ad Culpam, nedum ad conscientiam obligatio, sed vel actus nullus est, Conscientiâ manente illæsa, *Vid. Suarez. de LL. lib. 5. c. 20. & l. c. 23. Vasquez. opusc. mor. de Test. c. 3. dub. 1. Molin. de J. & J. tr. 2. D. 81. citati à Dn. Struv. Ex. 1. th. 58. vel planè, si pœna solvatur, Legis intentioni factum est satis. Vid. Sanderfon de O. C. præl. 8. §. 11. & seqq.*

Ex quarto præsupposito fluit distinctio inter LL. in veritate fundatas & inter LL. nixas in presumptionibus. De quibus posterioribus Regula est Dd. quod *Lex positivæ, quæ innititur presumptioni & non veritati, non est servanda in Foro Consc.* quam tradit Panormit. ad c. quia *legis. X. de Immun. Eccl. §. 7. lit. (a.)* Ratio est, quia ut dicitur in §. 11. *Inst. de Leg.* Plus valet quod est in veritate, quam quod in opinione. Add. August. Barbof. in axiom. *l. 14. c. 68.* Id tamen limitatur, in casu, cum præsumtio est vehemens & indubitata, quemadmodum in dante damnus & culpâ latâ, not. Valer. de Diff. int. utr. for. tit. *Lex. Diff. 12.* Add. Tit. *negatum Diff. 4.* Cui addi posse videtur, cum is, qui se fundat in præsumtivâ Lege, certus est in Conscientiâ, hoc ipsum quod præsumit Lex, erè factû esse, quod exemplo hæredis, inventariû non conscientis, infra declarabitur. Add. prol. Andr. à Matre Dei *Theol. Mor. tract. 11. c. 2. p. 4. 4.*

Denique ex ultimo præsupposito fluit distinctio inter Legem præscriptivam, (quo nomine & prohibitive intelligo. Vid. Dn. Osiand. ad rot. *l. 1. c. 1. §. 9. O. 3.) & L. permissivam, quæ non determinat sed permittit, & Cujusmodi Legem rectè haberi in Rep. probat, Dn. Mev. in Prodr. sp. 6. §. 18. & Sanderfon. præl. 9. §. 8.* Ut autem hæc Lex non obligat, ita ut averim, *Permissionem* quoque illam dicendam potius, quam permissivam Legem. Ut ut enim secundum Modestini. *in l. 7. ff. de LL. Legis vir-* sit, *imperare, vetare, permittere, punire;* At tamen permissio non est proprie actio Legis, sed actionis *negatio*; cum, quæ lex permittit, illa nec

- 23 nec præcipiat nec vetet, adeoque nihil circa eadem agat. Ex quo magis etiam patet, nec tutum quidem in Conscientiâ hanc reddere. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 14.* ibique *Ofiand. Obj. un.* idque maximè, si permissio sit *minus plena*, h. e. quò impunitatem modò dat à pœnâ, aut libertatem ab impedimento, aut utrumq; : cujus exempla recenset Dn. Pufend. *El. J. Jurispr. l. 1. def. 13. §. 6. & 7.* & B. Dn. Mev. *in prodr. Insp. 6. §. 26 de pueris Lacedæmoniorum*, res aliorum impunè surripientibus clanculum : De *Senibus* eorundem invalidis, qui suis uxoribus imprægnandis robustos juvenes substituebant licitè : De *Tartaris*, res aliorum palam justè aufe-
rentibus, si modò illarum sibi usum necessarium testarentur apud Magi-
stratus : & exemplum aliud in *Gallis & Allobrogibus*, ubi locorum Do-
minis primâ nocte cum novis subditorum nuptis concumbere jus erat, quod *Cunnagii Jus* appellat Borellus, *Conf. 1. n. 150.* citat. Gerh. Mainard. *T. 1. decis. Theol. 3. in addit. Conf. Voët. Disp. 2. de For. Poli & Soli §. 7.*
- 25 *P. 70.* Quamvis secus esse putè, si permissio sit *plena*, h. e. jus concedens licitè omninò agendi quod agitur Vid. Dn. Pufend. *de l. N. & G. l. 1. c. 6. & 15.* Nâ tunc ex illâ potestate, quâ habet Imperantes in & circa Jus Naturæ, dubiū vix est, quin, ut obligat in Conscientiâ Lex Civilis, ita eam liberet eti-
Dn. Mev. *in Prodr. d. Insp. 6. §. 18. & 20.* & in primis *Insp. 7. §. 11.*
- 26 Hinc itaq; obligant civiles Reip. alicujus LL. in Conscientiâ, sed *quatenus* à Divinâ & Naturæ L. contrariū non statuūt : à justo Principelate, vel. ab alio quidè sancitæ, ritè tamen in Remp sunt *receptæ* ; ipsâ obliga-
re Conscientiâ, nō vel *formā* saltè vel *panā* præscribere intèdūt : in *veritate* nitūtur, & deniq; nō *permittūt* tantū, d. omnino *jubēt* aut *prohibēt.*
Jam ad ipsum *Personarum Jus* procedo & quidem primo loco ad *Servos* ; De his quæritur : Num illa Civilis Dominorum Potestas possit sustineri in F. Conscientiâ : Ad quod ut respondeam curatius, præ sup-
pono, ipsam quidem Servitutem non esse contra Jus Naturæ ; secus quàm
27 defendit Ant. Diana *Ref. Mor. tom. 7. tr. 8. Ref. 1.* Nō quidè ex eâ ratione, quod etiam dentur *Servi Naturæ*, quàm *Aristotelis* sententiam explicando salvare contendunt Diana. *d. l. Dn Pufendorf. El. Jurispr. l. 1. def. 3. §. 7. in fin. & latius de l. N. & G. l. 3. c. 2. §. 8.* sed ex iis, quæ prolixè tradūt, idem Pufend. *l. 6. c. 3. D. Ofiand. ad Grot. de l. B. & P. l. 3. c. 7. §. 1.* Leonh. Lessius *de J. & J. l. 2. c. 4. dub. 9.* Dō. Soto *de J. & J. l. 4. q. 2. art. 2.* Joh. Fr. Horn. *Polit. l. 1. c. 3. §. 2.* ibiq; *in notis* Achil. Epist. quin ergò nec illa potestas, quæ immediatè ex illâ fluit, contra Jus Naturæ, aut quæ cū hoc cohæret, cōtra
28 Conscientiâ sit, facile creditu putaverim. Id enim principii loco præsuppono, nihil quod naturali Juri convenit, pugnare cum Conscientiâ posse, cum utraq; & Natura & Conscientia ab uno Deo dependeat, quem

contraria his indidisse principia, quorum tamen observatio generi humano æquè sit necessaria, contra justitiam divinam foret adserere. Hinc 29 & Conscientiæ propriam ac adæquatam Regulam non in Scripturâ S. (nam aliâs Gentes, quæ non habent Scripturam, nullam haberent suâ Conscientiæ Regulam;) sed in voluntate Dei, per Naturæ Legem revelatâ, adstruit Sanderson *de Oblig. Consc. pr. l. 4.* Id quod rectè se habet, in quantum scilicet illa Naturæ Lex per Civiles Reip. alicujus LL. postea non fuit restricta.

Cæterum cum quæ ex ultroneo consensu hominum tenuiorum 30 primùm orta videtur Servitus, mitioribusque inde conditionibus continebatur ab initio, *Vid. Dn. Pufend. d. c. 3. §. 5.* illam bello captis postea injungi paulatim receptum fit, & ex bellicâ licentiâ cum his servis durius agi tunc cœperit, adeò, ut tales occidere per iracundiam aut ob quodvis delictum impune crederetur, add. *Grot. d. c. 7. §. 2.* non æquè expeditum est, an eodem modo hæc quoq; potestas possit censi licita, & quæ Conscientiæ metum non infligat? Sanè ad Romanos quoque perve- 31 nisse illam duritiem probat *l. 1. §. 1. ff. de His qui sunt s. vel al. jur.* apud quos comparabantur quadrupedibus servi *l. 2. ad L. Aquil.* Nec abfimilem ferè Judæorum in servos nonnullos inhumanitatem notat *Selden. de I. N. & G. sec. Discipl. Hebr. l. 6. c. 8.* Enimverò, quemadmodum moderatæ servitutis Justitiâ planè defendi posse probat *Joh. Herm. Stamm. de Servit. pers. l. 1. c. 2. §. 9.* contra *Bodinum de Republ. l. 1. c. 5.* ita 32 occidendi pro lubitu servitiem esse contra naturam, omninò videtur dicendum cum *Diana d. tr. 8. Res. 4. in fin. & Bernegger. in Qq. Miscell. ad Tacit. de Mor. German. quæst. 135.* Add. *Genes. 9. vers. 5. & 6.* Etenim dum semel quis in fidem receptus est, & vitæ facta venia, patet, cessare occidendi potestatem ob pactum quod intercessit, dum is qui factus est 33 superior, vitam condonavit alteri, hac lege, si promiserit, se ipsi servitutum, h. e. facturum omnia quæ imperabit alter verò istam legem vel accepit reverà, vel accepisse saltem creditur, propter obligationem, quâ quis sibi ipsi & suæ conservationi est obstrictus. *Vid. Dn. Pufend. de I. N. & G. d. l. 6. c. 3. §. 6. & Joh. Caramuel. in Theol. Int. pag. 96. p. 1. l. 2. §. 347.* apud *Osiandr. ad Grot. 3. 7. 1.* unde hoc pacto etiam à Mancipiis servi distinguuntur. *vid. Satrianens. Episcopus Theol. Mor. art. 4. p. 98.* apud *Osiandr. ad d. c. 7. §. 2.* Add. *Alb. Gentil. l. 2. de I. Bell. c. 16. Reuter. Vestalung zu Speyr A. 1570. art. 96.* verb: *Leute nachdem sie auffgenommen sind/ nicht weiter beschädiget werden.* Hinc rectè tradit *Osiandr. ad Grot. l. 2. c. 5.*

34 §. 28. Necandi Jus non competere Dominis, nisi, præscindendo à Statu Reip. aut Ordinis Civitatis, ac concurrente sufficiente demerito & causâ supplicii. Tum enim cum superior, qui puniat, non sit, nec tamen impunita sint relinquenda delicta, demum Domino competet illa potestas: nec tamen quâ Domino, sed quâ familiæ suæ segregis Principi.

35 Illud itaque saltem Jus intelligendum erit, ex Romanorum posterioribus iisque benignioribus LL. de quo in *l. 1. §. 2. l. 2. ff. de his qui sunt s. vel al. jur. l. 1. §. 3. C. de Lat. lib. toll.* quo servi quidem manebant perpetuò: acquirebant cuncta Dominis: vendi poterant: castigari & c. sæviri tamen in eos immodicè non permittebatur. Cujusmodi etiam ferè describitur herilis potestas *Exod. XXI. Levit. XXV. 39. Deuter. XV. 12. Sirac. XXXIII. 25. Coloss. IV. 1.* & quam reducendam in Rep. Christianâ ad compescendam multorum hominum nequitiam, svadet Consalv. Briunt. Menandr. in *Dise. de Servitut. in Republ. Rom. iterum introduc. in primis p. 12. & seqq.* & ante hunc Adam Contzen. *Polit. lib. 8. c. 15.*

36 Vid. Iatius Dn. Pufend. *de F. N. & G. d. l. 6. c. 3.* qui etiam §. 9. defendit justitiam prolis servilis in servitutem redactæ, in quo illocum facit D. Osiand. *ad Grot. 3, 7, 2.*

37 Jungendum autem hic est, quod ad nostra tempora magis quadrat de *Rusticis & hominibus propriis*, qui cum antiquis servis conveniunt in non-paucis, *Ætissimus Dn. Mev. in Illustr. Decis. Trib. Wisn. p. 2. dec. 234.* & propter quos adhuc utilia esse, quæ in jure traduntur de Servis, scribit Stamm. *de Servit. pers. l. 2. c. 2. §. 7.* Add. *Zal. sing. Resp. l. 2.*

38 *c. 7. n. 8.* Cothman. *Conf. 42. n. 22. vol. 1.* Accipi hos & haberi rectè etiamnum hodiè, ubi inter Christianos desit Servitus in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti, Lessius *de Just. & F. l. 2. cap. 5. dub. 4.* dubium non videtur: tum, quia illorum conditio verum instar prisæ Servitutis non habet, tum etiam, quòd istâ ratione multis de certo & honesto vitæ genere, & certo victu prospicitur, quibus aliàs dubia hæ-

39 reret & incerta tam conditio quàm vita. Hinc non solum illi videntur justè subjici ejusmodi proprietati, qui pacto & consensu suo illuc descendunt, §. 4. *Inst. de F. Pers. l. fin. C. de Transact. l. cum scimus. 27. C. de Agric. & Censit. XI. c. grandi. X. de suppl. neglig. Præl. in 6. Deut. XV. 16. seqq.* B Dn. Mev. *Bedencken von dem Zustande/ Abforderung/ und verwt-*

40 *erterer Abfolge der Bauerleute/ art. 2. n. 48.* sed etiam qui gerendo se propriorum hominum more consensisse putantur, & præsumptionem suscepta à se proprietatis legitime præbuerunt, de quâ præsumptione videatur

tur

Idem d. arr. n. 50. seqq. & p. 4. dec. 17. Idq; inprimis, si his accesserit temporis spatium, quod quomodo variet vid. ap. Hufan. de Homin. propr. c. 5. n. 22. seqq. Stam. de Servit. person. l. 3. c. 13. n. 11. & seqq. Imò videtur dicendum, (quo pertinent *suprà* in fin. n. 55. dicta) casu quodam etiam invidum cogi posse ad hanc inprimis subjectionem admittendam; validos nimir. mendicantes, de quibus sic constitutum legitur in l. un. C. de Mend. val. & in Nov. 90. c. 3. Quibus non obstat, quod in Ord. Polis. de Anno 1577. c. 27. constituitur: ubi dum exilii pœna dicitur, non prohibetur coërcitio alia, aliis in LL. permilla. Vid. Dn. Mev. d. Bedenden, n. 203. & seqq. Excell. Dn. Abbat. Prich. fr. de Mendic. Valid. c. 16. & qui huc intendere videtur, Dn. Pusend. de J. N. & G. l. 6. c. 3. §. 10. Conf. & Excell. Dn. Præses de Fur. Sens. Disp. 5. c. 2. n. 40. seqq.

Non minus justè dicendum mihi censetur, etiam inherere his hominibus illam proprietatis qualitatem perpetuò, sic, ut vendi cum eadem possint, per l. 2. l. quemadmodum. 7. C. de Agric. & Censu. Nam cum hæc perpetuus sit operarum & alimentorum nexus, adeoq; perpetuè potius opere, quam ipsa persona videantur in proprietatem transiisse, dici non poterit injuriam facere is, qui jure suo cedit, illudq; in alium transfert; inprimis cum nihil imminuat de conditione hominis sui proprii, qui pro iisdem alimentis easdem imposterum operas, saltem alii, præstat. Illud tantum ex hoc simul patet, principii loco præsupponi, ne vendantur ejusmodi homines soli, sed simul cum fundo, cujus cultui sunt addicti, & ex quo alimenta vicissim consequuntur: quod etiam habetur in d. l. 2. & l. 7. ubi vid. B. Dn. Brunnem. num. 8. C. d. t. Ex quo Pomeraniæ mores, qui ab his LL. & quoq; conformi iis Constitutione in Fürstl. Bauer-Ordnung, tit. 11. §. Es ist auch ein Unterscheid, &c. recesserunt, ita ut pro lubitu homines proprios alienare, quemadmodum animalia, liceat, improbat Dn. Mev. d. a. 2. num. 95.

Porrò Justitiæ hujus proprietatis consequens & illud dicendum, ut proprius ejusmodi homo salvâ Conscientiâ fugere à Domino, quod quidem antiquis servis concedunt Diana Ref. Mor. tom. 7. tr. 8. Ref. 10, cum alleg. numer. 2. Lessius de J. & J. l. 2. c. 5. dub. 5. num. 14. Sanchez. Opusc. Moral. l. 1. c. 1. dub. 6. modò ad suos sese receperint, (licet id Legum potius autoritate, per §. item ea. 17. Inst. de R. Div. & l. 26. ff. de Captiv. & postlim. quàm naturali ratione, ob fidem, quâ semel se Domino Servus obtinuit. vid. *suprà* n. 33. & Dn. Osiand. Grot. 2. 5. 29. & ad 37. 6. Obs. 1. prolixè Valer. de Diff. int. serv. for. lit. P. tit. Potest. diff. 3.

- ac B. Dn Bœcler. *in diff. 4. ad Grov. de Milit. Captiv. p. 157. & seq.*) planè non possit. Idèq; magis etiam, cum & plerumq; juramento soleant obstringi suis Dominis, vel stipulatâ manu, adeoq; hi suâ voluntate sint subjecti, cum illi solâ vi continerentur ad officium. Vid. Husan. *de*
- 45 *Homin. propriis. c. 4.* Inde est, quòd, si ejusmodi homo proprius fugere instituerit, liceat tunc Domino, quibuscunq; juris privilegiis vel mediis aut retinere eum, *arg. l. un. C. Quand. lic. unic. sen. Jud.* aut capere *arg. l. un. C. de Colon.* aut vindicare. Vid. B. Dn. Mev. *p. 3. dec. 161.*
- 46 Denique etiam hoc consequitur: posse ejusmodi hominem proprium non se præscribere salvâ conscientiâ, subducendo se servitiis Domini; præprimis si malâ fide se subtraxerit, adeoq; furtum sui ipsius, ut dicitur in *l. C. de Serv. fug.* ubi vid. *B. m. Dn. Brunnem. n. 3. fecerit. Andr. Gail. de Arrest. Imper. cap. 8.* Nam m. f. in libertate morato diu, prodesse non debet longi temporis præscriptio, *l. 1. C. de Præscr. long. temp. quæ pro libert.* quod idem constitutum de adscriptitiis in *l. 22. §. 1. C. de Agric. & Censit.* ac extenditur etiam ad immemorabilem præscriptionem à Fabro in *C. l. 7. tit. 4. def. 1. n. 2.* cum quo facerem, quoad Conscientiam, (nam de jure forsân posset disputari. vid. Husan. *de Hom. propr. c. 5. num. 8.*) si in uno homine casus ille contingeret, sed quem
- 47 rarissimum esse puto. Quod si tamen quis sciente Domino discesserit, ideò forsân quòd Dominus ipso non uteretur, vel quòd substitutum acceperit (quem si magis vel æquè sit idoneus, etiam admittere in Conscientiâ teneri Dominum puto, *arg. l. 38. de R. V. l. fin. C. Per quas pers. acquir. l. 2. §. 5. ff. de Aqu. & aqu. pluv.*) cum hic fugitivus non sit, posset libertatem sibi præscribere, tempore ad id per LL. destinato. Add. *l. omnes. 4. in fin. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* ac B. Dn. Mevius *p. 2. dec. 101. & p. 1. dec. 90.* Id. *ad Jus Lub. l. 1. tit. 3. art. 3. ubi de statuto Lubec. anni unius & diei spatium constituentis, quod liberat Civem à vindictis in Colonariam conditionem, & quomodo deceat Privilegio h. art. ut Conscientia apud Deum maneat illæsa, uti, pluribus tradit.*
- 48 Caterùm de mutuo Dominorum erga homines proprios officio vide sparsim in B. Dn. Mev. *d. Bedencken von Absolge der Bauersteuer* & de servis varias quaestiones apud Moraliùm Dd. Dian. *Resol. Moral. d. Tom. 7. tr. 8. per tot. Sanchez. opusc. Moral. tom. 1. lib. 1. c. 1. per tot. Fagundez. in præcept. Decal. IV. c. 14. Molin. de J. & J. tom. 1. tr. 2. disp. 32. & seqq. Soto de J. & J. l. 4. qv. 2. Azor. Instit. Mor. tom. 2. l. 2. c. 30. cum*
- 49 *multis seqq. & c.* Cumq; de *Judeis* quoque, qui dicuntur servi Christianorum

Horum in *Esq. Judei. X. de Jude. Servi Cameræ Imperialis seu fisci, Cameræ. Inedite passim in privilegiis Imperialibus, quædam huc pertinere possint, videantur Stam. de Serv. person. l. 1. tit. 5. c. 1. & Feqq. Kitzel. Disc. de Regal. habend. Jude. quos brevitatis studio, laudasse sufficiat.*

Servitutem excipit *Patria Potestas*, de cujus *fundamento* disputant Dn. Pufend. *de J. N. & G. L. 6. c. 2. n. 4. D. Osiander. ad Grot. l. 2. c. 5. §. 1.* Fuisse autem Gentes apud quas ex illâ potestate licitum fuerit partum exponere, secus quam putavit Imperator in *Norv. 153. pr. verb. Crimen quod ne ab ullis quidem barbaris admitti credibile est.* historiarum annales docent. Add. Dn. Pufend. *d. l. 6. c. 2. §. 6. Et de Atheniensibus* in primis id certum est, qui ab *Aristotele* in eo discedebant, quod ille nil nisi mutilum, hi indistinctè omnem, etiam integrum partum abjici concedebant. Rationem eorum vide apud Dn. Joh. Eichelium *Jct. Helmst. in tract. de Jure, quo Liber. & Parent. sibi natur. invic. sunt obstr. p. 1. §. 17.* Apud *Judeos* fuisse Parentibus vitæ nesiq; in liberos potestatem, 52 sunt qui ex Scripturæ S. quibusdam locis conantur evincere. Quam in rem adducunt exemplum Abrahami, *Genes. 22. Legem. Levit. ult. v. 28. versonis Sanct. Pagnini, utpote textui Hebræo convenientioris, teste Seldeno l. 4. c. 6. de l. N. & G. sec. disc. Heb. & exemplum Jephthæ, Judic. 11. D. Osiander ad Grot. d. c. 5. §. 7. obs. un. Penes Romanos* eam obtinuisse 53 potestatem indubium est, idq; tam ex Lege, de quâ disertè fatetur Papinianus *libell. vet. quo L. Mosaica cum J. Rom. confertur, tit. 4. & Dionys. Halicarnass. l. 7. Antiqu. Rom. quàm ex consuetudine, de quâ testatur Ulpianus in l. 8. ff. de His qui sunt s. vel. al. jur. Add. l. 11. ff. de Lib. & postb. l. ult. C. de Patr. Pot. cui id quoq; accessit, ut distrahere liberos sive vendendo, sive donando, sive alio quocunq; titulo liceret, ut patet ex l. 1. C. de Patr. qui fil. distrax. quæ potestas etiamnum hodiè, si verum est quod 54 refert Sigismundus *Lib. Bar. in Herberstein, exerceri apud Moscovitas potest, ubi tunc non sunt iterum liberi, nisi post quartam venditionem. Godofr. ad d. l. 1. Dn. Pufend. d. c. 2. §. 9. in fin.**

Verùm isthæc, quæ dicta sunt, omnia, etiam ipsi naturæ esse contraria, facile viderit, cui Legem illius curatius introspicere cordi fuerit. Primum namq; hujus præceptum est, (quoad matrimonia scilicet & inde dependentia jura) liberos procreare, quod pertinet prima illa Conditoris Dei ad creatos homines vox: *Crescite & multiplicamini:* (Licet illâ benedictionem magis quàm præceptum contineri, sint qui defendant,

- dant, inter quos est Dn. Eichel. *d. tr. p. 1. §. 36.*) Alterum est, natum suum agnoscere, eundemq; fovere, cujus vestigia in ipsis etiã animantibus brutis deprehentimus. Vid. latius Dn. Eichel. *d. p. 1. §. 5. & 16.* Quicumq; E.
- 56 contra hæc committit, peccat in Naturam, peccat in Conscientiam. Neq; verò probari potest, quod suprà de Judæis adductum; quod si per Scripturæ loca concessum ipsis fuisset, nulla vetaret ratio, quo minùs Romanorum jura de necandis liberis, ac vendendis iisdem, etiam excusari,
- 57 imò rursus in nostras Resp. introduci hodiè possent. Quoad Exemplum enim Abrahami, hic non suã voluntate, adeoq; vi Patriæ potestatis venturus erat ad immolationem filii, sed ex peculiari ac expresso mandato DEI, cujus voluntati sine ullo dubio nos totos subicere necessum est.
- 58 Conf. *Genes. c. 22.* D. Osiand. *d. l. p. 733.* Quoad Legem *Levit. ult. v. 28.* ex quo conantur colligere, Parentes Judæos habuisse potestatem devovendi ad immolandum suos liberos, adeoq; jus necis, illius collectio minùs apta est, cum pertineat ea Lex non ad eos, qui in potestate Patriã aut Dominicã fuere, sed qui bello capti DEO devovebantur ad hostiam. Vide latius Dn. Eichel. *d. p. 1. §. 19.* & hanc Responf. cum aliis cumul. Dn. Osiandr. *d. l. p. 732.* Exemplum autem Jephthæ, planè nihil probat.
- 59 Præterquam enim quòd Jephtha immolationem filiæ suscepisse dicens foret non vi Patriæ potestatis, sed vi voti, quo DEO devoverat illud, quod primùm egressum fuerit è foribus domus illius in occursum ejus: valdè adhuc dubium est, an unquam filiam immolaverit Jephtha, an non potiùs cultui saltem divino & perpetuæ eam virginitati consecravit, id quod defendit Dn. Eichel. *§. 20.* D. Osiand. *d. l. p. 735.* ego verò in medio relinquo. Add. Doctiff. Selden. *de J. N. & G. sec. discipl. Hebr.*
- 60 *l. 4. c. 11.* Hinc Romanorum quoque duriores LL. nec apud ipsos fuere perpetuæ, sed à Diocletiano illas sublatas vult Theod. Marcilius *c. 24.* Sanè *l. 3. de Patr. Pot.* egregiè duritiem istam limitat, & ad justam illam moderationem deducit, quæ præscribitur etiam *Deut. 20. v. 18. seqq.* Jungatur quoq; *l. un. C. de Emend. Proping. v.* scil. ut castigare quidem modicè filios liceat, si quid verò graviori pœnã dignum commiserint, offerantur Magistratui, quò is ex Patris præscripto pœnam imponat, ipsum autem Patris imperium in pietate magis quàm in atrocitate consistat. *l. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* Add. D. Balduin. *de Casib. Conf. l. 4. c. 14. cas. 5.* Confer etiam *Celeberrimum Juris Publici Doctorem Dn. Nicol. Myler. ab Ehrenbach Gamolog. Person. Illustr. c. 22.* ubi nec Parenti Principi licere, pœnã corporali adficere filium delin-

linquentem, fuse probat contra dissentientes. De Venditione etiam æ- 61
 quissima LL. lata sunt, inter quas imprimis legi merentur Leges Con-
 stantini M. quæ sunt l. 1. & l. 2. *C. Theod. de Alim. qua inop. Parent. de publ.
 peter. deb.* ubi addatur Jacob. Gothofr. in *Nor.* Cui tamen cum vel ob
 Magistratum avaritiam, vel urgentem Parentum necessitatem non sa-
 tisfieret, lata est ab eodem alia, quæ est l. ult. *C. Justin. de Patrib. qui lib.
 distrax.* ubi permittitur quidem venditione id iustum est, ut vendidus
 quandocumque possit repeti, restituto saltem vel pretio vel mancipio alio.
 Add. Philipp. Paschalis *de Virib. Patr. Pot. p. 1. c. 1. n. 6. & seqq.*

Atque hæc quidem potestas sic considerata non pugnat cum na- 62
 turæ vel Conscientiæ LL. Cum enim educare liberos natura jubeat,
pr. in fin. Inst. de f. N.G. & C. l. un. vers. sicut. C. de Rei uxor. act. ad
 quod pertinet etiam virtutem & artem, quæ exhibere ipsos se aliquan-
 do possint, docere; ad id verò propter humanæ pravitatem naturæ di-
 sciplinâ opus sit, sine Imperio hæc esse non posse statim apparet. Im-
 perium autem cum sine coërcitione nullum sit, modicam hanc concedi
 Parentibus debere omninò certum est: quod nec quisquam ne-
 gat, accedente imprimis præcepto etiam divino *Prov. 13. 24. & 23. 13.
 Sirach. 30. Ephes. 6. 4.* Deinde cum ad alendum quoque teneantur Pa- 63
 rentes, *Conf. l. 4. ff. de Agnosc. & alend. lib. c. si quis reliquerit. 30. Di-
 stinct. Paschal. d. tr. p. 2. c. 3.* possint autem hi ad eam redigi necessita-
 tem extremam, ut neque se neque liberos alere queant, quis dubitaret, pos-
 se tali casu parentes omninò aliis tradere liberos, eâ fini, ut ex ipsorum
 olim operis & ipsi & Pater, si alia vitæ subsidia non suppetant, vivere
 queant? Vid. Dn. Eichel. *de Jur. quo lib. & Par. nat. fil. sunt obstr. p. 1.
 §. 25. 29. 33.* Hæc enim præstat, filium in servitutem tolerabilem tradi, ex
 quâ emergendi iterum aliqua spes est, quam fame extingvi: & defen-
 ditur id factum inde, quod natura ipsa censeatur jus dare ad omne id,
 sine quo obtineri nequit, quod ipsa imperat. *Grot. de f. B. & P. l. 2. c. 9.
 §. 5. ibique D. Osiand. obs. un. Dn. Pufend. d. c. 2. §. 9.* Ex quo, cum extra 64
 respectum Civitatis & juris matrimonialis etiam Matrem liberos alendi
 onus premat, clarum simul fit, naturaliter quoque hanc, urgente justâ
 necessitate, posse vendere filium, licet Romanum Jus Patriæ potesta-
 tis effectum hunc esse voluerit. Vid. Dn. Eichel. *d. §. 25.* Cornel. Be-
 nincal. *in tract. de Paupert. in 7. qv. priv. §. n. 17.* citatus à Paschal. *d.
 c. 1. num. 12.* Add. possunt Lessius *de f. & f. l. 2. c. 5. dub. 4. §. 17.* Fagun-
 dez. *in præc. Decal. 4. c. 1. Sanchez. opusc. Moral. tom. 1. l. 1. c. 1. dub. 13.* cui 65
 tamen

- tamen vix concessero generaliter, quod tradit *n. 1. Patrem in castro obsessum posse, ne fame pereat, filium impune, saltem in foro exteriori, comedere*; Add eleg. locum app. Thom. Lansium *in Consult. Orat. pro Hispaniâ p. 221. Ed. Tub. 1655.* id quod reprehendit etiam Molin. *d. f. & f. tom. 1. tr. 2. Disp. 228. n. 2.* Add. quoq; ad Deuteron. 28, 57. & ad 2. Reg. 6, 28. & seqq. Theologos nostrates.) Azor. *Inst. Moral. tom. 3. l. 8. c. 6.* Soto de *f. & f. l. 4. qu. 2. art. 2. concl. 2.* Covarruv. *lib. 3. Resol. var. c. 14. n. 4.* & alii.
- 66 Penfatur autem illud P.P. Jus obligatione Parentû ad Alimenta Liberris præstanda: quorum nomine quæ veniant, vide ap. Dn. Pufend. de *J. N. & G. l. 4. c. 11. §. 6.* D. Osiand. *ad Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 4. O. 2. n. 3.* & cit. à Paschal, de *virib. P. P. p. 2. c. 3. num. 90. Naturale debitum.* Alimenta ista Grotius appellat, de *J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 4. num. 2. in fin.*
- 67 idque arg. *l. ult. §. 5. pr. ibi: filium alere patri necesse est, non propter hereditates sed propter naturam. & in fin. ibi: cum Parentes alere eos secundum Legem & naturam compellantur. C. de Bon. quæ liber.*
- 68 Et licet Debitum saltem esse in laxiori significatione, i. e. quod tantum nisi inhonestè omitti non potest, dicat Grotius *d. §. 4. n. 1. verum tamen illud ac proprium esse, defendit D. Osiand. ad d. §. 4. obs. 1. ac Dn. Pufend. d. c. 11 §. 4.* Imò adeò hoc est perpetuum, ut dicat Azor. *Inst. Moral. p. 2. l. 2. cap. 4. quæst. 16.* Si filius per 10. annos alibi sit sustentatus, & per id contraxerit debitum, teneri patrem in F. C. debitum illud
- 69 omninò solvere. Nisi tamen vel ipsi jam se exhibere Liberi possint, per *lib. 5. §. 7. de Agnosc. vel al. lib.* ibique B. Dn. Brunnemanum *num. 12.* vel præbendo se ingratos fecerint, ut indigni alendi beneficio habeantur. *d. l. 5. §. 11.* Add. *Magnif. Dn. Eric. Mauritium, Jutorum Kiloniens. olim Primarium, nunc Cam. Imp. Adsessorem, Præceptorem quondam ac Fautorem meum Honoratissimum, Consil. Kilon. p. 2. Consil. 1. n. 75.* & Bened. Ægidium, de *J. & Privil. Honest. art. 7. n. 14.*
- 70 Sed, cum liberi non omnes eadem honestate producantur, verum alii ex honesto matrimonio, alii ex concubitu prodeant illegitimo, dubitari potest, num etiam Parentû eadè quoad alimenta pietas esse erga quosvis debeat. Equidem Jus Civ. Roman., cum concubinatum adhuc habuerit licitum, permissione licet minùs saltè plenâ, Vid. Dn. Struv. *Syntagm. Civ. Ex. 30. th. 77. Natural.* qui inde proveniebant, nihil hic ab alèdi pietate detraxit. Ex vaga quoq; libidine procreatis Spuriis adhuc alèdi beneficiû
- 71 concessit *d. l. 5. §. 2. ff. d. t.* Sed damnatos quos vocat *Coitus*, nim. adult. & incestu, adeò habet invisos, ut qui ex his profecti fuerint, illis nec alimèta præ-

beri à Parentibus voluerit. *Auth. Licet. in fin. C. de Natur. Liber. Auth. ex Complexu. C. d. Incest. nupt.* idque non quidem filiorum, odio, quorum nulla culpa. 7. *C. de Natur. liber. sed odio parentum, Nov. 74 c. 6.* qui pro affectu magis in liberis terrentur l. 8. ff. *Quod met. caus.* Add. Paschal. *de virib. P. P. p. 3. c. 1. n. 1. seqq.* Enim verò, præscindendo à Civilijure, (quò Romanos tamen Cives utique dicendum est tutos reddidisse in Conscientiâ, cum ipsi, licet maxime voluerint, non potuerint, ob prohibitionem Legis liberis succurrere). Vid. Dn. Brunnem, *ad d. Auth. ex Complexu*) omninò videtur dicendum, non posse se subtrahere parentes, nec hujusmodi partibus; quippe cum hi eodem modo (naturali scil.) liberi sint, quò nati ex justo matrimonio. Add. Valer. *de Differ. int. utr. for. lit. A. tit. Alimenta diff. 1.* Hinc quoad *Adulterinos* contrarium quoque 73 recepit Jus Canon. in. c. *cum haberet. X. De eo qui dux. in matr.* Id quoad *Incestuosos* quoque Dd. extendunt comm. Vid. Palzot. *de Notb. c. 46.* Struv. *Ex. 30. tb. 79.* B. Dn. Brunneman. *ad dd. Auth.* Et addidit Jus Canonicum, subministranda ipsis necessaria secundum quod Parentibus facultates suppetunt. Ex quo subsumunt Dd. 74 etiam secundum statum, dignitatem ac conditionem dari alimenta, debere. Molin. *de J. & J. tr. 2. Disp. 168.* Diana *Ref. Moral. tom. 9. tr. 2. Ref. 285.* cum alleg. n. 5. tamen limitat Valer. *d. l. in fin.* ut non ita largè ac si essent legitimi, per text. in *l. sed si quid 15. §. sufficienter. 2. ff. de l. usufr.* Add. Paschal. *d. tract. p. 2. c. 3. n. 43. & seqq.* Imò ipsam Juris Civ. dispositionem intelligendam esse non de alimentis, sine quibus partus vitam amitteret, cum hoc natura juri foret contrarium; sed de iis alimentis, sine quibus per laborem vel alio modo vitam conservare posset, putant Azor *Inst. Mor. d. p. 2. c. 12. qv. 1.* Molin. *d. Disp. 168. n. 1.* Mæstert. *de Justit. LL. Roman. l. 2. dub. 7.* Add. Acac. Enenk. Baro. *de Privil. Parent. Priv. 7. c. 3. n. 17.* Surd. *de Aliment. tit. 1. qv. 10. n. 28.* D. Osiand. *ad Grot. 2, 7, 4. obs. 3.* Vide pluribus Fagundez. *ad præc. Dec. 4. c. 2.* Herm. Busenb. 76 *Medul. Theol. Theol. Mor. l. 3. n. 3. c. 2. dub. 2.* Molin. *tr. 2. Disp. 228.* Azor. *d. p. 2. l. 2. c. 3.* ubi etiam de vicinâs his quæstione, de officio, quo vicissim Parentibus tenentur Liberi, imprimis, de alendi mutuo debito tractant, de quâ Azor. *qv. 2.* statuit: *Filium teneri Patrem alere, etiam, licet hic sit Paganus vel hereticus, vel Judæus, vel etiam anathemati subjectus;* Ratio: quia quamdiu, vivit Pater, spes esse conver-

tionis potest, quam præscindere, negando alimenta, quod nihil aliud est, quam necare *l. necare ff. de agnosc. & alend. lib.* contra Consc. & pietatem foret. Limitat autem *qv. 3. in fin. dummodò non sit hostis Reip. aut proditor*, propter majorem sc. quâ Patriæ quis obstrictus est *27 Cic. 5. Ph. lipp. c. 6.* obligationem. Præter hæc *accessorium P. P. est*, acquirere Liberos quicquid acquirant Parentibus *§. 1. f. per qu. Pers. cuique acquir.* Id tamen sub notâ *Peculiorum* distinctione hodiè: quam tradit & pulchrè explicat *Magnif. Dn. Job. Pomeresch. f. Ctus & Antec. Gryphio. Fautor meus honoratiss. in Tyroc. Juris ad Inst. d. t. §. 1.* Verùm ista cum per singulas suas species, breviter quidem sed elegantissimè, ad naturæ, h. e. Conscientiæ regulas revocet, & quæ super iis Romanæ LL. tradunt, æquissimâ ratione cuncta niti ostendat. *Dn. Pufend. de f. N. & G. l. 6. c. 2. §. 8.* pluribus in his immorari operæ pretium non videtur. Neque aliter de *modis solvendi P. P.* sentio, circa quos nihil subesse dubii quoad justiciam LL. de his disponentium, & Conscientiam arbitror quò tamen usque se extendant, & quem effectum circa pietatis & observantiæ debitum habeant, conferri poterunt *Dn. Pufend. d. c. 2. §. 10. & Dn. Bœcler. ad Grot. 2. 5. 6. p. m. 153. & seqq.*

78 Sequitur *Maritalis potestas*, quæ cum tanta olim esset, ut vitæ necisque jus in Uxorem justè usurparet Maritus, Vid. *Exell. Dn. Lederer. de f. Bell. Privat. l. 2. c. 4. §. 8. Dn. Pufend. de f. N. & G. l. 6. c. 1. §. 11. Joh. Fr. Horn. Polit. l. 1. c. 1. §. 4. & seqq.* (qui Jus illud in naturâ Imperii Maritalis statuit consistere, notatus ideò à *Comment. suo Acbill. Epstein. in not. ad §. 5.) Arnifæ. Polit. l. 1. c. 3. p. 64.* temporum successu & postquam Romani mitioribus imbuti moribus, in moderatam castigationem, uxoribus impunè applicandam, meritò desiit. Vid. eleg. Ludov. de Vives, in *lib. de offic. Marit.* Circa hanc quidem pluribus discuti posset: An eo usque se extendat, ut etiam
79 verbera adhibere uxori liceat? (Sanè enim ob effrenem sceminarum quarundam malitiam contumaciamque, quæ verbis demulceri nequit, nâ verberibus expellatur penitus, ut ait *Dn. Lederer. d. l. §. 10.* excludenda illa non omninò videntur, Nec sine causâ *ad c. quicumque dist. 30.* duo magni Nominis Jcti, festivè licet non minùs quàm durius, adnotarunt: *idcirco relictos esse faminis crines, ut viri invenirent in*
80 *illis, quo trahi possint & ligari, Arnifæ. Polit. 2. c. 3. p. 61.* Justâ tamen moderatione, & ne præcipiti nimis consilio ad hæc deveniatur; prout
proli-

prolixius inculcat Sanchez. *de Matrim. tom. 3. lib. 10. Diss. 18. §. 14. 15. 16.* cum alleg. Paschal. *de Virib. Patr. P. p. 3. c. 4. n. 20. & 27.* cum alleg. Add. *l. Consensu §. 2. in fin. C. de Repud. & Nov. 117. c. 14. B. Dn. Bened. Carpzov. Jurispr. Consist. l. 2. def. 216. 218. 219.* Sed cum originem ista potestas ex matrimonio habeat, magis placet ad hoc & Præparatoria ejus, *Sponsalia*, pergere.

Sponsalia definiuntur, quod sint *mentio & repromissio futurarum nuptiarum. l. 1. ff. de Sponsal.* De *Obligatione* autem horum, unum, (cum reliqua sint minus dubia) lubet examinare: an in *Sponsalibus* sufficiat consensus fictus, ad hoc, ut teneant in *Conscientiâ*? Sæpè namque videmus fieri, ut promittantur multa, quæ servare unquam animus non induxit: quorum fides cum exigitur deinde, sufficere putatur ad ad excusationem, non id sensitse. Et quidem, quod in materiâ *promissionis* fictæ comm. tradunt Dd *Moralium*, *promissionem* sine animo se obligandi verò sed tantum ficto, non obligare promittentem, *arg. l. 3. §. 1. & 2. ff. de O. & A. gloss. in c. 3. X. de Voto.* idem hîc ait Sanchez. *83 de Matrim. tom. 1. l. 1. D. 9. n. 5.* idque ex eâ ratione, quia *obligatio* *promissionis* provenit ex *L. Positivâ*, quam quis sibi ipsi imponit: Sed nulla *Lex* obligat, nisi *Legislator* velit ut obliget, E. cum hîc promittatur animo non se obligandi, *promissio*, quæ est *lex privata*, non obligat. Vid. & *Layman. Theol. Mor. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10.* Hinc nec si *juramentum* accesserit, hîc plus *obligationis* addi contendunt. Sanchez. *d. Diss. n. 9. cum alleg. tum*, quia *juramentum actum* per se *invalidum* non *validat*. per *l. 5. C. de L. L.* tum quòd *DEUS* non acceptet *juramentum* nisi secundum *hominis intentionem*, *exc. humana aures 22. quest. 5.* Atque, *suppositâ etiam Jur. Civil. adsertione*, quòd *ubi consensus verus non est, ibi nec fit obligatio*, omninò quidem dicendum, quòd ista rectè se ita habeant. Verùm, si ad *Conscientiam* quis descenderit, & hinc petierit *causæ suæ decisionem*, an hîc eodem modo tutus esse possit, valdè dubito. Etenim si *præstare* noluit, cur *promisit* (Grave est, *fidem datam fallere. l. 1. ff. de Const. pec.* Induxit saltem alterum ut *redamaret*, contra quem itaque huic *dolus* suus *prodesse* non debet. *l. 12. ff. de Dol. Add. l. 74. & 155. ff. de R. J.* Aliqua hîc adest *naturalis obligatio*, cum quis non possit velle *externa promissionis signa* proferre sine *implicito animo* sese obligandi: saltem enim tenebatur in *Conscientiâ* non aliter loqui, quam sentiebat: *naturalem autem obligationem tollere* quis

fuâ voluntate non potest. *Vid. lat. Basil. Pontius. de Matrim. l. 2. 4. & l. 12. c. 2. ac Gabr. Vasq. Disp. 6. de Matrim. c. 3.* Multo itaque magis, si juramentum accesserit, stimulos sentiet Conscientia, dum frustra DEUM adsumsit in testem rei nunquam futuræ, & illufit sanctissimo 86 hujus Nomini. Add. Diana *Ref. Moral. tom. 2. tr. 6. Ref. 8.* Nec sine injuriâ hîc dici potest, DEUM acceptare juramentum saltem, secundum intentionem jurantis, cum sic perjurium nunquam futurum sit, à quò quilibet objiciendo reservatum mentale se posset liberare: sed *d. Can.* aliter longè quàm de doloso juramento intelligendus est. *Vid. Soto de J. & J. l. 8. q. 1. art. 7. n. 4.* Quin potiùs huc pertinet, quod est in *c. quacunq. d. qv. 5. XXII. Quacunq. arte verborum juret, Deus tamen, qui Conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur.* *Vid. alleg. apud Sanchez. d. Disp. 9. §. 8.* à quibus tamen ipse dissentit. Confer. etiam *Excell. Dn. Præf. de Jure Sensuum Disp. 10. c. 3. num. 10. & seqq. ac Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 13. §. 3.* ibique *D. Osiand. obs. 2.* Inde igitur dubium videtur, quin teneatur in Conscientiâ fîctè promittens: nisi fortè differentia est statuenda 88 inter peccare mortaliter, & teneri in Conscientiâ, quod quidem statuit *Scotus in 4. dist. 39. qv. un. art. 3.* notante *Valerio de Differ. utr. for. lit. I. tit. Juramentum. diff. ult.* mihi verò vix admittendum videtur idèò, quòd quilibet teneatur exire è peccato suo, quod non facit is, qui continuando pergit in eodem,

89 De *Dissolutione Sponsalium*, (ut rerum simul & verborum compendium faciam) quæritur: An si quis ex causâ Jure Civili permissâ resillire à Sponsalibus queat, justè quoque idem faciat in Conscientiâ; Graviter quidem & *Divini ac Humani Juris scientissimus Dn. Mevius in Decis. Wismar. p. 5. dec. 211.* *Aperietur, inquit, infinitis turbis, scandalis & malis occasio, omnisque peribit conjugiorum sanctimonia, litibus omnia istorum fient obnoxia, si permittatur, ut sponsalia in-* 90 *untibus supersit quicquam ultra id, ut sanctè servent.* Hinc, quàm in rectè constitutis Consistoriis non modò non licitum, sed nec impune sit, mutuo consensu dissolvere, quod & Civili Jure dicit esse permissum, *l. 1. C. de Spons. l. 2. ff. de Divort juxta l. nihil tam naturale ff. de R. J.* nec prohibitum Jure Canonum, *c. præterea X. de Sponsal. declarat n. 1. & n. 3.* Inde nec injuriarum actionem, à contrahentium altero intentatam, admittendam censuit Summum Tribunal *de dec. 211. & d. 213. p. cad. ubi num. 5. Pius quoque judex*

ante

ante omnia inter iurgia desponsatorum eo contendere debet, ut animi reconcilientur, & ad consummationem voti persuadeantur. Sed 91 enim, si rectè inspicatur mens Magni JCU, non hoc ille vult, quasi planè non liceat recedere à sponsalibus, etiam ex juxta causâ & gravi; Nam utique dantur causæ, propter quas nec volentibus matrimonii consummatio concedenda, e. g. si alter sit leprosus, vel paralyticus, vel si alio morbo contagioso laboret, per quæ vitia ipsa impeditur cohabitatio, censente ita Carpz. *Jurispr. Eccles. l. 2. def. 180. n. 6.* quibus casibus multò magis licebit discedere ab invicem; sed id 92 saltem voluit præmonere, ne à tam sancto fœdere temerè discedatur, autoritate propriâ, & causâ ad Magistratum vel planè non vel dolosè deductâ. Quæ enim Spiritualia sunt, & ad Conscientiam pertinent, facilius construuntur quam destruuntur *c. inter, 2. X. de transl. Episc.* Et si secus fiat, & alter contrahentium, quantumvis innocens, ante separationem à judice legitime factam, an alia vota transeat, ipso facto adulterium committi, *L. Eum qui duas. C. de Adult. c. nuper. X. de Bigam. non ordin.* unde & infamia sequatur *l. 1. inf. l. quid ergo. pr. ff. de His qui not. inf. autoritatibus & rationibus gravissimis confirmat Ernest Cothmann. Resp. 10. n. 215. & seqq. vol. 1.* Quòd si tamen adito Magistratu hïc causam deprehenderit fati gravem, & propterea dissolvere velit vinculum; quin hoc casu etiam bonâ Conscientiâ illud fiat, dubium non videtur. Hinc idem quoque 93 B. Dn. Mey. *p. 4. dec. 99. De retractio*, inquit, *observantia promissi & Consummationis Conjugii cum Sponso post publica Sponsalia est quidem injusta, divino & humano Juri contraria: attamen ex causâ fieri potest non injusta, cum multiplex sit, ob quam salva pietate & justitia retractare vel non observare liceat, ideo reluctantem à vinculo absolvere fas est.* Et *p. 4. dec. 45.* rectè ob inimicitiam irrecònciliabilem solvi posse quod intercesserat votum, idem statuit, & consentire in hoc Theologorum ac Jctorum sententiam, ait. Vid. *not. ib. d. imprim. num. 1. 4. 7. 10. & c. requisivit. 17. X. de sponsal.* cui addit Cothman. *d. Resp. 10. n. 240.* justè etiam permitti hoc in casu parti innocenti ad alia vota transire, per *1. Corintb. 7. 15.* vid. *alleg. n. 246.* Imò ob furorem 94 quoque, Epilepsiam, paralytm, aliumque morbum contagiosum, anhelitus foctorem, (quem tamen ad gravem ac molestum, & ex corporis vitio proveniente restringit *Excell. Dn. Præs. de Jure Sensuum*

disp. 5. c. 2. n. 12. 13.) & similia, quæ connubialia officia vix admittunt, justam esse voti solutionem, communi Theologorum ac Jcutorum consensu probat *idem* Dn. Mevius *d. dec. 43. n. 9.* Cui addi potest, quod de insigni deformitate superveniente e gr. quòd r. asum, quòd oculos (an *idem* circa oculum, vid. *Excellentiss. Dn. Præl. d. tr. de J. Sens. Disp. 2. c. 2. §. 11. & seqq.*) amiserit alter, Pontifex constituit in *c. quemadmodum. 25. X. de Jurejur.* justè scil. propterea dissolvi votum, impediendo nimirum, ne matrimonium difficilem fortiatur exitum, per *c. requisivisti. X. de Sponsal.* Quod si ergò, intervenientibus his & talibus causis etiam verè quis sentiat, difficilem exitum habiturum esse matrimonium, idè quod planè nequeat amare vitio ejusmodi laborantem, tunc justius etiam aget, si petendo dissolutionem, inausi Conjugii periculum avertat, quàm si consummando incurrat in dissidia & odium, forsitan & extraneos amores, quæ averti non posse verè prævidit. Conf. Dn. Capzov. *dict. l. 3. def. 180. & seqq.* Job. Gerhard. *Locorum Theolog. tom. 7. de Conjugio. §. 167. & seqq.* Paul. Cypræ. *de Spons. c. 13. n. 65. & seqq.* Mæstert. *de Jussit. LL. Roman. l. 2. dub. 12.* Adde quoque Dianam *Resol. Mor. tom. 2. tr. 6. Res. 15. cum multis seqq.* Molin. *de J. & J. tr. 2. disp. 272. n. 4.* Sanchez. *de Matrimon. lib. 1. Disp. 57. cum multi. seqq.* ubi plura etiam Sponsaliorum materiam illustrantia tractantur.

96 De Tempore Sponsalium paucis lubet jungere, nullum subesse vitium quâ ætate contrahantur, non obstante *c. 2. X. de Despons. Impub.* quippe quod de Matrimonio & cohabitatione intelligendum est Sanchez. *d. l. Disp. 17.* Diana *d. tr. 6. Res. 2.* unde Impuberibus quoque ea contrahere permittitur. *l. 14. ff. de Sponsal. t. 2. X. de Desponsat. Impub.* imò Infantibus etiam, si malitia suppleat ætatem: *arg. d. l. 14.* Vid. Sauchez. *d. l. D. 16. cum alleg. plur. n. 9.* Dian. *dr. Res. 3.*

97 cum *alleg. n. 3.* Illud quidem magis dubium videtur, an inter adultos eo tempore liceat contrahere hoc votum, quo alter contrahentium jam in Conjugali vinculo constitutus, prospici sibi cupit in casum viduitatis; Sed tamen, quemadmodum id admitti non possit, in scio conjugè altero, ob periculum insidiandi vitæ illius, *arg. c. 3. c. 6. X. de eo*

98 *qui dux. in matr.* & quòd hæc insignis levitatis nota esset; Adde insigne sed tragicum exemplum, quod in Galliâ hoc seculo Anno 1616 contigit, apud Gabr. Barth. Gramondum *hisor. Gall. l. 2. p. 159. & 141. Edit. Amstel.* quòd cum Messalini & Sullii facinore comparat elegantissimus

tiffimus Author) Ita admittunt Dd. si hæc res initium capiat ab eo, cui mors imminet, & is adfectione & pietate ductus erga superstitem conjungem huic eligat alium, in casum viduitatis ? quo casu alter forsitan non peccaret, admittendo pietatem morituri. Quamquam ego putem, hinc spem potius sponsaliorum contrahi, quam ipsa sponsalia & omnino peccatum esse dicendum, si vera hæc contrahantur vivente altero. Conf. Dn. Philippi *Ulf. pract. Ecl. 58.* Intra Luctus quoque 99 Annum an liceat sponsalia contrahere, misso Senecæ judicio *Epist. 63 §. Annum feminis*, dependere puto ex circumstantiis ; v. gr. si valde lauta conditio offeratur, nec res patiat moram certumque sit, viduam ex priori marito gravidam non esse &c. Honestius tamen & minus cum scandalo id fiet, si luctus tempus jam transactum sit. Vid. B. Dn. Brunnemann. *ad l. 1. n. 13. C. de Secund. Nupt. Carpz. def. 161.* Jacob. Guth. *de Jure Manium l. 3. c. 78.* Mæstert. *de Just. LL. Rom. lib. 2. dub. 8.* & eleg. Arnixæ *de Jure Connub. c. 5. Sect. 4. in fin.*

Circa ipsum Matrimonium primò venit discutiendum, an sit aliqua ad illud in Conscientiâ obligatio, an verò in Cœlibatu vitam degere magis sit Conscientiæ consentaneum ? quod scire maximè refert ideo, quò noscatur, quidnam potestatis LL. Civilibus competat circa adstringendam aut tollendam Matrimonii contrahendi necessitatem, de quo *Clariss. Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 6. c. 1. §.* Dubitationi ansam dedit *1. Corintb. 7.* ex quo Tacian. *Cassius. referente Clem. Alexandr. 5. Strom. & Tripart. lib. 4. c. 27.* ac Hieronymus *l. c. Advers. Jovian.* multis argumentis deductis Cœlibatum propugnant, ac Conjugium vituperant : & è contrario Mores Gentium, qui contumeliis non paucis ac pœnis provocare ad Conjugia cœlibes consueverunt : Vid. *Arnixæ. 1. Pol. 3. p. 41.* Verum utrique videntur errare, & qui nullos homines admittunt ad Conjugia, & qui adstringunt omnes. Quoad illos enim, præterquam quod Paulus Conjugium simpliciter non condemnat, sed cœlibatum in isto genere vitæ, istâ seculi quæ tunc erat conditione, præfert, quod ex ipso, textu satis patet : nota est facta ab ipso Deo in Paradyso institutio, præviâ deliberatione : *Non est bonum, hominem esse solum. Gen. 2. v. 18.* & subsequente vel præcepto, (Ita *Rabbini Comm. Selden. de J. N. & G. l. 5. c. 3. Carpz. Jurisp. Confess. l. 2. def. 5. §. 7.*) vel saltem benedictione (vid.

supr.

102 *supr. n. 55.*) *Crescite & multiplicamini. Genes. i. v. 28.* Ex quibus omnino apparet, voluisse summum Creatorem institutum esse matrimonium, non aliâ fini, quàm ut propageretur humanum genus; in didisseque adeo obligationem quandam ad illud, ne eo omisso vel desineret animal nobilissimum, cujus causâ cuncta facta essent reliqua, vel saltem per scelera & libidines excresceret in opprobrium divinæ

103 institutionis. Hinc ipse quoque Aristoteles *i. pol. 2.* per naturalem appetitum necessitatem Conjugii demonstrat, cujus thesin. defendit Dn. Pufendorff. *Elem. Jur. l. 2. obs. 4. §. 9. & de F. N. & G. d. l. 6. c. 1. §. 3.* inde naturalem obligationem deducens, imprimis cum isti appetitum honestè nisi in matrimonio satis fieri non possit, prout uberius

104 explicat Idem *d. l. §. 5.* Quoad posteriores autem, licet cœlibatus sua secum vitia trahere possit, nec forsan ineptè præsumatur, vetitis amoribus ignem extinguere, qui licitis nolunt, attamen fieri omnino quoque potest, ut quis *perfectam illam Philosophiam*, quemadmodum dicitur in *Nov. 74. c. 4.* assequatur, quòd possit resistere vel nec sentire quidem furorem amoris vehementissimum, aut refranare insipientem atque inhærentem concupiscentiam; qui ideoq; multò se aptiorem sentiat promovendis publicis commoditatibus in cœlibatu, quàm

105 in certissimâ curarum ac laborum causâ Matrimonio. Optimè itaq; sentire mihi videtur Dn. Pufend. *d. c. 1. §. 7.* ubi decidit. Esse quidem ad ineundum matrimonium obligationem naturalem, sed eam tamen tantum per modum præcepti *adfirmativi, indefiniti & indeterminati*, quodq; non *singulos* necessario & *quovis tempore* obliget: hinc non injustè ex *status ratione*, (Adde de Matrimonio ex Status ratione contracto. *Dian. Resol. Moral. tom. 2. tr. 6. Res. 200.* cum alleg. *n. 3.* & in personâ Principum, *Celeberrimum Juris Publici Doctorem*, Dn. Nicolaum Myler. ab *Ehrenbach's Gamolog. Person. illustr. c. 3. & 4.*) vel iniri vel differri, vel planè etiam omitti Conjugium, omnia pro conditione utilitatis tum *privatæ*, quam quilibet quærere ipsâ Naturæ lege jubente cogitur, tum *Reipublicæ*, in quâ vivit, & ex cujus utilitate suas metiri, tanquam Civis bonus, debet; In quo licet contrarium habeat

Excell. Dn. Ziglerum, Conjugium ex ratione status tam in Principe quam in privatis, & in his quidem potissimum, improbantem *Dicast. Concl. 8. 5. 2. usq; ad 11.* id tamen ego, salvis cœteris cum mente Apostoli *d. 1. Cor. 7.* probè convenire arbitror. Add. *Bened. Agidius de F. & priv. vil. Honestat. art. 6. n. 7.* *Arnif. d. polit. l. 1. c. 3.* *Gerhard. in*

Loc. de Conjugio §. 490. & seqq. & Carpzov. d. l. 2. def. 4. & 5. ubi etiam de Conjugio Clericorum, (quod nec negandum illis, nec imperandum docet,) de quo conferri quoque potest Disputatio M. Ludov. Eberharti cui titulum fecit: de Clero Germaniæ, pro uxoribus suis pugnant. & Celebr. Dn. Ziegl. ad Jus Canon. l. 1. tit. 25. §. 19. not. fin. & §. 21. not. un. it: D. Osiand. ad Grot. 3. 4. 2. p. 386. & seqq. Sed hoc ἐπιπέδω.

Uterius, cum Civili Jure ad Matrimonii subsistentiam requiratur Parentum Consensus, ita ut hoc deficiente ex iustâ causâ, nullum sit Matrimonium *l. 2. l. 8. l. 35. ff. de R. N. l. 2. C. de Nupt. l. 10. ff. de Stat. Hom. l. un. C. & Rapt. Virg.* imò exheredari liberos contrahentes posse, per *Autb. sed si post. C. de Inoffic. testam. statuunt Valer. de Different. utr. For. Tit. Matrimonium. Diff. 1. n. 1. Fachin. 3. Controvers. 44. Gothofr. ad l. 15. ff. de R. N.* quaritur quid circa hæc in Conscientiâ factum sit vel non? Et Canonistæ quidem tantum non omnes, qui Parentum Consensum in nuptiis requiri de necessitate uno ore negant, in tantum, ut testetur Palæot. *de Spur. c. 8. n. 3.* reperisse se neminem, qui contrarium sentire ausus fuerit: *add. c. Cum virum. X. de Regul. c. sufficient. 27. qu. 2. c. cum causa. X. de Rapt. c. Cum apud. 23. X. de Sponsal. c. veniens. 13. X. eod. in F. C.* non posse Parentes contra ejusmodi nuptias venire, aut punire liberos, audaçter affirmant. *Allegati magno numero apud Valer. d. l. n. 3.* idç potissimum eâ ratione, quòd ita iusto metu pœnæ coarctetur & impediatur matrimonii libertas: At pœna, quæ principaliter tendit ad impediendam libertatem Matrimonii, non valet. *c. Gemma. X. de Sponsal.* Enimverò quàm falsum sit horum præsuppositum, latissimè deduxit Gerhard. *d. l. de Conjug §. 75. ad 84.* Ad rationes quoç respondet Mæstert. *de Just. LL. Roman. l. 2. dub. 1.* Potius ad liberorum matrimonia necessariò requiri Parentum consensum, probat ex Divino, Naturali, Civili, Canonico Jure, ex aliis præterea argumentis pluribus Gerhard. *d. l. §. 59. ad 75.* & in peculiari libro *de Nupt. sine Parent. consens. non contrab.* Hadr. Pulvæus §. 5. seqq. ac novissimè Henr. Petr. Habertorn/ *Decis. Jur. Dec. 128. Add. Cypræ. d. Sponsal. c. 6. §. 6. Dn. Ziegler. ad Jus Can. l. 2. Tit. 11. §. 2. verba, quanquam honestè.* Hinc notabiliter idem Dn. Ziegler. *ad Grot. l. 2. c. 5 §. 10.* ubi papizare Grotium, (quem tamen, quoad Naturæ Jus. defendit Dn. Clasen. in *Colleg. MS. ad Grot. d. l. & Dn. Pufend. & I. N. & G. l. 6. c. 2. §. ult.*) dicit D. Osiander *ad Grot. d. l. Graviter, inquit, lædi conscientiam filii, parentum Consensum*

- negligentis, neque in foro externo impune id esse debere: quod ad consensum etiam Matris de Jure divino, ob æqualem ubique injunctam reverentiam, & de Saxonix constitutionibus extendit Gerhardus d. l. §. 86. Add. l. in Conjunctione. C. de Nupt. Imò extendit quoque ad quamcunque ætatem, etiam ad Majorennitatem, contra dispositionem Juris Civ. in l. 25. ff. de R. N. idèò, quòd Præceptum de honorandis parentibus, ex cujus explicatione, in Scripturis traditâ, Theologi Consensus paterni necessitatem petunt, generale est, ad omnes omnino liberos pertinens, &c. d. l. §. 93. cui ad stipulatur Constit. Elect. Saxon.*
- 111 *Ecles. cap. von Ehe-Sachen. Fol 110, Add. Haberforn dec. 129. Parentes tamen non facile, & sine urgenti causâ, infringere debere, aut pœnis persequi absq; suo consensu contractas Nuptias, monet Dn. Bœclerus ad Grot. d. c. 5. §. 10. sed cautissimè hæc debere tractari, ne conscientis, quibus consultum itur, novi injiciantur, laquei. Confer. Dn. Pufend. d. c. 2. §. ult. in fin. Imò nec Jure Civili propterea dissolvi matrimonia testatur Paulus 2 Sent. 19. §. 2. idq; contemplatione publicâ utilitatis h. e. nuptiarum. Quo pertinet, quod dicitur in cap. ult. 28. q. 1. saltem non legitimum esse ejusmodi Matrimonium, esse tamen ratum. Add. Gothofr. ad l. 25. de R. N. d. n. 7. Quoad Exheredationem a. nec eam ex causâ neglecti consensus procedere communi Dd sententiâ testatur Dn. Stuuv. Ex 32. §. 34. Caterum ad h. l. confer. in Sanchezii de Matrimon. opere Dissp. à 22. usque 27. Addatur etiam Dn. Eichel. in tract. de Jure quo nat. liber. & Parent. sib. inv. sunt obstr. P. 1. §. 37. & 38. ac P. 2. §. 18. qui optimè hanc materiam tractasse videtur Domino Bœclero.*
- 112 *Cum porrò expediti Juris sit, à quarundâ nuptiis temperandum sibi esse vel cognationis vel affinitatis veneratione. §. 1. §. 6. l. de Nupt. & contra hæc si qui coierunt, neque virum, nec uxorem, nec nuptias nec matrimonium esse. §. 12. l. d. t. (in cujus Juris naturalem rationem inquit Dn. Pufend. d. l. 6. c. 1. §. 28. & seqq.) Reservasse sibi tamen supremas Potestates dispensandi in nonnullis casibus facultatem quæ in gradibus saltem humano jure Ecclesiastico prohibitis, cum illi Juri imperent, summæ potestates, justè procedit. Vid. Dn. Struv. Exercit 29. §. 49. 50. Carpzov. Jurisprud. Confess. l. 2. Def. 109. 110. Gerhard. de*
- 113 *Conjug §. 346.) Ex hinc dependet decisio casus illius, ubi scemina, quedam nupserat mariti sui defuncti ex fratre Nepoti, ipsa verò postea divertere ab eodem volebat, Conscientiæ morsus causata.*
- Credi.

Creditum, enim est, superveniente Consistorii Dispensatione, tutam illam in Conscientiâ esse posse, imprimis, cum & Maritus divortium planè nollet admittere, sed matrimonii continuationem sollicitaret. Quapropter non dubitavit summum Wismarien se Tribunal firmum 114 asserere id vinculum, nec dirimendum conscientia obtentu, tum quòd divino jure gradus ejusmodi non esset prohibitus, nec illi reverà, sed tantum ex Civitatum & Ecclesiarum ratiocinatione parentum & liberorum loco sibi essent, tum, quòd ex communi Theologorum ac Jctorum sententiâ, si in prohibitis gradibus accesserit carnalis copula, cedat prohibitio voto, & sinat integrum Conjugium, in SS. Numinis consummatum nomine, cujus etiam exempla in Scripturis existunt: tum denique, quòd quæ prohibitionem induxit suprema potestas, vinculumque adèò Conscientiis injecit, illa quoque tollere non minus prohibitionem, & liberare conscientias queat. Elegans Consilium *J. C.issimi Dn. Mevii* est annexum *P. 3. Dec. 399.* in quo plura de Conscientiæ hâc in causâ securitate. Plures Casus peti possunt ex *Carpz. d. l. 2. tit. 7. per. tot.* Adde etiam omninò *Dn. Mylerum Gamolog. c. 8.* ubi plura contra Canonistas, dispensandi in Papâ licentiam nimium quantum extendentes, & alia invenies elegantia.

De Divortii denique notum est, J. Civili licuisse illa vel com-115 muni consensu *l. 9. C. de Repud. Nov. 22. c. 4.* vel unius voluntate, *Dn. Struv. Exercit. 30. b. 39.* Idque vel per occasionem rationabilem, quæ etiam *bona gratia* vocabatur, *Nov. 98. c. 2. l. 32. §. 19. ff. de Donat. inter vir. & ux.* vel citra omnem causam, *Selden. d. I. N. & G. discipl. Hebr. l. 5. c. 7.* Sub Christianis verò Imperatoribus hoc arbitrium fuit restrictum, quippe quod partim indecorum esset & noxium, partim ipsi Naturæ Juri contrarium, prout declarat *Dn. Pufend. d. l. 6. c. 1. §. 20.* & certo numero definitæ sunt, illius causæ à *Theodosio juniore in l. 8. C. de Repud.* quæ à *Justiniano, resectis quibusdam, exactius expositæ in Nov. 22. c. 15. & Nov. 117. c. 8. 9.* In Consistoriis quoque hodiè pauciores saltem admittuntur, *Magnif. Dn. Brunn. ad d. l. 8. n. 9.* & Jus Canonicum planè solvi matrimonia prohibuit *c. fin. X. de Transact.* Si tamen, quæ 116 Judæorum fuit opinio, divortia divina lege *Deut. 24.* non permessa solum, sed & præcepta fuerunt, ubi marito uxor displicuerit, *D. Ofiand. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 6. Obs. 3. p. 376. Dn. Pufend. d. l. §. 23.*

- Add Selden. *d. c. 17.* malè hodiè non frequentabuntur amplius divortia libera. Ast errori Judæorum respondit Christus breviter, *Matth. 19. v. 8.* propter *Cordis ipsorum duritiem factum id esse*, quod latius deduxit Joh. Buxtorfius in *Dissert. eruditiss. de Sponsal. & divort.* Cui adde quod habet D. Oslander: *Indulgentiam non factam esse in divortio, sed saltem illius permissionem locum habuisse quoad impunitatem in F. Exteriori. Conscientiâ non evolutâ aut liberâ factâ in F. Interiori.* ad Grot. *d. l. 1. c. 2. §. 8. Obs.*
- 117 *2. p. 419.* Illud v. magis dubium manet, an rectè hodiè ob malitiosam desertionem fiat separatio, cùm Christus *Matth. 5. v. 32.* solum adulterium (licet nec ob hoc quidem vinculum solvi concedant Canonistæ, contra quos pugnat Dn. Ziegler. *ad Jus Can. l. 2. tit. 10. §. 22. not. ult. & tit. 10. §. 8. not. 4. tit. 16. §. 9. not. 2. & passim alibi.*) divortii causam constituerit? Sed textus adest expressus, *1. Cor. 7. v. 15.* quem de casu quidem, quo infidelis discesserit à fidei, intelligunt Pontificii, Sanchez. *l. 7. D. 74. num. 4. Zæf. in tit. X. de Divort. n. 4.* Nostrates autem generaliter accipiunt. Scheidwin. *de Nupt. §. 4. num. 37. Carpz. l. 2. Def. 192. B Dn. Brunn. ad d. l. 8. n. 12.* novissimè Henr. Petr. Habertorn/ *Decis. Jur. dec. 13. Conf. uberius Gerhardus d. l. de Conjug. §. 623. & seq.* Neque
- 118 amplius dubitari debet, postquam ipso etiam naturæ Jure constat, ut in aliis pactis, sic in matrimonio quoque violatis ab uno capitibus primariis, nec prohiberi alterum, à pacto inito discedere & meliorem sibi conditionem quærere, quod deducit Dn. Pufend. *d. c. 1. §. 21.* inprimis, cum nec privatâ autoritate id hodiè fiat, sed Desertionis Processu legitimè instituto ac absoluto. Vid. Excell.
- 119 Ziegler. *ad Jus Canon. l. 2. t. 10. §. 24. verb. illis non cognitâ, & possim.* Dn. Carpz. *Jurisprud. Eccles. l. 3. c. 5. per tot.* Observandum enim, quod in casu adulterii statuunt Dd. posse innocentem divertere, non expectatâ Judicis sententiâ, in F. C. modò id citrà scandalum fieri possit, Farinac. *q. 143. n. 49. Gutierrez. de Matrim. c. 129. num. 9 Sanchez. d. l. 12. D. 12.* id hic non esse admittendum, cùm ex præsumtionibus in Conscientiæ foro nemo sit condemnandus. vid. Dn. Brunnem. *in Qq. Wesenbec. ad tit. de Probat.*
- 120 *qu. 53. in fin. Zæf. ad ff. tit. tit. eod. n. 19.* Id quoq; dubium est, an justè ob *qualitatis errorem* dirimatur matrimonium? ad quod respondet *Piissimus FCtus B. Dn. Brunnemannus ad d. l.*

d. l. 8. n. 13. & seq. C. de Repud. Quisquid sit, malle se in Consistoriis, ut introduceretur sententia Canonistarum, quæ Conscientiis esset tutior & minus scandalosa. Add. cap. 3. cap. 25. X. de Jurejur. c. un. 29. q. 1. Præprimis minimè omnium Ministris Ecclesia hoc divortium esse concedendum, cum in marito petente regulariter aliqua malitia & scandalosum petitum præsupponatur, notante Welsenbec. in ff. ad Tit. de R. Nupt. n. 7. Vide tamen ad hæc Dn. Ziegler. ad Jus Canon. l. 2. tit. 12. §. 1. verb. neutro tamen casu. Gerhard. d. l. de Conjug. §. 109. seqq. Andr. Gerhard. JEt. in Exercit. Juslin. Dec. 2. qu. 7. Alberic. Gentil. l. 6. de Nupt. c. 13. Cypræ de sponsal. cap. 13. §. 44. n. 3. Carpz. Prax. Crim. q. 63. n. 54. & seqq. & Juspr. Consist. l. 2. Def. 103. Philip. Hoen. Diss. 2. b. 7. q. 2. Quid etiam de diversitate Religionis sentiendum, an sufficiat ad dirimendum matrimonium, vid. Dn. Ziegler. ad d. t. 12. §. 5. verb. cultus quoque disparitas. & ad §. 9. not. 1. ac 2. in primis B. Dn. Brunnemannum ad l. 56. C. de Episc. audient. Sanchez. de Matrim. l. 10. Diss. 15. Gerhard. de Conjug. §. 387. & seq. Carpz. d. l. 2. def. 180. Sanè Ecclesiarum ministris, diversæ Religionis Conjuges habere, nec decorum satis & minus esse tutum, quivis facile concedet. De Separatione, quoad thorum & mensam, nisi ad tempus saltem fiat, tanquam naturali juri repugnantem damnandam esse censet Pufendorf. d. c. 1. §. 22. quanquam dubitem, an ita perpetuò hoc Divortium unquam concedatur, ut pœnitentibus conjugibus non pateat ad matrimonium redditus.

Cæterum subjiciendum hic aliquid est de uxoribus velut *secundariis*, ut vocat Dn. Pufendorf. d. c. 1. §. ult. seu de Matrimonio illo. quo vir illustris cum inferioris conditionis muliere, in conjugalem quidem societatem coit, cum pacto tamen, ne in justæ matrisfamilias dignationem adsciscatur, nec ejusdem proli omne jus sit, quod aliàs filiisfam. communiter competit: (quo ipso amplam Matrimoniorum Materiam concludam.) Introductum hoc matrimonium esse ob conservationem illustrium Familiarum, aut in favorem priorum liberorum aut denique ob melius tolerandos sumptus, qui ex moribus Civitatum aliàs in justas uxores erant, faciendi, probat Dn. Pufend. d. §. ult. Et confirmat Dn. Nicol. Mylerus ab Ehrenbach in *Gamolog. Person. Illustr. c. 6. §. 1. ubi describit effectum Conjugii illius partitionati. (1) quod liberi ex tali conjugio*

- (quod tamen verum, ac legitimum Matrimonium est,) prognati nomen & insignia Paternæ familiæ minimè assumant. (2) Quod cum filiis illustribus prioris matrimonii in feudis, allodialibus, & Dynastiis ex æquo non succedant. (3) Quod uxor ipsa in præjudicium antiquissimæ & illustrissimæ familiæ, à Cæsareâ Majestâte sive motu proprio seu ad instantiam, aut ex plenitudine potestatis in numerum Principum aut Comitum non recipi, sed (4) tam uxor quam liberi quibusdam bonis à Patre illustri in primo nuptiarum die certo pacto constitutis, & assignatis pro alimentariâ provisione & hereditatis parte, contenti debeant vivere. Dicitur autem Matrimonium ad *Morganaticam*, cujus prima omnium mentio fit in *Constit. feud. lib. 2. tit. 19.* & denominationis rationem exponit *Besold. in Thes. pract. lit. M.*
- 126 *voc. Morgen-Gabe 71.* Exempla autem in Imperio Germanico varia sunt, *Friderici* Palatini Electoris & *Virginis Nobilis de Zettingen* unde hodiè Comites de *Leuenstett.* *Augusti* Principis Brunsvicensis cum Secretarii cujusdam filiâ, ex quâ sunt Nobiles von *Eünenburg.* *Ferdinandi* Archiducis Austriae, cum *Philippina* Welsera Patricii Augustani filiâ. *Georgii Friderici* Marchionis in *Baden & Durlach* cum *Elisabetha* Strom. *Georgii Alberti* Principis Anhaltini cum *Joanna* de *Crofeck.* *Ferdinandi* Ducis Bavariæ cum *Maria* Petembekia. *Christiani IV.* Daniæ Regis cum *Christina* virgine Nobili, quam sinistra manu etiam copulari sibi fecisse communiter ferunt: quæ exempla omnia latius enarrat *Dn. Mylerus. d. l. §. 12. & 13.* Comparavit ei quoque ex sacris Conjugium *Abrahami* cum *Cetburâ* *Gen. 25. v. 5.* *Grotius l. 2. c. 7. §. 9.* sed in quo reprehenditur à *Commentatoribus, D.*
- 127 *Osiandro & Dn. Zigler. in observ. ad d. l.* An vero sustineatur in F. C. ejusmodi pactum, & an cum naturali æquitate conveniat, de eo ampla disputatio est.
- 128 Videtur dicendum quod non: tum quia hæc viâ hereditas daretur per pactum, quod esset contra expressas Imperat. Constitutiones. *l. ult. C. de Pactis l. hereditas C. de Pactis Conventis.* ac rationem Latorum, ne votum captandæ mortis introducatur; tum quoniam magnæ injuriæ instar habet, liberis hereditatem, quæ iis debetur à naturâ, eripere, add. *l. 2. princ. ff. de Bonis damnat. & Ep. ad Galat. c. 3. v. fin. acc. 4. v. 7.* vel saltem inæqualitatem introducere inter liberos, contra *l. inter filios. ii. ibi: æquo jure.* ubi *Baldus C. Fam. herciscund.* tum quod nec possit Pater suo pacto præjudicare,

liberis quoad nobilitatem, quam non habet à seipso, sed ab Imperatore vel Principe, & non dat liberis, sed saltem in eos transfert. Add. *l. cum 3. de Interdict. & Relegat. & Exc. Dn. Hulder. Eyben. Ff. Helmstad. in Obs. Theor. pract. ad Inst. l. 1. disqu. 3. obs. 11.* Hinc & 130 esse contra omnia jura, & carere omni ratione hoc pactum ad Morganaticam, dicit Andreas de Isernia in *g. mulier. t. 26. l. 2. Feud. num. 1.* quem tanquam Feudistarum Patriarcham secuti sunt longo ordine ceteri, *Alvarottus, Antonius de S. Georgio, Jacobinus de S. Georgio Martinus Laudensis, Zasius, Hotomannus. Schenk, Ritterbusius Matheus de Afflictis, alii.* vid. Haveman. in *Gomolog. l. 3. t. 3. Kitzel. de Matrimon. c. 7. theor. 3. Myler. d. c. 6. §. 20.* Verum, ut ut hæc 131 insignem speciem præ se ferant, & forsan non ineptè diceretur, meliùs omitti ejusmodi Conjugia, quam frequentari; attamen, quin, exigente ita Status ratione, salvâ etiam omninò conscientiâ possint celebrari, nullus dubito. Etenim, præposito hoc, (quod non facile quis negabit,) interesse Rerum publicarum maximè, illustres in iis familias conservari factas, quippe ex quo Rerump. ipsarum, splendor pendet & in columitas; Posito etiam hoc, (quod pariter, vix quisquam ibit inficias,) teneri quemlibet in Republ. viventem, ipsumque adeò Principem, & obligatione, quâ obstrictus est Reipubl. conferre ad id quantum in se est, & quantum fieri salvâ conscientiâ potest; clarum jam erit, excusari saltem illum, qui ad Familiæ suæ conservationem, etiam quodammodò contra receptam Juris rationem, (quomodo multa contra hanc propter Familiarum conservationem recepta esse, testantur Albert. Brunn. *de Statut. exclus. fem. art. 4. Natta in c. quamvis. n. 14. de Pactis in 6.*) cum aliâ viâ non possit, progreditur, dummodò non cum peccato & conscientiæ vi illatâ id fiat. Jam v. ad Morganaticam Matri- 132 monium, per quod impetrari apparet finem intentum, non esse cum peccato conjunctum, facile puto posse probari (1) quia ipsi substantiæ matrimonii nihil in decedit, sed fit uxor, & manet legitima, liberi nascuntur legitimi, saltem amputantur nonnulli effectus civiles, ut scilicet uxor non corruscet radiis mariti, ut filii non in eandem cum Patre dignitatem surgant, ut non heredes fiant in familiam & bonis Patris. (2.) Quia per hanc effectuum Civilium amputationem nulla inferitur injuria neque uxori nec liberis. Non illi, propter Consensum, non his, quia Patri

Patri liberum fuerat, omisso cum illorum Matre concubitu eos nec generare; vel si Conscientiæ rationem habere noluisse. Concubinæ loco Matrem retinendo, naturales planè gignere, qui tamen nunc & honesti sunt & nobiles, nec à Paternis bonis, quorum ipsis ab initio matrimonii sua pars assignata est, omninò exclusi.

(3.) Quoniam nec ulla turpitudine versatur in facto hoc, quod si ex fine suo æstimetur, potius laudem & approbationem quàm vituperium meretur. Nec obstant, quæ in contrarium sunt prolata argumenta. Quoad *primum* enim, licet Civili Jure hereditas pacto dari non possit, *l. hereditas C. de Pact. convent. l. 15. l. 19. C. de Pactis.* Gentium tamen ferè omnium contrariâ consuetudine receptum est, ut non saltem pacta de futurâ successione subsistant, vid. Barthol. Musculus *tr. de Success. anomal. membr. 1. clas. 1. concl. 3. n. 58.* Ant. Fabr. in *Cod. Sabaud. tit. de Pact. convent. def. 6.* sed & ut hujusmodi Conventiones contractui Matrimonii adjectæ valeant; teste Bald. in *§. filii. 2. Feud. 26.* Menoch. *Consil. 92. num. 25.* ne quid dicam, quòd Conventio virorum illustrium ad Morganaticam ipsâ Juris feudalis constitutione, quod in vim legis jam receptum est, corroboretur, *c. ne 2. F. 29.* Votum autem induci mortis captandæ, non nisi absurdè dicitur, cum liberi, qui in ipsa bona Patris sui non se successuros jam sciunt, minùs expeturi sint illius mortem, à quo intereà dignè sustentantur, & ex hujus dignitate splendorem ipsi hætenus trahunt, Quoad *alterum*, supra jam patuit, nullam liberis injuriam fieri; quibus addo, quod nec naturæ jure necessum sit, planè totam hereditatem relinqui liberis, sed aliquid iis quæri jubetur, quantitatis determinatio legi & parentum voluntati relinquitur. Dn. Strv. *Ex. 10. tb. 10.* Dn. Pufend. *de F. N. & G. l. 4. c. 9. §. 7.* Neque omninò necesse est, æqualitatem servari inter liberos, cum ipse Justinianus in *Nov. 22. c. 48.* se magis *suadere*, quàm *imperare* æqualitatem inter liberos ingenuè confiteatur. Nec ignotum est *Primogeniturae jus*, quo insignem præ cæteris liberis prærogativam primogenitus habet, quod tamen & Divino & Naturæ & Gentium LL. conforme probat *Nobil. Dn. Sam. Reyher. Prof. Mathem. in Acad. Kilon. Præceptor. olim meus honoratissimus. in Tract. de Jur. Primogenit. Add. Dn. Pufend. d. l. §. 8. & Elem. Jpr. d. l. 1. def. 5. §. 18.* Quoad *tertium*, licet omninò verum sit, parentem non posse præjudicare suis liberis, quoad

quoad dignitatem, quam aliunde habent; Unde etiam ipse Mylerus *d. c. 6. §. 30. consulturum se dicit Principi illustri, ut hanc conventionem* (scil. ut filii nascituri à Paterno titulo abstineant:) *eatenus moderetur, donec filii ex priori Matrimonio eorumvè successores masculi supersint*, nescio tamen an non & hîc aliquid excusationis sumendum à consuetudine, imprimis cum hæc non careat suâ ratione, nimirum, ut eò minus sumptibus in educationem faciendis defraudetur Respubl. & ut ipsi quoque liberi lautius vivere ac splendidius possint in statu illo, cui destinata ipsis bona sufficiunt, quàm in illustriori, ubi non sufficeret, curtiore suppelle. Quamvis nec Dn. Myleri consilium respuendum esse, omninò arbitrer. Cæterum de hoc Matrimonio, ejusque justitiâ 135 agit prolixius Dn. Mylerus *d. l. Gamol. Princ. c. 6. per tot.* cui addi potest Henricus Salmuth. *in Resp. Jur. de Matrim. Princip. cum virg. Nobil. q. 2. p. 152 & seqq.*

Supereft *Tutelarîs Potestas*, quo *Potestatis* nomine venit in §. 1. 136 *Instit. de Tutel.* valdè licet impropriè, cum in officio potiùs honestè educandi pupillum, ac dextrè administrandi illius bona, quàm in *potestate* aliquâ tutela consistat. Verùm, cum nihil hâc quidem vice occurrerit, quod Conscientiæ scrupulum movere possit circa tutelam, misâ hâc, finem *Capiti huic* imponam, enodatâ quæstione, quæ commodè hûc potest referri. *An Personarum respectum habere in Conscientiæ foro li. 137 ceat?* de quâ quidem breviter sic sentio: Distinguendum esse (1.) Inter respectum *judiciale* & *extrajudiciale* (2.) inter respectum, qui consistit saltem in accuratâ *ponderatione* circumstantiarum circa qualitates personæ, cui dicendum jus est, & inter respectum, qui ex *odio, gratiâ, metu* aliâve causâ reprobata oritur, & ut plus faveamus huic quàm 138 illi, efficit. *Judicialis* ergò si consistat in ruminatione tantum qualitatum personæ, cui jus dicendum est, adq; tendat ad justitiam, adeò vitiosus non est, ut requiratur potiùs à judice, & peccet hic, si illum omitterat: quod si verò sit ex causâ quâdam reprobata, & sic vergat ad *Injustitiam*, planè excusari non potest, quippe qui tam naturæ principiis, quam Scripturæ libro contrariatur. Vid. *Lev. 19. 15. Deut. 1. 17. X. 17. XII. 19. 2. Chron. 19. 7. Job. 34. 19. Prov. 24. 23. 28. 21. Jec. 11. 3. Sap. 6. 8. Syr. 35. 15. 16. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Colos. 3. 15. 1. Pet. 1. 12. Jacob. 2. 19.* Addatur Dom. Zigl. *in Dicast. Concl. 32. v. 11. & passim.* ac *Nov. 102.* quam tanti fecit Imperator Justinianus, ut eam in templis recondi voluerit, inter sacra & vasa, & tanquam denarium seu anathema quoddam, ut ex *Henr. Agileo*

refert Stephani in *Com. ad d. Nov. n. 16. Extrajudicialis* eandem non semper admittit responsionem, sed licitus interdum apparebit, nonnunquam injustus, prout circumstantiæ causas variant: Quas cum examinare omnes instituti non sit, videri potest *Magnif. Dn. D. Job. Frid. Rhetius, in Disput.* quam more suo h. e. valde doctè conscripsit: de *Non-Gratificando.*

CAPUT III.

De

**Foro Conscientiæ quatenus versatur
circa modos acqvirendi res, & quidem origi-
narios.**

CONSPECTUS.

TRansitus n. 1. Divisio Modorum Acquirendi *universalis.* n. 2. Hic de Originariis saltem agendum, num 3. Occupatio unde? n. 4. Ratio asserti n. 5. Originariis acqvirendi modus primus est **OCCUPATIO.** n. 6. Unde circa illam dubia? n. 7. Prima de Maris Occupatione disputatio. n. 8. Illius affecta. n. 9. Videntur distinguenda quæstiones. n. 10. Vastus Oceanus ab uno occupari non debet. n. 11. 12. Nec occupari, uni conducit. n. 13. Aliud, si Oceanus munimenti saltem instar habeat. n. 14. 15. Ubi tamen etiam nonnulla excipienda. n. 16. Idem in particularibus Maribus. n. 17. Altera Disputatio de Occupatione Perarum n. 18. Auctores, qui injustam hanc crediderunt. n. 19. Quibuscum convenire videtur Jus Romanum. n. 20.

Respondetur bis. n. 21. 22. Ubi de Dominio Principis in res subditorum Eminente, n. 23. Quod magis etiam pertinet ad res, dominio hærens vacuas. n. 24. Pro hac sententia Auctores. n. 25. Ex his aliud dubium: An capiens capi prohibita sua faciat? n. 26. De quo affirmativa quorundam. n. 27. Etiam *Dd. Moralium.* num. 28. Sed respondetur ad quæstionem Distinguendo. n. 29. 30. Ad contraria. n. 31. 32. Alia dubia, remissivè. n. 33. Tertia Disputatio de Occupatione Rerum in mari natarum. n. 34. Hujus à Principe facta limitationis justitia defenditur. n. 35. Hinc occupata retineri non possunt. n. 36. Rejicitur quorundam *Dd. Moralium* Opinio. n. 37. Quarta Disputatio de occupatione rerum pro derelicto habita-

*litaram. n. 38. ubi de rebus tem-
pore naufragii ejectis. n. 39. Opinio-
nes Dd. ad l. 43. §. 11. ff. de Furtis.
num. 40. De fure occupandi bona
naufragorum. n. 41. quod subla-
tum est. n. 42. In Pomerania quat.
adhuc obtineat. n. 43. De aliis re-
bus inventis quod publicè debeat
promulgari inventio. n. 44. Et, si
non inveniatur Dominus, distri-
bui pauperibus. n. 45. Ultima Di-
sputatio de Occupatione Thesauri.
num. 46. quæ subjacet limitationi
Principis. n. 47. Qu. an thesaurum
inveniens teneatur id manifesta-
re. n. 48. circa quod distinguitur.
n. 49. ampliatur opinio Dn. Pufen-*

*dorfii. n. 50. Bonacina circa alium
casum error notatur. n. 51. Et ex-
plicatur Parabola Matth. c. 13. v.
44. n. 52. Quid verò si quis nu-
tum spectri sequatur? n. 53. An
divinâ virgulâ uti liceat. num.
54. 55. Originarius acquirendi
modus alter Accessio. n. 57. Sed de
hoc pauciora dubia, cum maximè
sit naturalis. n. 58. 59. Disputa-
tur tamen an Accessiones quoque
limitare Princeps possit? n. 60. quod
affirmatur. n. 61. Et respondetur ob-
jectioni. n. 62. 63. De scriptura
chartæ cedente, Et aliis speciebus,
remissivè. n. 64. Limitatur etiam
Accessio per Servitutes. n. 65.*

Postquam *Jus Personarum* missum feci, excipit suo ordine. *Jus Rerum*. Idèq, cum in *Acquisitione* potissimum se exferat, per hujus Modos imprimis tractandum. Dividunt autem ipsi se *Acquirendi modi* commodè in *Originarios* & *Derivativos*, quod pri-
mus advertit Grot. de *J. B. & P. l. 2. c. 3. §. 1.* quem secutus post est Dn. Pufendorf de *J. N. & G. l. 4. cap. 6. §. 1.* & in *Tract. nov.* (qui prioris compendium est) de *Offic. Homin. & Civ. l. 1. c. 12. §. 5.* ac alii: *Quorum illi sunt*, ubi ab initio in rem aliquam inducitur proprietas; *Hi*, quibus *Dominium* jam constitutum ab uno homine in alium transit. Et circa *illos* rursus est quædam *Differentia*, dum alii proprietatem primùm inducunt in ipsum *corpus*, alii saltem in ejus *incrementa*. Circa hos verò alii etiam adhibentur in *eventum mortis*; (qui *Derivativi Mortis causâ* dici possunt) alii *inter vivos* rem transferunt, & vel ex *liberalitate*, vel ex *interposito contractu*, (qui dici possunt *voluntarii*) vel ex *negligentiâ*, vel ex *delicto*. (qui *involuntarii* dici possunt.) De quibus distincim, & hoc quidem Capite saltem de modis, 3 qui dicuntur *Originarii*, agere institui.

Post recepta ergò inter homines *divisa rerum Dominia*, (quod 4 factum est, postquam auctâ primi, tum ab orbe condito, tum post di-

- luyum, hominis familiã, quibus uniuersum Orbem liberalissimè concesserat DEUS, subjiciendum sibi & occupandum, Genes. 1. v. 28. 29. Gen. 9. 2. domus una non sufficeret plurium vel multitudini vel discordiis) ita videtur conventum inter homines, ut quæcunque sub primævam occupationem & divisionem non venissent, ea in posterum cederent occupanti, i. e. qui primus eadem corporaliter adprehendisset animo sibi habendi. *Vid. Magn. Dn. Mevii Prodr. fpr. Genes. Insp. 5. §. 42. leg. 1. Selden. de J. N. & G. sec. discipl. Hebr. lib. 6. c. 1. in fin. p. 686.*
- 5 Cum enim æqualiter omnes homines produxisset natura, h. e. ut omnibus idem jus competeret, æqualiter etiam condita à Creatore res essent, h. e. cum qualitate subjectionis erga hominem; fieri aliter non poterat, quàm ut paria quoque jura concederentur posteris, i. e. ut occupando suam quoque hi facerent, quicquid in subjectionis illà qualitate & ab acquisito per occupationem dominio liberum mansisset. *Originarius* hinc in corpus alicujus rei dominium acquirendi modus primus est *Occupatio*, quæ acquiruntur Terræ & Mariæ, acquiruntur fera Bestiæ, Aves, Pisces, acquiruntur quæ solent à mari ejici, acquiruntur denique, quæ deserunt Dominum habere, ut sunt res pro derelicto habitæ & thesauri.
- 7 [Cæterum circa hæc omnia, dubia occurrunt hodiè, tum ex eo, quod supremæ, quæ temporis successu invaluerunt, Potestates naturalem hunc acquirendi modum limitare sustinuerunt, imò sibi fermè vindicare solis; tum ex causis aliis; quæ propterea videnda sunt.
- 8 Et primum quidem *Marium Occupatio* disputandi hoc seculo magnorum ingeniorum viris, *Grotio* & *Seldeno*, horumque utrinque auctoris, ansam dedit: quorum hi, sic potuisse occupari, vastum etiam Oceanum, ut omnibus aliis justè prohiberetur illius usus, prolixè adseruerunt, quod illi erudita non minus ante negaverant. Occasionem prolixè recenset, qui nunc in illustri *Genevensi Academia Magni Fac. Gothofredi vestigia premit Dn. P. A. Oldenburger Jct. & Prof. in Tract. 9 de IV. Elem. Jurid. tit 3 § 13* Nolo verò rationes examinare, cum prolixius hoc foret, & satis exposita sint scripta ipsa, unde possunt peti. Quibus addi poterit *Consummata eruditionis Jctus Dn. Strauch. in Dissertatione de Imperio Maris, c. 2.* (cui plurimum in hoc argumento debere *Virum diligentissimum Georg. Horn. in Arca Noa, in primis p. 20. & 35. dicit Clariss. Conr. Sam. Schurtzfleisch in Dissert. cui titulum fecit Servitus maris. §. 11. in fin.) & Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 4. c. 5.*

§. 6. ac *El. Jurispr. l. 1. def. 5. §. 7. & seq.* Sed per Compendium di-
 cam quid sentiam. Occupationi scil. non obstare naturam Oceani,
 qvantis qvantis etiam sit, satis puto probasse Dn. Strauch. *d. c. 2.* sed pu-
 to distingvendas esse qvæstiones, An quid fieri possit? &, An fieri
 æqvum sit ac conducat? Ad illud adde præter Dn. Strauch. ipsum
 Seldenum *de Mari clauso*, Dn. Eyben. *in Observ. theor. pract. ad Inst.*
Disqv. 6. Obs. 2. Commentatores in Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 2.*
§. 3. ac c. 3. §. 8. & seqq. Dd. *Osiandr. Ziegler. Clasen. Bæcler.* (qui
 hic cum elegantia pari prolixus est præ cæteris) ac qui nunc demum
 prodiit *Henr. Henniges.* Ad hoc autem, (cum præcipue id ad C. F. 11
 pertineat) videtur dicendum, nec æqvum id esse, nec conducere. Non
 æqvum esse: Nam qvæ foret iniquitas, si quis immensi illius, cujus ob
 suam inexhaustam utilitatem ab ipso Deo destinatus videtur integro
 humano generi usus, dominium adfectare velit, saltem ideo, ne aliis
 quoque copia sit, fruendi naturæ bonis, toti orbi citra impudens
 illud unius postulatam suffecturis? vid. Dn. Pufendorff. *d. cap. 5.*
§. 9. Qvò pertinet, qvòd habet Cicero: *Legibus populorum con-* 12
stitutum est, ut non liceret sui commodi causa nocere alteri; at-
que hoc multo magis exigit ipsa nature ratio, quæ est lex divi-
na & humana &c. Conf. *Magnif. Dn. Mexii. Prodrom. Jpr. Gent.*
Inst. 4. §. 12. & qui magis etiam huc spectat *§. 38. circ. med. ubi*
Nature LL. proponuntur, servandæ circa rerum Occupationem.
 Imò nec conducere: cum, præterqvam qvòd conservandi tam ex- 13
 pansum imperium labor plures classes, & in has sumtus sit requi-
 siturus, qvàm ex ipso forsan commodi esse possit; successus quo-
 que inde molestissimus, & pluribus periculis, cædibus humanis, jactu-
 risque, infestus, futurus videatur, cum fieri non possit, qvin invi-
 tentur alii ad redigendum mature in ordinem, qvòcunqve etiam re-
 rum vitæque discrimine, Cupitorem illum Monopolii invidendi ava-
 rissimum: id qvòd nec è re est & Humanitatis Legibus omninò adver-
 sum. Præterea a. distingvendus est quoque vastus ille Oceanus, 14
 magnis continentibus, Europæ, Africæ, Asiæ, Americæ, interjectus, &
 qvâcunqve ille patet; ab eodem quidem Oceano, sed qvâ saltem
 terras Supremarum Potestatum alluit, & instar munimenti in his ha-
 bet. De hoc enim si qværat, aliud ferendum est judicium. Non 15
 enim peccat, qui in illâ parte, qvâ suus est Oceanus, jure suo uti-
 tur, & ab hoc arcet, qvoscunqve ex ratione status peculiari sibi nocu-

- mento esse arbitrat. Nimirum ex naturali regulâ, quilibet ut sibi
 p̄suis, sic & status sui conservationem querit, nec est aliqua obligatio,
 indulgendi alteri libertatem naturalem in meo, quatenus liberta-
 tis illius usurpatione cum meo damno est conjuncta. Junge hanc in-
 rem §. 12. *J. de R. D. & Lessium de J. & J. l. 2. c. 5. dub. 9. n. 43. verb.*
- 16 *altera pars.* Excipiendos tamen & hîc velim illos usus, qui sunt in-
 noxii & utilitatis inexhaustæ, e. g. aquæ haustus, lavatio, navigatio pa-
 cata, interdum & piscatio. Nam hos negare, cum nihil inde sit detri-
 menti omnino foret cum iniquitate maximâ conjunctum, ex natu-
 rali ratione: *Quod tibi non nocet, alteri verò prodest. &c.* Add. Dn:
 17 Pufend. *d. c. 5. n. 7. & Dn. Mev. d. Prodr. Inst. §. 45. leg. 3. & 4.* At-
 que idem judicium esto de particularibus maribus, h. e. qui intra fines
 Imperii cujusdam concluduntur, quæ *Interna* quoque dicuntur. *Vid.*
qvoq; Dn. Frantzk. Exerc. 4. qu. 1.
- 18 Deinde quoad *Ferarum Occupationes* (quo nomine cum Ve-
 natione Piscationem quoque; comprehendo & Aucupium) valde exer-
 cuit Moralium Dd. cum supremæ Potestates plerumque inter Regalia
 has susceperint, nec permiserint nisi ex privilegio subditis, in paucissi-
 mis locis feris insidiari, annon peccatum hîc fuerit, & Naturæ quoque
 Juris vis sit illata? Putarunt ita, (nisi quod aliquam saltem limitatio-
 nem addiderint) qui in C. F. id non posse defendi crediderunt; *Va-*
 19 *ler. de Differ. int. str. For. tit. Peccatum. diff. 16. Azor. Inst. Mor. p. 3.*
l. 1. c. 13. qu. 2. & l. 5. cap. 16. qu. 1. & seq. ac Andr. à Matre Dei, Curs.
- 20 *Theol. Mor. tr. 12. c. 2. punct. 6. §. 2. n. 55. & seqq.* Quod cum Jure Ro-
 mano convenit, quo noluit Populus Romanus Civibus suis liberum
 istarum occupationum usum negare, cum *naturali ratione*, ut dicitur
 21 in §. 12. *I. de R. D.* ista deberi viderentur. Verum, quoad hoc, fa-
 tendum quidem est, potuisse Romanos liberum illarum usum conce-
 dere suis Civibus quibuscumque, ut tamen illud ex necessitate quadam
 naturali fecerint, dubium valde videtur. *Vid. Henniges ad Grot. lib.*
2. c. 2. n. 5. ac Dn. Oldenburgot prolixè in Tr. de IV. El. Jur. tit. 5.
§. 414. p. 1033. & seqq. Etenim, licet illa naturalis juris esse dicantur, à
 cuiusmodi rebus nemo facile est interdicendus, sciendum tamen est,
 multa Jure Naturæ *permitti*, alia verò *prohiberi*: Et contra hæc qui-
 dem veniri facile non posse, illa tamen quæ restringi queant, imprimis
 22 si urgentes & probabiles adsint causæ, nihil omninò ob stare. Hinc
 continè hanc in rem Grotius: *Falluntur*, inquit, *qui hæc ita pe-*
cant

tant naturalia, ut mutari nequeant: Sunt enim naturalia, non simpliciter, sed certo verum Statu, i. e. si aliter cautum non sit. l. 2. cap. 8. §. 5. ubi vid. prolixius D. Osiandr. Inspicienda hic, supremarum potestatum vis, & quam in res hujusmodi habent, autoritas. Scilicet, cum primum Principes cœperunt præesse Rebuspub. dubium non est, quin, velut corpora, sic etiam bona sua his submiserint subditi: non quidem ita, ut illi Domini essent rerum civium suorum omnium, sed tantum ut supremam in iis potestatem haberent, exercendam utilitatis publicæ causâ: quod *Dominium Eminens* vocatur, de quo Dn. Bœcler. in eleg. *Dissert. pecul. de Dom. Emin. ad Grot. l. 1. c. 1.* Dn. Pufend. *de I. N. & G. l. 8. c. 5. §. 7.* & Henniges *ad d. Grot. l. 1. c. 1. §. 6.* Adde Magn. Dn. Mev. *Prodr. fpr. Gent. Inp. 5 §. 42. leg. 9.* Effectus ergo hujus est, ut, si utile id visum Reip., possit Princeps etiam de ipsis Civium suorum bonis disponere. Quod si itaque hoc, quanto plus vi Principalis dignitatis poterit Princeps disponere de iis rebus, quæ necdum in Dominio Civium sunt constitutæ, imprimis, id utile sic videatur? Utile autem plures syadent rationes: nimirum, ex parte Reip. ipsius, ne campis atque agris absque culturâ relictis quilibet iis saltem rebus indulgeat: ne exhauriatur genus omne ferarum continuo capiendi & sternendi studio: ne ad incitas se redigant Cives, conquisito apparatu ad consequendum finem necessario; &c. ex parte Principis, quoniam esse necesse est, unde hic suam conservet autoritatem; quod nisi desumerit ab illis rebus, quæ sine damno cujusque sumi possunt, (cujusmodi sunt res omnes, quæ in dominium alicujus nondum venerunt,) cives ipsos ut premat cogetur: quoniam item meritorum in Remp. ratione justè prætendit aliquod solatium; & aliæ denique, sed ad quas recurri nec opus quidem esse, cum sufficiat, prima, dicit Joh. Frid. Horn. *Polit. l. 2. c. 3. §. 5. & 9.* Conf. Grot. *l. 2. c. 2. §. 5.* ibique D. Osiandr. ac Bœcler. Dn. Pufend. *l. 4. c. 6. §. 6.* Add. quoque Dn. Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex. 44. Tb. 10. ac 22.* ac J. Feud. *c. 6. apb. 7.* Dn. Frantzk. *Exerc. 4. qu. 2.* Molin. *de I. & I. Tom. 1. Diss. 46. Less. lib. 2. c. 5. dub. 7.* Soto *l. 4. q. 6. art. 4.*

Fluit hinc quæstio: An, si Princeps jure suo usus fuerit, & quibusdam in locis capi feras prohibuerit, is, qui nihilominus in locis illis prohibitis capit, capta naturaliter sua faciat, indeque possit retinere? Et de Naturæ quidem jure fuerunt qui dicerent, capta illo modo fieri etiam capientium, & posse retineri. Id enim impediri lege posse,

- posse, ne feræ, pisces, aves, capiantur; sed ut non acquirantur capiendo, prohiberi Lege Civili non posse. Nam stare jus prohibendi cum acquisitione, quatenus scilicet qui feram aut avem capit, suam facit jure Gentium. Hinc nec liceere, captum ejusmodi quid vindicare, cum sit effectus ille Domini, quod ante occupationem nemo habeat; sed auferri captum tanquam ab indigno & pœnæ causâ. Vid. Gudelin. *de I. Norviff. l. 2. c. 2.* exque eo Arnold. Vinnius *ad §. 13. I. de R. D. ac Dn.*
- 28 Ziegler *ad Grot. l. 2. c. 2. §. 5.* In C. F. (excepto unico casu, si animalia sic sint inclusa, ut suam libertatem naturalem non habeant eundi quo velint, ut in animalibus inclusis in vivariis, piscinis aut stagnis) idem tradunt Valer. *de Differ. utr. for. tit. Acquisitio Domini. diff. 7. & prolixè ab eo allegati n. 1. §. quare aliud. & n. 3.* Soto *de I. & I. l. 4. qv. 6. art. 4.* à Matre Dei *d. Tr. 12. c. 2. punct. 6. §. 2. n. 61.* Enimverò, in hac quæstione attendendus potissimum videtur prohibendi modus. Qui enim, quod modò dixi, statuunt moralium Dd. videntur fundamentum ponere in eo, quòd Leges, venationes prohibentes, omnes putent esse merè pœnales: quibus satis fit in Conscientiâ, si modo pœna solvatur. Sed illud præsuppositum jam supranegatum est *c. 2. n. 18.* contra Amel. *de Cas. Consc. l. 5. c. 25. n. 28.* Videndum ergò, an ita interdicitur Capturæ, ut, additâ pœnâ, liberum maneat cuique vel capere, vel pœnam hujus nomine solvere, an v. ita, ut ponatur quidem pœna, citra tamen illam libertatem relictam capiendi vel non. Priori casu manent feræ nullius, & Conscientiis laquei non injiciuntur. Hinc capi possunt feræ, & retineri omninò salvâ Conscientiâ. Posteriori verò casu manent quidem etiam feræ nullius, per Prohibitionem autem Principis jus inducitur, ne quis præter Principem easdem occupando suas in posterum facere queat. Cum ergò prohibitio Principis obliget non minus in Consc. quàm ejus præceptum, *vid. c. 2. n. 21.* utique à peccato non foret immunis, qui illam transgressurus capere, captumque vellet retinere. Neque his obstat, quod supra de Naturæ jure dictum est. Primum enim nego (quod pace dixerim magni Viri Dn. Ziegleri, à quo dissentit hic etiam, sed more suo, & ex alio fundamento Henniges *ad Grot. d. l.*) prohiberi Lege non posse, ne acquiratur capiendo. Ut enim capiendo acquiratur, ex pacto est (primorum scilicet occupantium *vid. n. 5.*) Tolle ergo vicissim quoque poterit vel per pactum, vel per justum Superioris. Deindè quoque, vindicari captum non posse, haud minus nego: Idque ex singulari juris hîc quæsitâ ratione, quod hunc cum Do-

minio

minio communem effectum habet, ut postquam ferae captæ sunt ab illegitimo captore possint vindicari. Est enim captor hic Principis velut operarius, qui ultroneam, licet parum gratam, operam præstitisse videtur, adeoque non secus, atque alius venator à Principe auctoratus, capiendos feras Principis fecisse credendus est. Add. Dn. Pufend. *d. l. 4. c. 6. §. 7.*

Alia quoque moventur huc pertinentia à Moralium Dd. veluti: An fas sit, Leges ferri tam severas, quæ venationibus interdictis operam dantes morte puniant, quod pulchrè negant, Boecler. *ad Grot. l. 2. c. 2. §. 5. in fin.* Frantzk. *Exerc. c. 4. qu. 3.* Dn. Oldenburg *de IV. Elem. Jur. vid. tit. 5. §. 418. p. 1043. & seqq.* Carpz. *Pr. Crim. p. 2. qu. 84. n. 34. à Matre Dei d. tr. 12. c. 2. punct. 6. §. 2. n. 60. & alleg. ap. B. Dn. Brunnem. ad Inst. Exerc. 6. tit. 1. §. 12.* Item, inter aves quas capi naturaliter licet, an continentur columbæ, (*vid. §. 15. l. de R. D. l. 8. §. 1. Fam. eresc.*) ubi jucunde de Columbariorum jure nugatur Azor. *Inst. Mor. p. 3. l. 5. c. 16 §. antepen.* quibus meliora tradit Molin. *Tom. 1. Tr. 2. Disp. 48. & 51. à Matre Dei, d. punct. 6. §. 3. quæ adde Dn. Oldenburg. d. Tr. tit. 4. §. 13. 14. 15.* Item alia, quæ peti possunt ex Valer. *de Diff. utr. for. tit. Acquis. Dom. diff. 5. & 7. Azor. d. c. 6. Molin. d. Tr. 2. Disp. 41. & seqq.* sed ista monstret saltem hac vice sufficiat, cum pergi necessum sit.

Uterius igitur quæ acquiruntur occupatione, sunt *Gemmae, Margaritæ, Succina,* & alia, quæ tanquam foetus maris ejiciuntur. §. 18. *l. de R. D. l. 1. §. 1. de A. vel A. P.* sed de his idem judicium, quod de ferarum occupatione, ferendum est. Scilicet falluntur qui injustitiæ Principem arguunt, dum ista sibi addicit, subditis aufert: nam non aufertur, quod nunquam acquisitum fuit, neque possessum. *l. 203. de R. I.* Privatio præsupponit habitum, & causa suppetunt Principi, quare sic impediatur, quo minus dominium illarum rerum, quod hætenus nullius est, privati fieri queat. *vid. supra num. 24.* Hinc passim ita fieri quoque videmus, ut hæc serventur Principi. *Vid. Dn. Struv. Syn. J. Feud. c. 6. p. 7. & 22. Gryphiand. de Insul. c. 31. Franc. Stypman. de J. Marit. p. 2. c. 4. n. 253. Dn. Oldenburg. d. tr. tit. 3. §. 18. Add. Preusnisch Land N. l. 3. tit. 1. art. 3. §. 3.* Atque hinc nec occupantium fieri patet, si clam ista occupentur. Nam à furti crimine immunis dicendus non est, qui contra prohibitionem non sua appetit, & sua facere clanculum non veretur. Quo ipso simul concidit opinio eorum, qui audacter statuunt, licet per Legem res illæ applicentur Regi, tamen posse retineri, ab

inventoribus in Conscientia; cum intelligenda sit Lex ejusmodi quoad exterius forum, non autem quoad iudicium & forum animæ: quod facit Valer d.t. *Acquis. Dom. Diff. 4.* Henriquet. *de Indulg. c. 34. §. 1. in Gloss G. & Mercad. Tr. 4. de Restit. c. 15. fol. 217. col. 1.* Obligare enim Legem ejusmodi etiam in Conscientiâ *Supr. c. 2. patuit.*

- 38 *Caterarum rerum occupationem*, illarum scilicet quæ Dominum habuerunt, sed amiserunt, hæc quæstione difficilem reddunt Moralium I. d. An, qui rem invenit, salva conscientiâ eâ possit retinere? Ad quod autem probè puto inspiciendū, an res inventa verè sit à priori domino derelicta, sic ut de eo plane constet inventori; quo casu justè omnino poterit retineri. *§. 46. de R. D.* (Nam nemini aliquid auferitur: non priori Domino, qui sponte se abdicavit Juri suo; non tertio, qui nullum nec dum jus habuerat) An verò *habeantur* saltem pro derelictis, credantur tales *probabiliter*; quo casu magis cauto opus erit. Nam, si quid invenisti & non reddidisti, rapuisti, *c. si quod 14. qu. 5.* Nemo enim suum jactare credendus est; idque in primis, si necessitas quædam concurrat, in qua nemo liberalis existit. *l. 18. ff. de Adim. vel transf. leg.* Ex quo simul patet, quid sentiendum sit, si res inventæ sint tempestatas ac naufragii tempore ejectæ. Hæ enim utut videantur animo ejectæ desperato, non tamen dici possunt ejectæ propterea ut Domini priores nolint easdem recipere, si possint; quod *palam esse*, dicitur in *§. 47. l. de R. D.* Unde cum non parum videatur obstare *de l. 43. §. 11. ff. de Furtis.* in quâ *plerumque* dicitur *credendum esse, derelinquentis animo fuisse jactatum.* additâ ratione, *cum sciat periturum*: valde quoque circa hanc laborant Juris interpretes, & textum sic emendat Menochius *cum alleg. plur. l. 5. Præsumt. 30. num. 18.* ut vocem *plerumque* pro *interdum* accipiat: alii, restringant, tum ad *res ipsas* projectas, si tales sint, ut mox sint periturae, e.g. Saccharum, Sal, Papyrus *cum Dn. Hahnio, Dn. Job. Philipp. in Vsf. Præf. Inst. l. 2. Ecl. 21. n. 9.* quem tamen casum non admittit propter *l. 44. ff. de A. R. D.* Lesius *l. 2. c. 2. dub. 8.* tum ad *locum* in quo facta ejectio, e.g. si in vasto Oceano, Bachov. *ad Treutl. vol. 2. Disp. 20. Tb. 2. lit. G B. Dn. Brunnem. ad d. l. 43. n. 9.* Eo magis autem hic culpandum est, quod ex consuetudine locorum quorundam inter Regalia refertur, ut bona naufragorum cedant Dominis, ad quorum litus factum est Naufragium; quod de moribus Siciliae, Angliæ, Italiæ, testatur Lucas de Penna *in eleg. l. 1. C. de Naufrag. de Galliâ* (ubi *le de Droit de bris* dicitur) Petr. Rebuff

Rebuff. *ad LL. Regias. gl. 5. n. 74.* Covarruv. *in c. Peccatum. l. 6. p. 3. §. 1. n. 5*
 & in univërfa Germania (ubi Grundruhr/Grundruhrrecht dicitur) ob-
 tinuiſſe olim, ſcribit Kirchner *de Republ. D. 17. C. 7.* Id quod verò tan-
 quàm conſuetudinem irrationabilem neminem in conſcientiâ tranquil-
 lum reddere poſſe, bene ait B. Dn. Brunnem. *ad d. Auth. Navigia. n. 6.*
 Nam juſtitiæ eſt, ne afflicto addatur afflictio. *l. tam dementis 28. de Episc.*
Aud. c. cum percuffio. 7. qv. 1. Undè cum etiã ſublatur id ſit ſaluber- 42
 rimis conſtitutionibus, Friderici II. *in auth. Navigia. C. de Furtis.* (quæ
 tamen non tam novum quid conſtituit, quàm confirmavit quod jam
 Antonini Imp. tempore fuit obſervatum, prout ex *l. ult. ff. de inc. ruin.*
naufr. animadvertit Joh. de Avezan. *ſc. & Anteceſ. Aurelian. in Tr. de*
Empt. Vend. p. 51. 52.) Caroli V. *in Conſtit. Crimin. art. 218.* Concilii Late-
 ran. *in c. 3. X. de Raptor.* adhuc nonnullibi malè uſurpatur, ut
 in Curlandiâ Bornholmia. Conferatur omnino Grot. *de I. B. & P. l. 2.*
c. 7. §. 1. ibiq; Commentat. D. Oſander Dn. Zigler & de N. Bœcler. p. 241.
 it. Gail. *l. 1. c. 18.* Petr. Gregor. *l. 37. Syntagm. c. 3. n. 2.* Parthen. Litig. *l. 1. c. 13.*
n. 5. Zieritz. *ad Conſt. Crim. art. 219.* qui duo poſteriores laudant Po-
 meraniæ mores, ubi iis, qvi colligendi naufragorum merces authori-
 tatem habent, pretium ſaltem ſolvitur pro cuſtodiâ quod vocatur
 Waargeld/ quod licet contrarium eſſe videatur *l. 43. §. 9. ff. de Furt.*
 naturæ tamen juri conforme exiſtimo cum Dn. Puſend. *El. Ipr. l. 1. d. 5. §.*
28. in fin.) & alleg. ap. Dn. Struv. *Ex. 41. tb. 61. l. Fr. Horn. Pol. l. 2. c. 3. §. 9.*
n. 26. & ſeqq. Dn. Old. *d. tr. tit. 3. §. 81. 82.* Cæterum generaliter de in- 43
 ventione rerum, pro dereliſtis habitarum id tenendum eſt melius Con-
 ſcientiæ ſuæ, qui inventionem ejusmodi rei, quam verè pro dereliſto ha-
 bitam à Domino ex certis circumſtantiis colligere non poſſunt, pu-
 blicè promulgari curant. Dn. Puſend. *d. def. 5. §. 19.* quod etiã innuitur 44
in d. l. 43. §. 8. Add. Farinac. *qu. 168. n. 64. & ſeq. Magnif. Dn. Tabor in*
Racem. de Furt. 2. Th. 36. Nam nuda alerius amiſſio acqvirendi Jus mihi
 nondum tradit ſed concurrere neceſſum eſt alterius etiã voluntatem
 derelinquendi. Vid. *l. 13. pr. l. 17. §. 1. de A. vel A. P.* Imò ſi Domi- 45
 nus non reperiatur, pauperibus distribuendam rem, conſultius non-
 nulli putaverunt, *per c. fin. 14. qu. 5. arg. Auth. omnes peregrini. C. Com-*
mun. de Succeſ. Molin. Tr. 2. Diſp. 53. n. 7. Covarruv. *d. p. 3. §. 1. n. 2.* Go-
 mez. *tom. 3. Reſol. c. 5. n. 2.* Fagundetz *ad Prac. 7. c. 22.* cum alleg. *n. 9.*
 quod extendit Weſenb. *ad ff. de Furt. n. 10.* ut vix bona Conſcientiâ
 ſibi ſoli poſſit retinere inventor, licet pauper ſit: ſed in quo ſanius,

Divina providentiâ electionem datam videri inventori, cui pauperi, adeoque an sibi malit dare, ait *B. Dn. Brunnem. ad. d. l. 43. n. 6. ff. de Furt. Jung. Audr. à Matre Dei d. Tr. 12. c. 2. punct. 8. §. 1. & 2. Lesius l. 2. c. 14. dub. 7. Fagundetz ad d. Prac. 7. c. 21. cum alleg. n. 25.*

46 De *Theſauris* non in uno diſſenſerunt haud pauci. Ita enim crediderunt nonnulli (quemadmodum de aliis quoque rebus quæ dicuntur Nullius, crediderant) inſuſte occupatori ab invento theſauro aliquid detrahi, & fiſco vindicari, tum quod Theſaurus Naturæ jure totus, fit inventoris, *Vid. Dom. Soto. l. 5. qu. 3. art. 3. tum propter. l. 63. §. 1. ibi: Fortune donum. ff. de A. R. D. & l. un. verb. Dei beneficium. C. de Theſaur. Vid Arnifæ. de Jure Majest. l. 3. c. 6. n. 23. Alii admiferunt diminutionem ſed ſub variis reſtrictionibus, quas collegit à Matre Dei d. c. 2. punct. 8. §. 3 n. 98. Qui verò nuper prodiit, *Henr. Henniges ad Grot. de l. B. & P. plane Theſauros in Rep inventos, etiam ante latam ullam legem, pertinere dicit ordine Civil. ad Remp. ſolam, nec quicquam**

47 illorum naturaliter fieri inventorum *ad l. 2. c. 8. §. 7. Verum circa hoc, quemadmodum poſterior, non ſuſpecta minus quàm in Civ. prudentia incognita eſt ſententia (licet eandem jam ante quoque defenderrit *Job. Fr. Horn Polit. l. 2. c. 3. §. 8. n. 11. 12. & in Not. add. Grot. c. 8. §. 7. Dn. Felden, cui tamen reſpondit Graſvinkel.*) cum theſaurus non amplius pars ſit aut proventus terræ Principis, velut mineralia & metalla; ſed recondita privati pecuniâ: ita ad priores repetendum ſaltem eſt, quod ſupra jam tum dictum de Principis circa res, quæ nondum factæ ſunt alicujus, poteſtate; cui addo quod habet *D. Oſiand. ad modò d. l. Grot. pag 857. Non hic ſtatui aliquid contra jus Gentium, ſed ſaltem rationabili ex cauſa impediri, ne dominium theſauri inventi ſit alicujus, eſſet ſtando in ſolo naturali ac gentium jure, efficique, ut ſit alicujus alterius; quod optimè facere poſſit Re. publ. quemadmodum facere poteſt, ut venatio aliqua illicita ſit, qua &c.* Add. ipſum etiam *Grot. d. l. 2. c. 8. §. 7. B. Dn. Brun. ad l. un. n. 8. C. de Theſaur. Molin Tr. 2. Diſp. 56. in fin. ac Dn. Oldenburger de V. Elem. Jurid. tit. 5. §. 571 p. 1204.**

48 Fuerunt præterea qui putarent, ſi quis in locis degens ubi inventori relinquit inventa LL. Civiles, invenerit theſaurum, hunc ad approbandam Conſcientiæ inventionis titulum omnino teneri, indicare publicè, theſaurum abs ſe inventum eſſe, etiam ubi adparuerit, dudum eundem ibi depoſitum. Sed hæc mihi videtur probabilius, ſi quis Theſaurum in proprio ſolo effoderit, eum ad hoc indicandum per Conſcientiam non teneri. Ratio, quia nec iſ, à quo ſolum pervenit ad inventorem, præſumi-

tur sciens reliquisse pecuniam à se forsan occultatam, nec, si quis alius hic abscondiderit nummos, hic omisisse rei suæ vindicationem credendus sit, ob periculum, ne Dominus novus ista occuparet. Hinc posse inventorem id quod invenit tantisper retinere, quoad alius ultro inquirat, & occultationis suæ ac dissimulationis ad id usque tempus probabiles causas adferat, videtur. Quod si verò in alieno solo thesaurus inventus fuerit, tunc per Conscientiam teneri inventorem, ad quærendum ex Dno fundi saltem oblique, num ipse eundem deposuerit, ait Dn. Pufend. *de I.N. & G. l. 6. c. 4. §. 13.* Ego v. omnino adderem, non obli-⁵⁰ que saltem, verum expresse quæri deberi ex domino, non solum ideò, quod hic forsan! ipse potuit deposuisse pecuniam; sed etiam, quoniam per Civiles LL. tenetur ejusmodi inventor, utut verus thesaurus hic sit, h. e. depositio, cujus non amplius extat memoria *l. 3. §. 1. de A. R. D.* dimidium Domino soli tribuere per *l. un. c. de Thesauris* quod tam in interiori quàm exteriori foro obtinet, prout testatur post Sotum & Andr. à Matre Dei *d. punct. 8. §. 3. n. 93. D. Ofiand. d. p. 857.*

Porro Bonacina magnum erravit errorem *Disp. 143. p. 6. §. 7. & 51 cum eo* à Matre Dei *d. punct. 8. §. 3. n. 95.* ibique alleg. alii, dum Conscientiis consulere voluit parabolâ illâ quæ est apud Matth *c. 13. v. 44.* scribitque, si quis sciat in fundo alterius latere thesaurum, & hunc velit acquirere, si emat fundum, quòd tunc totius thesauri Dominium acquirat, nimirum vi dicti illius Salvatoris. *Add. quoque Fagundez de Instit. & Contr. l. 2. c. 14. n. 15.* Præterquam enim quòd dictum illud sit parabo-⁵² licum, in parabolis autem interdum etiam inhonestæ contineantur actiones, (exemplo villici iniquitatis) nec scopus Christi fuit, id docere; sed saltem voluit ostendere, omnem adhibendam diligentiam, ut, qui regnum cœlorum invenit, id obtineat nec perdat. *Vid. Ofiand. ad d. Grot. l. 2. c. 8. §. 7.* Ne dicam etiam, quo tritum est apud Theologos, Theologiam nostram non esse parabolicam sed argumentativam. Si quid tamen de ipso negotio ex juris principiis concludendum est, dicendum videtur cum Franzk. *in ff. tit. de Act. Em. n. 214. & seqq.* interessè, num *casu fortuito*, an *data opera* scientiam thesauri adeptus quis sit: ut casu *priori* totum quidem emptori, *posteriori* autem venditori possimus tribuere. Rationes diversitatis ibidem habentur. Junge Harprecht. *ad §. 39. f. de R. D. n. 10. & seqq.*

Id quoque motum est à Georg. Sayro *in Clar. Reg. Cas. Conso. Theol. Mor. lib. 9.* An quis spectri nutum sequi possit & sic tunc potiat-⁵³ tur thesauro, eundem sibi acquirere? Sed non spernendum

Hanc in rem argumentum ex c. 2. X. de Sorcileg. suppetit. Ibi enim cum presbyter cum quodam infami ad privatum locum accessisset, non ea intentione ut vocaret demonium; sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari, & quaereretur, quid juris? Resp. Licet hoc ex bono Zelo & simplicitate fecisse dicatur, ipsum tamen non modicam peccati maculam contraxisse. Jam verò presbytero huic finis erat satis bonus, recuperatio scilicet furti Ecclesiæ cuidam facti: nihilominus damnatur ejus institutum, cum mediis illicitis ad finem non prohibitum properaverit. Multò magis igitur in proposito id accidet casu, ubi nec ipsius finis bonitatem satis tutò adstruere licet, quippe cum sequentem trahat auri sacra fames; ut taceam, eum ducem sequi Diabolum, spe lucri inflatos animos ad suum obsequium lacescentem. Vid. B. Dn. Amad. Echolt. JCr. Lips. in Disp. de Natur. Thesaur. hab. 1667.

- 54 Tandem multorum fuit opinio, ad magicas artes esse referendum, adeoque conscientiiis valdè periculosum, si quis adhibita divinã (quã vocant virgulã, Wünsch-Ruthe) thesauros investigaverit. Ubi tamen, si præsupponam, non hic artem aliquam diabolicam, sed occultam latere qualitatem, & *συνδρομαι* quandam Corylos ad Metalla connatam habere, eamque augeri succis cognatæ cum metallis naturæ, quos ex aggesta radicibus terra nutritionis causa fugant & hauriant, prout statuit D. Casp. Peucer. in Comment. de Præcip. Divinat. Gener. p. 387. fac. 1. vel: Intraterram cum generetur & alatur metallum, inter alia quoque ex radicibus coryli nutriri, quod nutrimentum deinceps otiosa nunquam, & sibi optimè cupiens natura attrahere attentet: prout ait Dn. Echolt. d. Disp. Tb. 43. nihil vitii subesse huic inquirendi modo defendi potest. Nihilominus cum in ipso facto supersint dubia, annon scilicet certo anni tempore, imò certa die certa que hora, nullo habito respectu ad astrorum positum, scindi virgula debeat, (quod tamen fateor nonnullos negare) insuper, an virgula in omnium manibus inclinetur ad locum, ubi thesaurus reconditus, (de quo pariter ambigitur) tutius forsitan aliorum decisioni hoc relinquo. Interim magicis artibus nunquam hætenus inventum esse thesaurum, legi ap. Christoph. Peller. in Annot. ad Klock de Arar. l. 2. c. 116. n. 28. & 29. sed divinã illã virgulã sæpissimè exploratos, ab aliis non semel accepti. Et videri possunt, contra hanc virgulam Joh. Sperling in disp. An virgula Mercurialis agat ex occulta qualitate. hab. Witteb. An. 1668.
- 55 *ubi*

ubi implicitum cum Satana pactum inesse defendit: quod sequitur *Martin. Zeiler. in Epist. cent. ult. ep. 10. pro eâ Bornit de Res. suffic. l. 3. c. 25. Joh. Gryphiand. Oeconom. Legal. l. 1. c. 20. §. 40. Camerar. Hor. Subcis. Cent. 1. c. 73. Sed hæc sufficiant quoad occupationem.*

Ubi non ipsum Corpus, sed in ejus saltem incrementa ab initio 57 deducitur proprietas, Accessio dicitur, & Originarii acquirendi modi altera species est, ex Occupatione primâ descendens. Nimirum plurimæ res, quæ dominio subjectæ sunt, non in eodem semper statu persistunt, sed variis auctibus sese diffundunt: Quibusdam extrinseca incrementa accedunt, aliæ fructus proferunt, multis per formam humana industria superinductam pretium accrescit. Inde Accessionum variæ species, quæ ex Institutionum textu *tit. de D. R. commodissime* possunt peti.

Cæterum, non tot circa hunc acquirendi modum difficultates, 58 quomodo in superiori, se præbent, cum maximè naturalis sit hujus justitia, nec quicquam magis æquitati conveniens, quam ut ad eum, qui Dominus rei est, perineant quoque rei istius accessiones. Cujus enim totum est, ejus non esse pars nequit. Ac nisi hoc esset, quam multa possiderentur frustra. Humani generis pax quam frequens turbaretur, dum pari jure accessiones præterdere alius posset cum eo, qui Dominus corporis esset! Ut adeoque etiam ex ipsa Domini natura hoc fluat, nec opus sit, ex aliis causis hanc acquisitionis originem derivare. Vid. *Dn. Putend. de J. N. & G. l. 4. c. 7. §. 2.*

Unum tamen ex hac ipsâ naturali, ut dicitur, justitia dubium ori- 60 tur: An ergo ex his accessionibus non possint etiam aliqua adimi Dominis rerum? e. g. an *Alluvionis Jus*, *Jus Insularum* nequeat auferri à Principe? quod non procedere, nec satis tutum esse in *C. F. dicit Alb. Brun. in Conf. 159. in fin. l. 2. & Petr. Heig. l. 2. qu. ult. n. 67. quem sequitur Phil. Hænon. disp. 3. de Regal. Jur. ad l. 10. qu. 3. & Cast. Klock. de Ærar. l. 2. c. 63. n. 7. & Jeqq.* Enimvero, 61 quemadmodum nulla Regula tam est firma, quin patiatur exceptionem; ita hic quoque recurrendum rursus ad Principis potestatem, juncta utilitate publicâ. Vid. *supr. num. 23. num. 35. num. 47.* Certum præterea illud est, quod hæc incrementa neque Divino neque Canonico Jure vicinis tribuantur, ut notant Canonistæ, in c. cum *M. Ferrar. 9. X. de Constitut.* imò nec mero jure vel Naturæ vel Gen-

- Gentium tribui, asserit Grot. *l. 2. c. 8. §. 8.* unde tribuentur saltem jure positivo, speciem naturalis æquitatis sequente, *l. 3. §. 3. de A. R. D. c. quod jure. dist. 8.* Quod si ita est, auferri poterit jure positivo alio, quod jure positivo concessum est, *arg. l. 137. §. 9. de V. O. l. ult. C. de LL. l. 35.*
- 62 *de R. J.* Nec obstat, quod Princeps non possit privatis dominia rerum suarum auferre sine insigni injuria, ne quidem ex absoluta potestate *l. id quod nostrum ff. d. R. l. l. 19. C. de SS. Eccles.* Vasqu. *l. 1. Contr. 5. & 4. Contr. 1. num. 27.* Posset enim distingvi inter incrementa *præterita*, quæ jam per tempus possessa & quasi præscripta sunt, quæ non auferri posse, rectè dicitur, *Conf. Job. Gædd. in Consil. de alluv. & inter incrementa nascitura* in quibus Principi plus juris esse negari non potest, quia jus quæsitum hîc nondû habent vicini, sed quærendû saltem, quod facilius impeditur *l. quod autem. pr. ff. Que in Fraud. Cred. Vid. prolixius Job. Gryphiand. de Insul. c. 11. n. 3. & seqq.* Non ergo Conscientiis crux figenda temerè, nec trepidandum est timore, ubi non est timendum, velut dicit *Gloss. in c. pastorals. 28. §. quia v. X. de Offic. re-*
- 64 *leg.* Circa cæteras species dubii nihil occurrit. Nam quæ de iis prolixè constituerunt jura, naturali rationi omnia (vix excepto unico de *Scriptura*, chartæ cedente; à quo tamen etiam communiter jam discessum est, *Dd. comm. ad §. 33. Inst. de R. D.* quodque benè conciliat *ad d. §. Hortens.*) consentanea planè visa sunt. Si quid tamen obvenire possit, consuli potest Dn. Pufend. *d. c. 7. per tot.* ubi breviter haberi poterit, quod ex *Moralium Dd.* petendum prolixius.
- 65 Illud antequàm finem capiti imponam, addendum erit, sæpius per contractum aut alia viâ jus quæri aliî, ex re alterius certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi, ne alter re sua omni modo utatur, quo ipso *Accessionum* commoditas restringitur. Quod cum fit, *Servitutem* impositam esse rei, dicitur. Sed de *Servitutibus* consulendi sunt *I. Civ. Dd.* Breviter quoque videri potest Dn. Pufend. *c. 8. §. 6. & seqq.*

CAPUT IV.

De

Foro Conscientiæ, quatenus versatur
circa modos acqvirendi derivativos, &
quidem mortis causa.

CON-

CONSPECTUS.

Diviso Modorum Acquirendi Derivativorum. 1. Successionis ab Intestato fundamentum. n. 2. Ordo succedendi remissive n. 3. Quilibet potest decedere intestatus, licite & sine peccato. n. 4. exceptis certis casibus. n. 5. Testamento quomodo res transferantur n. 6. An Testamenta fieri iustum sit? n. 7. Rationes negantium. n. 8. n. quibus respondetur. n. 9. Affirmantes. n. 10. 11. Imperfectum fieri testamentum quomodo peccatum sit. n. 12. An ex imperfecto Testamento sit obligatio? n. 13. 14. Testamentum an revocari possit? n. 15. & quid, si fuerit juratum? n. 16. 17. revocatur valide, ut non licite. n. 18. Potissimum in Testam. est Heredis institutio. n. 19. Circa hanc J. Civilis sollicitudo. n. 20. An fratres prateriri iustum sit? n. 21. quod defenditur. n. 22. relinquentum tamen eis est aliquid, si sint egentes. n. 23. Liberi necessarij instituendi, sunt nisi mereatur exheredari. n. 24. An Exheredatio susciatur in F. C. n. 25. Num justa sit exheredationis causa contractum sine Parentum consensu matrimonium? n. 26. An reconciliatio tollat exheredationem? n. 27. an penitentia? n. 28. Institui an inaequaliter liberi possint? n. 29. defenditur. n. 30. sed

ut agatur provide n. 31. Et debet esse certa heredis institutio n. 32. Hinc, an nutu possit fieri? n. 33. Libera. n. 34. Hinc de institutione per preces extorta. n. 35. De mutua conjugum institutione. n. 36. & fieri saltem in Testamento. n. 37. circa hoc juris Civ. rationes. n. 38. quid in eo jus Naturae constituerit? n. 39. quatenus Pactum de hereditate relinquenda valeat? n. 40. ubi distinguitur. n. 41. & vitia personarum à pactis secernenda docetur. n. 42. Legata an debeantur ex testamento nullo? n. 43. Rationes negantium. n. 44. Contrarium receptum, saltem in legatis pijs. 45. Si non consuet cui debeatur? n. 46. In F. C. videtur dividendum. n. 47. modò consentiant inter quos dubitatur. n. 48. Alienares an possit legari n. 49. Respondetur textui Canonici J. contrario n. 50. Legato adjecta Conditiones quenam subsistant in F. C. 51. 52. Exempla conditionum non subsistentium n. 53. in specie de conditione mutanda Religionis. n. 54. Causa adjecta quid operetur? n. 55. circa quam si falsa sit distinguitur. n. 56. 57. A legatis interdum detrahatur Falcidia. n. 58. Hec an sit Juris natura? in 59. an prohiberi possit ne detrahatur? n. 60. An detrahi possit non

| | |
|---|---|
| <i>confectio inventario? n. 61. 62. an detrabi possit, si heres integra legata solvere inceperit ex igno-</i> | <i>rantia juris. n. 63. Mortis causa donationes Legatis sunt exequuta, n. 64.</i> |
|---|---|

Post modos Acquirendi Originarios sequuntur Derivativi? h. e. per quos Dominum jam constitutum ab uno defertur ad alium. Sed, cum hos quoque distinxerim iterum, ita, ut alii adhibeantur in eventum mortis, alii inter vivos rem transferant; quorum priores rursus sunt vel ex *Dispositione Legis* vel ex *facto prioris Domini*, de his prius peculiariter agere constitutum est.

2 Ex *Legis* igitur *Dispositione* acquiruntur res, & quidem per universitatem, in *Successionibus ab Intestato*. Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, *Add. Magnif. Dn. Mevii Prodr. Jpr. Gent. Inst. 4. §. 34. n. 5. & 6.* & ad pacem generis humani minimè omnium conducatur, bona per vitam quaesita pro derelictis haberi post mortem, & avaris cujusque votis patere inde svadente ratione, apud omnes populos receptum, ut si quis de suis bonis ipse nihil disposuisset ejus bona devolvantur ad eos, quos pro communi hominum adfectu **3** charissimos habere judicatur. *Dn. Pufendorf. de Off. Hom. & Civ. l. 1. c. 12. §. 10.* Inde ordinem succedentium ab intestato, qui ante *LL. Civiles* naturali rationis maximè videatur consentaneus, ad invenit *Henniges ad Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 9.* (qui directus ex parte videtur ad *L. Mosaicæ* dispositionem *Numer. 27. v. 8. & seqq.*) magis tamen ex utili ipsum Justinianeam Jus disposuit, quod libus simul ansam omnem ademit. *Vid. Novell. 118. ad eamque Excell. Dn. Job. Pomeresch. Jctus Gryphii W. Patronus meus, in Tyroc. Jur. ad Inst. post tit. de Success. subl. & c.*

4 Cæterum dubitatum hic est: An quis possit licitè decedere, relicta sic saltem *Legis* præsumptioni suâ voluntate, annon verò teneatur Testamentum concedere, & justè, quid fieri post mortem velit, edicere? Ac respondet *Molina d. J. & J. tom. 1. tr. 2. disp. 155.* Non teneri eum, qui bona habet, testari, sed posse licitè, & sine ullo peccato discedere è vita sine testamento. Ratio sine dubio; quoniam satis disposuisse videtur, pro quo ipsa Lex disposuit; in quam consentire credendus est, qui contrarium, quod, facere poterat, non constituit. **5** Sed tamen limitat; nimirum, si causa concurrat, ob quam testamentum potius fieri, non utilè modò, sed etiam necessarium sit e. gr. Si Con-

scien-

scientia sit exoneranda, debitorum ratione, quæ quis habet? quæ nisi exprimantur, magna tum molestiâ sint gravatura heredem, tum implicitura periculo Creditorem, qui majori forsan difficultate probare cogeretur sua nomina. It: si revelandum aliquid ex cujus ignotione tertio damnum posset obvenire, cui sufficienter occurri citra hanc revelationem non posset. It: si moriens sciat, scandala, jurgia, lites, odia secutura esse, nisi testamentum fecerit; & alias ob causas hîsce similes. Nam his casibus etiam sub culpa mortali moribundum teneri ad condendum testamentum statuit: Id quod sequitur etiam Fagundez. *de Jusit. & Contract. l. 6. c. 8. n. 10.* Atque his ego quoque subscribo.

Sed de hoc acqvirendi modo plura non lubent. Quid desideravit, petere poterit ab *Excell. Dn. Præsidi in integr. Tr. de Success. ab Intestato.* Occurrent plura consideranda in altero acqvirendi modo, qui est ex *facto prioris Domini.* Est autem factum illud vel *Testamentum*, vel *Mortis causa Donatio*: quorum illud vel integram rursus hereditatem transfert in alium, vel res singulares: illud per *Heredis institutionem*, hoc per *Legata.*

Antequam autem ab heredis institutionem progrediar, etiam de Testamento prius ingenerere quædam præmittam. Et quidem quemadmodum dubitatum modò fuit, an quis licet, non conditotestamento possit decedere? sic in casum Conscientiæ tractum est ab aliis. An testamentum concedere omnino liceat, nec illud Conscientiis magis periculosum & Justitiæ sit contrarium? Ita verò statuere non dubitavit *Bernb. Argentæ. in Comment. in Consuet. Britann. ad rubr. tit. 22. p. 1902.* post *Tiraqvell. in tr. Le mort. saist le. vif. p. 3. decl. 7.* & *Böer. in Consuet. Bitur. §. 4. tit. de Testam.* Rationes hæ ferè sunt: (1.) quod testamentariæ dispositiones infinitas pariant lites: (2.) æqvum sit, ut quâ quisque lege pecuniam & familiam à Majoribus accepit, eadem Lege hanc posteris reddat: (3.) quod liberis fiat injuria, dum, quod illis debetur solis, sæpè dispersum magna sui parte confertur in alios: &c. &c. Enim verò, nisi obstaret autoritas magnorum virorum, ferè dici posset, extra considerationem juris principia hic posita fuisse. Etenim si hæc argumenta stringunt, eodem modo omnes viventium actus extinguemus. Qvis enim actus est, ubi non lites possint intercedere? Si etiam, quæ quisque Lege à Majoribus accepit pecuniam eadem

transmittere ad suos debet, ubi liberum disponendi de rebus suis arbitrium? Si denique liberis cuncta debentur, unde Amicis gratia, unde benefactis petenda præmia? Quin potius ideò sunt introducta testamenta, ut libus ansa non sit. *Vid. Samsen Nerhoq in Form. Notar fol. 106.* Nec quicquam est, quod magis debeatur hominibus, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. *l. 1. in fin. C. de SS. Eccles.* nec tandem omnia debentur Liberis; sed, deberi hereditatem natura dicit, quantitatem non dicit, *vid. Dn. Pufend. El. Ipr. l. 1. def. 5. §. 8. & §. 26. vers. Cæterum.* unde Legitimam quoque, liberis debitam, mutari posse constat ex *l. scimus. 36. §. 1. circ. fin. C. de Inoff. Testam.* Add. *Dn. Struv. Ex. 10. §. 10.* Sed pluribus ad hæc argumenta, & plura respondit *Magnif. Dn. Tabor. in Partit. Elem. part. 2. th. 26. p. 70. & seqq.* ac latius etiam *P. Gregor. l. 41. Syntagm. c. 1. n. 7. & seqq.* ubi ostendit, *hanc testandi licentiam juri Divino & Gentium æquè congruere ac successionem ab intestato*, qui possunt videri.

Patet autem hinc, quàm graviter peccent, qui testamentum condunt, non ideò, ut libus ansam adimant, & bene prospiciant posteris; sed potius, ut in lites deducant successuros, ideò sponte aliquid omitentes de solemnitatibus jure requisitis, saltem ut alii, qui se læsos existimant, occasionem inde nanciscantur invadendi alios. Cujusmodi homines mirum est, dari inter Christianos, sed dari tamen testis experientia docet. Quâ occasione simul quoque posset decidi, quid sentiendum sit de ejusmodi testamento imperfecto? an scilicet ommissio solemnium tantum possit operari in F. C. ut admittenda propterea lites sint? Sed cum de eo quidem commodior agendi locus infra futurus sit, ubi dicendam de Legatis erit, hæc illud prætereo. Licet id hæc dici queat, si forsan satis constet, vel animo maligno peccasse contra formam Testatorem, vel nondum certam illius fuisse sententiam, minus etiam conscientiam lædere, qui propter vitiosè commissum in testamento vitium impugnare quoque testatoris voluntatem minus veretur. Adde ad ipsam quæstionem, pro negativâ *Molin. Tr. 2. disp. 81. n. 17. Jason. in l. nemo potest. l. 2. n. 95. de Leg. 1. & prolixè alleg. ap. Fagundez. de Iust. & Contr. l. 6. c. 6. §. 1. pro Affirmativâ B. Dn. Mev. Prodr. Ipr. Gent. Insp. 6. §. 23. Dn. Eric. Mauritiû Conf. Kilon. p. 2. conf. 10. Ludw. de Ult. vol. p. 2. c. 1. p. 209. Dn. Struv. Ex. 32. th. 16. Pufend. de I. N. & G. l. 4. c. 10. §. 7. & Mæstert. de Iust. LL. Rom. l. 2. dub. 46.*

Id

Id magis hinc decidendum, si quis testamentum fecerit, & illud ¹⁵
 nolle se revocare scripserit, an hoc deroget libertati ipsius, nec ille
 postea aliud condere testamentum queat? Equidem id expeditu facile
 est, si nuda fuerit illa promissio. Cum enim nemo eam legem sibi di-
 cere possit, ut à priori voluntate ei recedere non liceat, *l. 22 ff. de Leg. 3.*
 patet, non obstare libertati testandi factam promissionem. (ut hoc ca-
 su expressam in posteriori testamento Clausulam Derogatoriam non-
 nulli requirant vid. *B. Dn. Brunnem. ad d. l. 22. & dissuuentes*
Jctos ap. Dn. Struv. Ex. 32. Tb. 38.) Sed si Juramentum adjectum sit ¹⁶
 priori testamento, tunc dubia res sit, ob periculum scilicet perjurii. Jure
 tamen civili dubium non est, posse nihilominus fieri novam testamen-
 tum, quippe in quo juramentum, actu adjectum, sortitur actus sui
 naturam *l. 5. §. 1. in fin. C. de LL.* Cum ergo testamentum ex sui natura
 sit revocabile usque ad ultimum vitæ exitum, juramentum nihil hinc
 operabitur. Intelligitur enim quis jurasse sub conditione: *si res in eò-*
dem statu permanserint. Unde multi quoque sunt, qui licite omnino
 ac absque omni peccato posse revocari juratum testamentum velint.
 Vid. citatos à Covarr. *in Repet. rubr. de Testam. 2. part. n. 9.* Sed, cum ¹⁷
 in Juramentorum materia æquius constituerit Jus Canonicum, quod
 & in eo sequimur, rectius hinc discedo cum aliis, nec absolvendos puto
 à peccato eos, qui juratum testamentum (modo id honestum etiam sit:
 nam turpe omnino foret revocandum) revocare non verentur. Etenim
 omne Juramentum, quodcunque salvâ Consc. servari potest, servandum
 est. *c. cum contingat. X. de Jurejur. c. quamvis pactum. 2. X. de Pact.*
in 6. Juramentum autem de non revocando testamento cum sit de re
 licitâ, servari salvâ Conscientiâ posse, quis dubitet? Hinc rectè Valer.
de Diff. utr. for. tit. testamentum. diff. 6. In Conscientiâ, inquit,
non poterit testator testamentum revocare, alias erit perjurus. ubi re-
 spondet simul ad argumenta contraria. Add. *Diana Ref. mor. tom. 6.*
Tr. 8. Ref. 101. 102. Less. l. 2. c. 19. n. 95. Illud tamen notandum est, licet il- ¹⁸
 lud testamentum revocari licite non possit quoad Conscientiam, si ta-
 men revocetur, revocari valde, quoad Jus: de quo vid. *Molin.*
Tr. 2. diff. 151. n. 24. Dian. d. R. 101. in fin. Dn. Struv. d. Tb. 38. licet dis-
 sentiat *Vasquez de Testam. c. 2. d. 3. n. 15.*

Sed jam ad *Heredis Institutionem*, circa quam potissima quæ- ¹⁹
 brevibus sum complexurus. Dicitur illa fundamentum & caput to-
 tius testamenti, quæ si vitiosa sit, totum corrumpit testamentum. Vid.

§. 43. *Inst. de Legat.* Hinc etiam vix ulla in parte LL. Civiles magis deprehenduntur sollicitæ. *Conf. int. tit. 7. ff. & C. de Hered. Instit.*
 20 Inde illa quoque, quæ de Liberos instituentium necessitate, & his deficientibus, de necessitate instituendi Parentes Jura disposuerunt, clariora sunt, quam ut deductione egeant. Est enim prioris ratio, quod naturæ maximè sit consentaneum, ut sicut filius accepit esse à Patre, sic quoque accipiat ab hoc per hereditatem, unde conservare illud possit. Ne dicam, quod liberi etiam vivente adhuc Patre jam sint quasi Domini rerum Patris, quippe cujus ipsi pars sunt: & quod dicit Apostolus 2. *Cor. 12. v. 14. Debent Parentes thesaurizare filiis*, ac *Rom. 8. 17. Si filius est, ergo hæres*. Ratio posterioris, quod nihil æquius sit, quam deficientibus, quibus natura bona tradi jubet, redire ad eos, à quibus cum vita bona ante accepimus, gratitudinis lege id exigente, simul & reverentia, quæ liberalitate honorare eos jubet, quibus nos ipsos debemus. *Add. Fagundes, de Jus. & Contr. l. 6. c. 13. n. 14. & seqq.*

21 Quod autem de Fratibus licitè prætereundis dispositum in *l. fratres. C. de Inoff. Test.* illud tamen aliquid dubii sub se habere visum est. Sunt enim & hi quasi pars nostri, qui pari nobiscum ortu prodierunt; & pertinere ad hos bona etiam videntur idèò, quòd ipsi propter fratres ex hereditate patris minores portiones acceperunt. Unde reverti ad hos potius quam venire bona viderentur. Inde etiam de LL. Exterorum, Danorum, Svecorum, Anglorum, valdè obloquentibus testatur *Magnif. Dn. Tabor. Partit. Elem. part. 2. §. 39.* ac ex ipso Romano Jure huc facere videtur *Parentes. 23. ibi: & ceteri agnati vel Cognati: secundum PIETATIS rationem. ff. de His qui not. inf.* Enimvero non tanti sunt istæ rationes, ut
 22 contra Civilis Juris dispositionem validè concludant. Præterquam enim quod fratres pars nostri dici revera haud possunt, [quod ipsa ratio dicat] frustra est, quia propter fratrem minores exhereditate Patris portiones accepit frater, quod ideo huic illius bona debeantur. Nam idèò Dominus rerum suarum hic factus tunc est, ut habeat liberum disponendi arbitrium, quod invito adimi non potest. Neque pietatis ratio semper vocabit fratres, cum fratrum quoque gratia rara sit, & iniquum futurum illo casu, præripere fratri offenso potestatem disponendi de bonis sibi quasitis, de quo *conf. Dn. Tabor. d. l. Ergo rectè Ant. Gomez. Tom. 1. c. 11. n. 13. Fratres,*

ter, inquit, cum bona Consc. potest extraneo instituto non tantum Collateralem sed & fratrem præterire, quia nihil ei debet, nec natura jure, nec divino, nec humano, quod refert & placere sibi dicit Vasquez de Test. p. 6. §. 2. dub. 11. Imò extendit à Matre Dei 23 Tr. 14. c. 5. punct. 6. §. 1. n. 86. 87. utut frater vel nimia vel gravi necessitate prematur: Licet tunc ex Charitatis præcepto omnino relinqui ei aliquid debeat; cum ordo hujus id exigat, ut egentes honestiores maximè propinquos juvemus. Sed id ex charitate faltem, non ex Justitia, s. jure scripto; unde ipsum Testamentum, undiquaque relinquitur validum, licet etiam nihil relictum fratri sit. In quo consentiunt Rodriquez. de Cas. Consc. cap. 16. cit. à Dn. Struv. Ex. 10. Tb. 9. Valer. de Diff. utr. for. tit. Hereditas diff. 9. num. 3. Dian. Tom. 6. Tr. 8. Ref. 107. 108. & ibi alleg. plur.

Limitationem tamen illud quoque, quod de necessitate 14 instituendi vel liberos vel Parentes dictum est, accipit, nisi male se gerendo dignos hi se fecerint, quibus auferatur in testamento hereditas, & qui exheredes scribantur in eodem. Vid. Rubr. tit. de Lib. & possib. hered. inst. vel exhered. & causas expressas in Nov. 115. c. 3. Ubi frustra disputatur, an Exhereditatio sustineatur in F. 15 C. ideo forsàn, quod species ultionis sit exhereditatio; ultio autem, Christiano, nedum moribundo, non conveniat. Nam est illa Patriæ potestatis pars, & justa delictorum pœna. Ac opus est exemplis, ne contemnere Parentes discant, qui excludi à bonis ipsorum non posse, immutari docti sunt. Præterea si meritis filios 26 ad paterna obsequia vocare licet, cur non & pœnis, cum contrariorum eadem sit natura? Vid. l. 35. §. 1. C. de ineff. Test. Pariter quod de liberis, si absque Parentum consensu inierint matrimonia, quidam defenderunt, exheredari illos juste posse licet id queat videri dubium sustineri tamen potest cum temperamento, quod tradit Fagundez. de Just. & Contr. l. 6. c. 16. §. 20. [qui tamen idem aliter antea senserat in Decal. præc. 4. lib. 4.] nim. neglectus consensus quando generaliter cum summo fieret dedecore & injuria Parentum, consideratis circumstantiis & Parentum qualitate: quod medium invenit Sotus in 4. dist. 20. qv. 1. art. 4. ad 4. Utut statuto quoque & juste posse introduci in casu dicto exheredationem, probet Magnif. Dn. Mev. in Com. ad Jus Lub. l. 1. tit. 4. art. 2. n. 18. & seqq.

Hæc

27 Hâc occasione quaritur, si reconciliatus Pater filius fuerit, an adhuc valeat exheredatio? Et Distingvunt Dd. an secuta exheredationem reconciliatio fuerit, an eandem præcesserit: priori casu justè dicunt manere exheredationem *arg. l. 23. pr. ff. de lib. & posth.* posteriori fieri hanc non posse B. Dn. Brunnem. in *Quæst. Wesenb. ad d. T. qv. 15.* Verum æquior videtur sententia, quæ contrarium syadet. Nam, si in gratitudinem remisit Pater, utiqve tempore mortis filius in officio reperitur. Hillig. in *Donell. l. 6. c. 12. lit. f. & culpa remissa culpa amplius non est. §. ult. l. de Injur. Facit l. 3. §. ult. & l. seq. ff. de adim. Legat.* Quâ sententiâ non minùs æqua illa est, quæ in quibusdam delictis, (iis nimirum, ubi continuitas requiritur, ut in hæresi, vel si mimos quis sequatur) id operari pœnitentiâ dicit, ut propterea fieri exheredatio nequeat: quod est contra Zoef. *ad d. Tit. ff. n. 20.* negantem, per pœnitentiâ extingui exheredationem, sive hanc præcesserit, sive sequatur: cum delictum per pœnitentiâ non aboleatur *l. 65. ff. de furt.* add. B. Dn. Brunnem. *Exerc. ad Inst. 11. pag. 91.*

29 Sed redeundo ad justam heredis institutionem, quaritur, an salvâ Conscientiâ possit quis inæqualiter inter Liberos dividere sua bona? Quod negavit Layman. *l. 3. sect. 5. Tr. 5. c. 5. n. 13.* cum inæqualitas discordiæ, litis, omnis generis contentionum mater sit. Sed aliud jus nostrum disposuit in *l. 8. C. de Inoff. Test.* ubi: *Parentibus arbitrium dividende hereditatis inter liberos adimendum non est: dummodo non minus is, qui pietatis sibi conscius est, quartam partis, quæ, intestato defuncto, potuit ad eum pertinere, ex judicio parentis obtineat.* Cui ad stipulatur naturæ jus, quod non constringit Parentes ad æqualitatem servandam inter liberos in beneficiendo, quemadmodum non induxit vel in Parentum amore, vel in liberorum obsequiis, aut horum ad ipsos se sustinendos aptitudine æqualitatem. Add. *Genes. 48. v. 22.* Dian. *Ref. Mor. Tom. 6. Tr. 8. Ref. 108. 109.* & alleg. ap. Dn. Brunnem. *ad d. l. 8. n. 3. C. de Inoff. Test.* Inde etiam Jus præcipui obtinuit, das Vorausß. de quo conf. *l. 34. §. 1. de Leg. 2.* & cujus certa in non paucis locis quantitas quoqve determinata est

31 per statuta. Justius tamen hîc fecerit Pater, si adhibitâ prudentiâ judicaverit, annon etiam invidiæ & odiorum semina spargat inter liberos, dum forsan, citra graves causas, æquales, & meritos æqualiter, inæqualiter tractasse possit videri, Vid. *Gen. 37. v. 4.* Dn. Pufend. *de I. N. & G. l. 4. c. 11. §. 8. & Et. Iprd. l. 1. def. 5. §. 18.*

Æqua-

Æqualitas enim servanda, quantum fieri potest; cum conservativa sit amoris & concordia: Unde illius favore multa permittuntur in Jure, non permittenda aliàs, Vid. *l. 77. §. 20. de Leg. 2.*

Cum verò externa quoque habeat requisita heredis institutio, pri-³² mum horum est, ut sit *certa*. Namque aliàs testamentum tanquam ratione voluntatis imperfectum ipso jure foret nullum: unde nec in alterius arbitrium illa collata dicitur valere in *l. illa institutio. 37 ff. de Hered. instit.* nisi in favorem piæ causæ, sicut Dd. limitant ex *c. cum tibi. 13. X. de Testam.* Licet, si hoc procedit, ego ex hoc id quoque concludam, valere simpliciter in F. C. istam institutionem, maximè si pio animo eam fecerit testator. Nam ratio in piis causis desumitur ab æquitate naturali cooperante favore piarum causarum: Hic verò cum æquitate naturali concurrat favor simplicitatis, junctâ enixa defuncti voluntate, quæ in C. F. potissimum respicitur. Ac est argumentum à Legatis, quæ, licet non expresse, tacite tamen in alterius arbitrium conferri posse, etiam in ipso Jure Civili permittitur. Vid. *l. 52. ff. de Condit. & Demonstr. l. 18. de Hered. instit.* Ex quo porrò disputatur: an Nutu possit fieri heredis institutio? quod negant Dd. Comm. in *l. 21. de*³³ *Leg. 3. & l. 29. C. de Testam.* Sed licet de communi jure ita sit, melius tamen & hïc in C. F. satis esse dicitur, si vel nutu fiat; modo tamen iterum certò & indubitabiliter constet, eam fuisse voluntatem testatoris, qui tunc pleno & perfecto judicio utebatur, Molin. *d. Tr. 2. disp. 127. §. licet autem. & tota Disp. 18. Fagundez. de l. & Contr. d. l. 6. c. 2. §. 55.* Facit rursus, quod etiam Legata & fideicommissa relinqui nutu ex Civ. Jure queant. Vid. *l. nutu. ff. de Leg. 3. l. cum proponebatur. ff. de Leg. 2.*

Alterum requisitum est, ut sit *libera* institutio. Ex quo patet quid³⁴ de Testamento per vim, fraudem, dolum, aut errorem extorto sentiendum sit: nullum scilicet id esse, etiam in utroque foro. *l. nec apud. 7. l. si pater. 4. C. de hered. instit.* Nihil enim consensui tam contrarium est, quam dolus & error. *l. si per errorem. 15. ff. de fidei.* Imò graviter peccare, qui sic inducunt Testatorem ad testandum, & restituendam esse hereditatem iis, qui per extortum illud, & veriùs involuntarium, testamentum læsi sunt. Vid. *alleg. ap. Andr. à Matre Dei Tr. 14. c. 5. p. 3. n. 29. 30. & Molin. d. Tr. 2. disp. 35. n. 3.* Idemque dicendum de Testamento per preces expresso, si scilicet importunissimæ illæ sint, & adeò molesta ut quasi vim facere videantur. à Matre Dei *d. l. Molin. d. l. n. 6. Carpz. p. 3. c. 5. def. 9.* quò pertinet etiam metus reverentialis. Cothman. *lib. 1. R. 29.*

- 35 n. 148. Non v. de eo quod saltem rationibus, consilio, svafione, blanditiis (licet etiam lacrymis, Farinac. de Fals. & simul. qv. 161. num. 87. B. Dn. Brunnem. ad l. ult. C. Si quis aliqu. test. probib. vel coeg. n. 3. ubi præjudicia) elicited fuerit. Nam de hoc aliud dicendum, cum verborum lenocinia, nec in F. C. rejiciantur, modò fiant sine mendacio & fraude. Jung. d. l. ult. C. Si quis aliqu. test. & l. fin. ff. eod. ibique Dn. 36 Brunnem. n. 4. & seqq. Ex quo id quoque simul fluit, nec esse vitiosum testamentum, si maritus & uxor in eodem testamento se ad invicem heredes instituant: cum mutuus amor saltem blanditiarum instar habeat. Licet hoc testamentum etiam alia ex causa impugnare soleant, quòd scil. præstet occasionem captandæ mortis alterius, ad comparandam illius hereditatem: unde videtur reprobandum juxta ea, quæ notantur in l. fin. C. de Pact. l. qui superstitis. ff. de Acqv. hered. c. ne captandæ. de Concess. præbend. X. in. 6. Sed & huic respondetur, quòd intensus ille ac mutuus inter conjuges amor tollat omninò vitium & illam captandæ mortis occasionem, juxta textum in l. captatorias. 70. ibi: non quæ mutuis affectionibus sunt. ff. de Hered. instir. Add. Fagundez. d. l. 6. c. 2. §. 46. 47. ibique alleg.
- 37 Tertium deniq; requisitum est, ut in Testamento saltem fiat heredis institutio, non vel pacto vel Codicillis, vid. l. 34. C. de Transact. l. 4. C. de Inut. Scip. l. 61. ff. de U. O. l. 52. §. 9. ff. pro Soc. l. 5. C. de pact. conu. tam sup. dot. l. 19. C. de Pact. l. 10. ff. de J. Codicill. Ubi tamen inquirendum est, quid causæ sit, cur non pacto possit dari hereditas, & an si pactum ejusmodi factum sit, non illud in C. F. possit tolerari? Et Romani juris non fuit alia ratio, quam (1.) ne præter dispositionem Legis novus introduceretur acquirendi hereditatem modus. (2.) ne libera Testamenti factio impediretur. Vid. l. 52. §. 9. ff. pro Soc. l. 5. C. de Pact. Cum enim quoad prius, certi essent acquirendi Dominium modi, non minus certi esse debebant modi hereditatis adipiscendæ, qui jure illo definiti erant. Successio ab Intestato per Legem, & Successio ex Testamento per voluntatem defuncti, cui posteriori non æquipollebat quoad effectum, quicquid non æquipolleret etiam quoad solennia. Dauth. de Testam. n. 105. in fin. Quoad posterius, cum esse debere ambulatoriam hominis voluntatem usque ad mortem censeretur l. 32. §. 3. de Don. inter vir. & ux. l. 4. ff. de Adim. leg. iniquum videbatur pacto restringere naturalem istam libertatem, à quo pacto deinde recedere non liceret, nisi consentiente altero. arg. l. 5. C. de O. & A. Et obvieniendum

dum huic erat etiam hoc magis, quod Romæ valdè essent frequentes, odiosum illud hominum genus, captatores (quos *Vultures* Seneca, *Ep. 95.* Petronius *Heredipetas* vocat) qui callidè norant, pacta ejusmodi provocare, & in se derivare. *Vid. Hartm. Pistor. p. 4. qv. 2. num. 3. 4.* Naturæ verò Jus quid hîc constituit? Hoc sanè nihil prohibet. 39
 Quinimò, pacto admissò, res quoque eò magis juri naturæ (cui Jus Romanum aliquid detraxit) convenit, ut quis tanquam rei suæ moderator & arbiter, de re sua statuere possit, utcunque libuerit. Cùm enim dominium eo jure facultatem alienandi cuilibet Domino concedat, quid interest, bona mea me alienare per contractum aut testamentum? quod inter alienandi modos refert Grot. *l. 2. de J. B. & P. cap. 6. §. ult.* Accedit quòd testandi facultas etiam beneficium sit, quod, ex beneficiorum natura, respui potest ab eo, qui illo uti non vult, arg. *l. 29. C. de Pa&.* cùm & invito non detur. *l. 69. de R. I.* inde quilibet ut delatam hereditatem adire aut repudiare *l. 16. C. de J. Delib.* sic etiam legem sibi dicere possit, ne unquam testetur. Quapropter etiam præstantiores Interpp. statuunt, valere ejusmodi pactum: imò si Juramentum adpositum fuerit, obligationem in utroque Foro producere. Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 8. num. 98.* ac servandum esse, nec illud citra perjurium, transgredi quem posse, Pistor. *d. qv. 2. n. 26. seqq.* B. Dn. Brunnem. *ad l. 15. C. de Pa&.* Mihi tamen dicendum videtur, cum Civiles Leges etiam in Consc. obligent, hîc videndum esse, annon contraria consuetudine derogatum his hac in parte sit, quod fieri posse probant Dauth. *d. l. n. 86. vers. tum 7.* Pistor. *d. qv. n. 22. & 44.* Zoef. *ad ff. de Pa&. n. 34. & Excell. Dn. Præf. de Success. ab Int. c. 1. §. 6.* cum alleg. *ibid.* Struv. *Ex. 6. th. 44. in fin.* an verò forsan Statuto prohibeatur hoc pactum, idque tanquam improbi voti introductorium (fatendum enim est, magis ferè captandæ mortis votum hic introduci, quam in pactis de hereditate tertii, de quibus vid. *Dd. ad l. ult. C. de Pa&.* cùm in his nihil alter capiat, nisi alteri supervixerit) quo Posteriori casu in C. F. tolerari pactum ejusmodi haud posset: Licet aliàs citra illud statutum probe à pacto personarum vitia sint secernenda, neque imputandum pacto, quod personarum vitium est. Non enim tam illa concupiscentia improba & peccaminosa attendenda est, quæ ex malitia hujus aut illius oritur, quàm auctus ipse concupiscentiæ indifferens, & abstractus à sua deformitate, quippe qui nec in præcepto nono nec decimo prohibetur. *Vid. D. Danhavver. Coll. Decal. disp. 19. §. 3.* Sed de *Heredis Institutione* satis.

Circa *Legata* varia quoque constituerunt jura (vid. in ff. lib. 3. § 30. usq. ad 37.) sed ex quibus pariter excerpam saltem potissima. Ergo, si Testamentum ipsum nullum sit ob defectum solennium, quæritur, annon exinde debeantur legata? Quod nonnulli negarunt absolute, (1.) quia ubi nullum est principale, ibi concidat necessum est accessorium etiam, quæ sunt respectu testamenti legata. l. 178. ff. de R. l. c. accessorium. X. eod. in 6. (2.) quia, ubi ex testamento hereditas adiri non potest, nec legata debentur l. 181. de R. l. & res ad causam intestati redit. lib. 10. §. 4. in fin. ff. de Vulg. & Pupill. subst. (3.) quia nec legatum libertatis ex testamento nullo debetur. l. 11. C. de Testam. manum: quod tamen legatum pium in jure censetur. l. 2. C. si omiff. caus. Test. Add. etiam l. ex imperfecto. 25. ff. de Leg. 3. Verum, cum hæc dependeant ex ea, quam supra tetigi, quæstione, an testamentum ob omiffa illius solennia nullum in Jure Civili, sit quoque nullum in F. C. hæc simul decidenda, quæstio venit. Ubi sunt quidem authores gravissimi, qui non esse nullum in C. F. testamentum ejusmodi, sed omninò subsistere multis rationibus adferant, de quibus vide in primis Fagundez. de Jusf. & Contr. l. 6. c. 7. §. 1. & seqq. Mihi verò contrarium dicendum videtur cum aliis, non minus summæ autoritatis viris. Primò etenim illud fundamenti loco præsupponendum, (nec negari posse puto,) testandi actum in se & sui natura indifferentem esse, circa quem suprema Potestas potuit disponere, quid ad validitatem illius voluerit adhiberi, quoque ipso etiam conscientias Civium suorum certas voluerit esse. Cum ergò hîc constituerit suprema Potestas, nullum esse debere testamentum, nisi adhibita Juris Civ. solennitates fuerint, etiam ipsis consuluit conscientiis, quæ non tenentur admittere tanquam validum, imperfectum ejusmodi testamentum. Deinde in omnibus actibus naturâ suâ indifferentibus, nulla est ad ipsos obligatio, nisi vel ex *Legis* jussu, vel ex alio *superioris* mandato, vel ex *facto* proprio. Nullum autem horum in Testamento nudè considerato adest: non jussus *Legis*; nam Lex non adfficit testamentis, nisi quatenus adhibita sunt legitimæ solennitates: non *superioris*, nam defunctus in successorem ab intestato non habet potestatem; & velle post mortem nemo potest, nisi quâ juvatur Lege Civili, contra quam qui velle vult, patiatur necessum est, impune sperni frustra conceptam voluntatem. Non denique *factum* proprium: nam qui ab intestato hæres est, nunquam promittendo se devinxit alteri, ne quidem tacite, cum non ex voluntate defuncti, sed

defe-

deferente hereditatem Lege succedat, quæ lex liberat eum ab omni ne-
 xu. Ultimo, id sequeretur, si LL. invalidum rodentes ob defectum so-
 lennitatum testamentum, vim non haberent in Conscientia, essent illæ
 omnino iniquæ. Quis enim pertineret gravare Cives solennitatibus,
 quibus ommissis nihilominus ex Conscientia metu præstandum sit, quod
 præstari voluerit testator? Ad peccandum invitarent Cives, quorum
 maximæ parti facile foret, Legum autoritate lucrum captare, & consci-
 entia morsus negligere: Saltem plane frustranea foret LLatio, quia &
 invalidum testamentum, nisi peccare velis, valeret. Adde pluribus ad
 has rationes Dn. Struv. *Ex. 32. 16. 16.* ac ad contrarias etiam responden-
 tem *Magnif. Dn. Mauritium Cons. Kilon. p. 2. conf. 10. n. 23. & seqq.*
 Conf. quoque *citatos supra n. 14.* Ex his itaque & ipse rectè puto di- 46
 ci, non Legata deberi ex testamento imperfecto, ad quod satis faciunt
 supra adductæ rationes. Neq; dubium movet, quod communiter re-
 ceptum sit, legata ad pias causas solvi debere, licet nullum sit testamen-
 tum, vid. *Molin. tr. 2. disp. 143. n. 7.* à *Matre Dei d. c. 5. p. 13 §. 1. num. 172.*
Fagundez. d. l. 6. cap. 3. §. 35. Alleg. ap. *Dian. Ref. tom. 6. tr. 8. Ref.*
3. §. 2. & Ref. 57. Sanè enim videtur aliquid causæ piæ tribuendum,
 cum hujus favor insignis sit, unde ei nocere non debet omiſſa juris ci-
 vilis solennitas, sed suffecerit, si heredi ab intestato verè confiterit, de-
 functum destinasse aliquid ferò causæ piæ; non obstante *d. l. 11. C. de*
Test. man. ad quam vid. *B. Dn. Brunneman. num. 15. 16.* licet nec male
 hîc distingvat inter pia quoad forum *interius* & pia quoad *F. exte-*
rius, *Valer. de diff. utr. for. tit. Legatum. diff. 3. num. 2.* Id quoq; præ-
 terea observandum, licet Civile Jus circa non præstanda reliqua ex Te-
 stamento, solennitatibus suis destitudo, titas faciat conscientias, simul
 tamen pudori cujusq; relinquere, si forsan præstare malit quàm non-
 præstare. Nam id tantum effecit Jus Civile, ut non-præstare malum,
 non sit, reliquum reliquid cujusq; arbitrio. Vid. huc pertinentiã apud
 Dn. *Mev. Prodr. Jpr. Gent. Insf. 6. §. 20. pag. 362.* quocirca nec malè sva-
 deri puto à *Ferd. Vasquez, de Testat. potent. l. 1. §. 1. n. 23.* ut heres ab in-
 testato ipse conscientiam suam scrutetur, & hâc in re faciat id, quod sua
 conscientia ei dicat. &c.

Deinde, cum possit contingere, ut legetur quid alicui, de quo non 47
satis constet, fortè quod plures sint ejusdem nominis, ejusdem cum de-
 functo cognationis, affinitatis, familiaritatis &c. dubium est, cui debeatur
 Legatum? Cumq; Jus Romanum nullum id faciat, & hereditati adjiciat.

- arg. d. l. duo sunt Titii. 30. ff. de Testam. tut. l. in tempus 62. §. 1. ff. Hered. inst. l. 8. §. si inter duos. 3. ff. de Leg. 2. l. 3. §. si duobus 7. ff. de Adim. vel transf. Leg. l. si fuerit. 10. pr. ff. de Reb. dub. quibus adsen: it Covarruv. in C. indicante X. de Testam. n. 1. B. Dn. Brunnem. ad d. l. & in Qv. Wesenbec. ad tit. de R. Dub. qv. 4. & valdè extendens illud
- 48 Valer. d. t. Legatum. diff. 5. v. quod adeò verum. Attamen in C. F. aliud dicendum esse omnes conveniunt, secundùm quod dividendum esset legatum inter legatarios illos dubios, si hi consentiant in divisionem. Cum enim ipsum debitum certum sit ex voluntate testatoris, incerta saltem persona ex accidenti, nec retinere sibi debitor (hæres) salva Consc. posset, nec legatario vero fieret injuria, dum renunciat ex parte suo juri, & aliquid mavult alteri quoque tribui, quàm se periclitari in toto. Facit, quoad certitudinem debiti, d. l. 8. §. si inter duos. 3. ff. de Leg. 2. Vid. Valer. d. l. v. in Foro vero Consc. Molin. tr. 2. disp. 197. num. 2. Soto. l. 4. qv. 7. art. 1. ad 3. Dian. d. tr. 8. Res. 51. 52. Dixi
- 49 tamen, si consentiant in Divisionem legatarii. Quid verò si non consentiant hi, ut dividatur? (quod vix credo eventurum) Hoc quidem, casu Bened. Ægid. in l. 1. pr. n. 40. C. de SS. Eccles. docet, in C. F. dividendam esse Legati quantitatem inter pauperes, seu impendendum in opus aliquod pium, ad exemplum eorum, quæ cum inventa sunt, post diligentem inquisitionem tamen Dominus eorum reperiri non potest. vid. c. super. num. 45. Sed hujus concludentem rationem mihi videre non licet. Apparet enim differentia manifesta ratio, dum ibi, qui contradicat distributioni, nemo est; hic verò duo sunt, quorum uterque sibi vindicare constituit. Possè ergo heredem tali casu sibi retinere legatum verius puto, saltem instar depositi & quoad alter controvertentium sibi deberi probaverit. Atque hoc etiã sequitur Valer. d. l. in fin.
- 50 *Aliena autem res num rectè legetur, ulterius dubitari potest. Quæ jure quidem Civili res expedita est, modò testator sciverit rem esse alienam l. cum alienam 10. ibique B. Dn. Brunnem. C. de Legat. vel legatarius sit persona conjuncta d. l. 10. Sed de jure Canonico videtur textus obstare in c. filius. 5. X. de Testam. ibi Gregorius Pont. Et quidem Leges seculi hoc habent, ut hæres ad solvendum cogatur, si auctor ejus rem legaverit alienam. Sed quia Lege Dei non autem Lege hujus seculi vivimus, valde mihi videtur injustum, ut res tibi legata, qua cujusdam esse Ecclesie perhibetur, à te teneatur, qui aliena restituere*

tuere debuisti: quo textu motus Abbas, in C. F. indistinctè non licere rem alienam legare, ait in *d. c. n. 3.* Verum hîc probè adverterunt alii, non 51
absolutè de rebus alienis legatis, sed de legatis rebus Ecclesiæ loqui hunc textum. Vid. Covarruv. *ad d. c. in fin* Fachin. *s. Controv. 38.* Harprecht. *ad Inst. de Leg. §. 4.* Res autem Ecclesiæ legari posse etiam ex Civili ratione nego, quoniam sc. exemptæ sunt rerum commercio *per §. 8. f. de R. D.* Vid. B. Dn. Brunnem. *Exerc. ad Inst. 13. ad §. 4. p. 107.* unde licet legari possint, quorum paratio difficilis est, *l. 39 §. 7. de Leg. 1.* non tamen illud potest extendi ad ea, quorum paratio plane est extra potestatem. Quare concidit ista dubitatio. Pluribus etiam *ad d. c.* respondit. Valer. *d. tit. Legatum. diff. 7. Mœstert. de Just. LL Rom. l. 2. d. 47.*

Cum porrò Legatis *Conditiones* sæpius adjici, soleant, quænam 52
subsistant in C. F. quæritur. Et Conditiones impossibiles, turpes (ai. impossibiles lege. vid. *l. 15. ff. de Condit. Instit.*) & impeditivas boni, non sustineri, sed haberi pro non adjectis, jus Civile voluit. Hinc implendæ non sunt, sed legata tamen peti nihilominus possunt. Vid. *l. Reprehendenda 5. C. de Instit. & Subst. l. Quidam. 26. ff. de Condit. Inst. l. turpia. 54. de Leg. 1.* & aliæ cit. à gl. *pen. in c. fin. de Condit. appof.* An verò idem in Consc. Foro? Negant multi, & cum impletionem ipsi non svadeant, legatum tamen non existente conditione non valere dicunt. Implendam enim præcisè Testatoris voluntatem, aut negligendum beneficium ab eo oblatum. Vid. *alleg. ap. Valer. d. t. diff. 4. v. in F. verò C. & ap. Dian. d. tr. 8. Ref. 42. numer. 2.* Sed melius ipse 53
Valer. *in seqq.* tam in interiori quàm etiam exteriori foro dicit pro non adjecta habendam conditionem, & idèd posse à legatario tuta conscientia capi legatum, non impleta conditione. Etenim quas dixi conditiones, meritò improbantur à jure & pro non scriptis habentur, ob vitia, quæ ipsis adhærent. Non igitur potest iis obflare contraria testatoris voluntas, quæ regulanda erat secundùm jus. Nam nemo potest cavere, ne Leges in suo Testamento locum habeant, *l. 55. ff. de Legat. 1.* Et ut voluntas testatoris pro Lege habeatur, requiritur, ut sit illa secundùm leges, non contra easdem. Add. Dian. *d. Ref. 42. numer. 3.* & Sanchez *de Matrim. tom. 1. l. 1 d. 33. n. 2.* ibiq; alleg.

Unde patet, quid sentiendum sit de conditionibus, *si cælum digi-* 54
to tetigeris, si furtum feceris, si virgo vel juvenis non contraxeris,
quarum omnium nullus effectus est. Quibus illam quoque addo: *Si ad aliam religionem e. g. Lutheranus ad Pontificiam vel Reformatam,*
vel:

vel: *vice versa*, Pontificius aut Reformatus ad Lutheranam, *transieris*. Nam turpe est, spelucris adipiscendi induci ad mutandam religionem. Facit arg. *ex l. 8. pr. ff. de Condit. Instit.* Cui non obstat, quod utraque tamen religio in Rep. Rom. Germ. toleretur, vi *Transact. Passav. & Instrum. Pac. Osnabrugensis*; (2) quod non sit turpis conditio, si quis ita avertatur à falsa ad veram Religionem amplectendam. Nam 55 respondetur ad (1.) id saltem esse intelligendum quoad Civilia; quo ipso non fit honesta conditio, qua is qui unam religionem habet provera, invitatur ad negligendam istam & amplectendam aliam. Et quamvis etiam liceat in Imperio ab una Religionis professione libere transire ad alteram absque honoris & bonorum jactura: *Vid. Anton. Benbellona de Gaudentiis (vel potius Barthol. Gericius, uti ap. Hortleder. l. 1. cap. 37. in fin.) de Pace Relig. passim.* aliud tamen longe est, per LL. publicas concessum esse, & per Conscientiam esse licitum. Nec enim omne, quod licet, honestum est. *l. 44. de R. J.* unde nisi quis in conscientia sua convictus fuerit legitime, Religionem, ad quam transitum parat, veriore esse, frustra creditur impleri conditionem posse. ad (2.) licet ipsa adductio ad veram religionem in se non sit turpis, turpem tamen esse modum, ut spe lucri quis mutet religionem. *Dn. Struv. Ex. 33. Th. 50. Carpz. Doc. 89. Confer. Knipschid de Fideicom. cap. 6. & imprimis Magnif. Dn. Ziegler. Diss. Inaug. de Conditionib. (quæ est inter Disp. Jur. collectas à Dn. Fritschio 10.) ibi 75. & seqq. p. 381.*

56 Cæterum etiam *causa* Legatis solet adjici, licet plerumque gratuitum donum legatum sit. Ubi, si falsa causa adjiciatur, quaritur, an Legatum illud sustineatur? Jus Civile sustinet, cum non in causa adjecta subsistat legantis mens, sed in benevolentia & liberalitate, & legatum constet etiam sine ratione. *Vid. l. 17. l. 33. l. 72. §. 6. ff. de Condit. & Demonstr. §. 31. f. de Legat.* Distinguitur tamen, an citra causam adjectam legaturus quoque fuisset defunctus, an præcisè respectum habuerit ad illam causam, & ea non existente nec legasset. Priori casu planè dubium non subest: sed posteriori neganda quæstio. *d. l. 72. §. 6. ibi: Doli exceptio locum habet, si probetur aliàs legaturus non fuisse.* Attenditur itaque, an fuerit causa adjecta tanquam *finalis*, an verò tanquam *impulsiva* tantum. Posterior sustinet legatum, sed prior dejicit: licet hæc in dubio regulariter non præsumatur, sed sit probanda. *Vid. Carpzov. p. 3. c. 9. d. 20. Klock. tom. 3.*

conf.

conf. 109. n. 19. B. Dn. Brunnemann. *ad d. l. 17. de Cond. & Demonstr.*
Atque hæc cum C. F. quoque convenire cum latius probet Molin.
d. tr. 7. disp. 209. ad hunc me remitto.

Tandem contingit interdum, adeo Legatis exhauriri hereditatem, ut instituto nihil fere superfit emolumentum; unde, hunc repudiare hereditatem, novum non est, & rem ad causam intestati ita recedere. Quod ne fiat, Lex Falcidia lata est, quæ in illum casum tantum, detrudere à legatis heredi permittit, ut partem hereditatis quartam salvam hic habeat. Vid. *t. r. ff. C. & I. de L. Falcid.* Hæc verò alicui etiam Juris Naturæ esse, poterat videri, tum, quod iniqum sit, & 59 contra naturam, qui habet incommodum solvendi legata, (quæ sine onere rarò solvuntur) eum nihil habere commodi, arg. *l. 10. D. de R. l. tum exemplo Legitimæ, quam naturalis Juris esse nemo ambigit.* Contrarium tamen videtur esse verius. Nam quoad primum, obligatus nemo est ad adeundum præcisè hereditatem, sed, si nullum lucrum senserit, abstinere se ab illa impunè potest. Hinc si quis sponte adierit hereditatem oneratam, nihil patietur naturæ contrarium. Quoad alterum verò, subest differentiæ ratio, cum Legitima debeatur liberis, adversus quos Parentum ad alimenta naturalis est obligatio. Adversus Heredem verò quæ heredem nulla est obligatio, sed poterat ei relinqui, poterat etiam non relinqui. Ex hoc igitur facilius nunc 60 decidetur, an, si quartam illam forsitan heredi nolit indulgere testator, sed detrahi prohibeat, juste id faciat, an vero nihilominus detrudere eam heres queat? Nam, cum mere Civilis illa sit, olim quidem prohibebatur injuste, & detrahi ab herede nihilominus poterat. Nam testator in suo testamento hanc sibi Legem dicere haud valebat, ut leges in eo non valerent. *l. 55. ff. de Leg. 1.* Et cum contra Legem concepta esset testatoris voluntas, tutò eam spernebat heres. Sed hodie juste prohibetur & detrahi non potest, ob *Const. Nov. 1. & Auth. Sed cum Testator. C. ad L. Falcid.* Nam hic permissum est testatoribus, expressim designare, non velle, heredem retinere Falcidiam: unde necessarium est, testatoris valere sententiam, & aut volentem heredem parere testatori (lucrum non in percipiendo sed solummodo pie agendo habentem) aut si non parere voluerit, recedere ab ista institutione, & locum aliis facere. Vid. *d. Nov. ibique Godofr. n. 20.* An 61 autem etiam, si non confecerit Inventarium heres, eam possit detrudere, & an, si ex ignorantia juris quædam legata solverit integra, ex his

aliquid possit repetere, & tantum postea detrahere de reliquis, ut consequatur Falcidiam, de eo vid. *B. Dn. Brunnem. ad d. Auth. Sed cū testator*

- 62 Sane, quoad prius, per expressa *d. Auth.* verba non solum non detrahere Falcidiam potest, sed etiam in solidum, etiam ultra vires hereditatis, legatariis tenetur: De quo cum dubitetur inter Dd. an id in C. F. obtineat, negantibus id Menoch. *Consil. 37. n. 56.* Mascard. *de Probat. Concl. 851. n. 14.* Fachin. *l. 6. Controv. 24.* Dian. *Ref. Mor. tom. 6. Ref. 86.* Valer. *de Diff. utr. for. tit. hereditas. diff. 2.* Andr. à Matre Dei. *tr. 14. c. 5. punct. 11. n. 151.* Sanchez. *l. 4. Decal. c. 15. n. 37.* Affirmantibus Giphani. *ad l. ult. C. de J. Delib. Dn. Struv. Ex. 33. Tb. 57.* mihi videtur inspiciendum, an hæres sciens volens neglexerit inventarii beneficium, an vero iusta ex causa impeditus sit. Posteriori casu non nisi inique condemnaretur ad solvendum ultra vires hereditatis: Priori vero casu, ob violentam fraudis præsumtionem, & quoniam consensisse videtur in id, quod LL. Civiles in casum non facti inventarii injungunt, omnino etiam in C. F. teneretur in solidum; & maxime, si ipsa ei conscientia dicitur, animo fraudulento se omisisse inventarii consecutionem. In Leges enim qui impingit sciens volens, is sane tutus in Conscientia esse non potest. Quoad posterius, *ex d. Auth.* clarum est, deduci Falcidiam non posse, sed quoque legata reliqua præstanda esse integra, cum primâ solutione agnovisse iudicium testatoris heres videatur: Sed hæc tamen in C. F. aliud dicendum asserit Fagundez. *de Juslit. l. 6. c. 17. §. 16.* cum non videatur fuisse mens Legis, ut Falcidia, quæ tanta æquitate fuit concessa heredi, denegetur ei absque ulla culpa sua, solum ideò, quod ignoraverit competere sibi beneficium; Sed ideo videatur lex rejecisse Juris ignorantia exceptionem, quoniam præsumit illam fraudulenter allegari, & revera heredem, qui cœpit solvere legata in solidum, cum sciret vires hereditatis, aut promisisset defuncto, se ita facturum, aut accepisset hereditatem iis oneribus sufficientem absque Falcidia detractione: quare comperta contraria veritate dispositionem legis in Poli foro non procedere dicendum, sed heredem ita deceptum posse postea falcidiam repetere, legatariumq; cui constat de heredis innocentia, debere ipsi restituere, quod per errorem ultra debitum accepit. Conf. Valer. *d. r. Hereditas. diff. 3. num. 2.* Sed hæc etiam de *Legatis* sufficient.

Alter modus acqvirendi mortis cauſa, qui eſt ex facto prioris Do-
mini, eſt *Mortis cauſa Donatio*. Verùm cum hæc quidem Legatis plane
ſit adæquata, unde quæ ad eam pertinent, explicari ex modò dictis
poſſe videntur: cum etiam in *ſeqv. cap.* de Donationibus inter vi-
vos agendum ſit, unde pariter multa ad m.c. donationes referri pote-
runt: ideò tardari in hac opere pretium non videtur; quin pergo ad

C A P. V.

De

Foro Conſcientiæ qvatenus verſatur circa modos acqvir. derivativ. inter vivos, voluntarios.

CONSPECTUS.

Connexio, n. 1. Primus mo-
dus acqvirendi inter vivos
eſt Donatio n. 2. Hujus fuſſitia
interna n. 3. Incipere poteſt eti-
am à promiſſione. n. 4. Differt
propoſitum & promiſſio. n. 5. Pro-
miſſio alia eſt imperfeſta, alia
perfeſta. n. 6. Nulla obligat, an-
tequam ſit acceptata. n. 7. 8. Quan-
do revera obliget? n. 9. Quid
ſentiendum de promiſſione inter-
na? n. 10. Donationum conſi-
deranda circumſtantia. n. 11. Qui
poſſunt donare & quibus? n. 12.
Non Pater filio de Fur. Civ. n.
13. An idem in F. Conſc. n. 14.
Quid ſi juramentum adjectum?
n. 15. Nec Conjux Conjugi. n.
16. Annon in F. C. n. 17. & quid
ſi acceſſerit juo jurandum. n. 19.
Quantum poſſit donari. n. 20.

An donationis 500. ſolidos exce-
dentis inſinuatione requiratur eti-
am in F. Conſc. n. 21. 22. An re-
nunciari poſſit inſinuatione? n. 23.
An Juramentum ſuppleat inſinu-
ationem? n. 24. 25. An donari
poſſint bona omnia & præſentia
& futura? n. 26. Ubi verior
affirmativa. n. 27. Etiam in F.
C. limitate tamen. n. 28. Neque
ideo revocari regulariter poteſt.
n. 29. Licet nec juramentum
acceſſerit. n. 30. An abſenti do-
nari poſſit? n. 31. An acceptatio
fieri poſſit ab abſente poſt mortem
donatoris? n. 32. Opinio Moli-
næ. n. 33. Et quid ſi juramento
firmata ante acceptationem do-
natio fuerit? n. 34. Quæ cauſæ
ſint revocationis? n. 35. An
ob ingratitudinem revocatio fieri
poſſit.

possit, si non revocaturum se donator promiserit jurato? n. 36. Quod negatur n. 37. An renunciari possit beneficio, si unquam C. de Rev. Don. n. 38. Quousque revocetur donatio inofficiosa in F. C. n. 39. Alia de Donationibus remissivè n. 40. Alter modus acquirendi inter vivos est per interpositum Contractum. n. 41. Divisio Contractuum remissivè n. 42. Inter contractus nominatos & innominatos qua sit in F. C. differentia n. 43. Agendum erit tantum de Nominatis n. 44. Commune omnibus contractibus est (1.) Consensus n. 45. Quomodo hic impediatur? n. 46. de Errore. n. 47. de Dolo. n. 48. de Metu. 49. Juramentum metu extortum an validum sit? n. 50. De atate. n. 51. de Morbo animi. n. 52. de interdicto Magistratus. n. 53. (2.) Præstatio Doli & Culpa. n. 54. An valeat conventio, ne Dolus præstetur. n. 55. Regule de culpa n. 56. Harum naturalis æquitas. n. 57. Quid in casu fortuito? num. 58. Inter Contractus Reales primus est Mutuum n. 59. Circa hoc, an privilegium S. C. Macedoniani etiam procedat in F. C. n. 60. Rationes affirmativæ n. 61. 62. Respondetur ad contrarias. n. 63. Inde nec renunciari ei à filiosam. potest. n. 64. Quibus tamen casibus

cesset. n. 65 De privilegio Civitatibus circa mutuum concessio remissivè. n. 66. Quid circa Usuras? n. 67. An sint contra Jus naturæ? n. 68. Obligatio opulenti ergo egenum. n. 69. Inde distinctio. n. 70. 71. 72. Differt etiam ac usuris fœnus. n. 73. 74. Ad quod pertinentes nonnulli Contractus recensentur. n. 75. Alter contractus R. est Commodatum n. 76. An si dubitetur culpam perierit commodatum, restituendum sit? sententia affirm. n. 77. Sed refellitur. n. 78. 79 Tertius contractuum R. est Depositum Ubi Justitia l. 51. ff. de pos. n. 80. Quid sit præstandum in Deposito num. 81. De Deposito miserabili, n. 82. Cui facienda restitutio concurrente verò Domino. n. 83. Et an res depositæ præferenda sint propriis? num. 84. Ultimus Contractus R. est Pignus n. 85. Unde circa hoc de fructibus dissertationes. n. 86. Ad quem illi pertineant? n. 87. 88. 89. Pacta pignori adjici solita. n. 90. Pactum Anticretivum rejicit Jus Canon. n. 91. Non tamen ubique. n. 92. Circa illius justitiam, distinguitur. n. 93. 94. Quid juris si percepti inde redditus ad quantitatem sortis jam adscenderint? remissivè. n. 95. Pactum Commisforium an iniquum? n. 96. Quadam de eo remissivè. num.

num. 97. An confirmetur juramento? n. 98. 99. Sequitur Contractus Verbalis n. 100. An ex intercessione sua mulieres non teneantur saltem in F. Consc. n. 101. Quod negatur. n. 102. Respondetur ad contraria. n. 103. Exceptiones remissivæ. n. 104. Post hæc Contractus Literarum n. 105. An ex Chirographo non secuta numeratione pecuniæ aliquod jus seu obligatio. n. 106. Jus Civile defenditur. n. 107. Et quid si juramentum additum sit Chirographo? n. 108. Ultimi contractus sunt Consensuales. num. 109. In Emptione Vend. studia contrabentium & inde orta remedia. n. 110. An vitia rei dicere teneatur venditor? n. 111. Observanda in hoc contractu equalitas. n. 112. Circa vitia adhibenda distinctio. n. 113. seqq. Quid circa ea, quæ sunt extra rem, observandum n. 116. 117. Læso infra dimidium an sustineatur in F. C. n. 118. Explicantur l. 16. §. 4. de Min. l. 22. ff. loc. n. 119. Deciditur questio de læs. infra dim. n. 121. Et explicatur læsio. 122. Alia de Emptione remissivæ. n. 125. In Locatione Conductione cui imputandus casus usum rei impediens. n. 124. Quid si culpa conductoris intervenierit? n. 125. Si sine hujus culpa res perierit. n. 126. Si res non perierit, sed

usus sint interversi. n. 127. quo casu distinguendum inter usus certos & incertos. n. 128. In Locatione opere pluribus facta an quis possit à singulis stipulari mercedem justam? n. 129. Quod non procedit in officialibus. n. 130. ubi tamen non nihil observandum. n. 121. Secus in artificialibus. n. 132. Hujus ratio. n. 152. Alia de Locatione remissivæ. n. 134. In Societate an justa sit Sociorum inæqualitas. n. 135. Societas Leonina. n. 136. Annon defendi in F. C. possit? n. 137. Rejicitur. n. 138. Casus, ubi queat tolerari. n. 139. In ea ut permaneat quis perpetuo, pactum non valet. n. 140. Renunciandum tamen ei non est intempere. n. 141. Alia de Societate remissivæ. n. 142. In Mandato an juste teneatur pena eadem mandans & mandatarius. n. 143. In delictis non differunt Consilium & mandatum n. 144. Distinctio tamen videtur adhibenda inter approbantem & mandantem. n. 145. Mandans ab ordinaria pena non eximitur; licet interdum aliud obtineat in mandatario. n. 146. Reliqua de mandato remissivæ. n. 147. An ludere sit contra conscientiam? n. 149. Quid statuendum de sponsonibus? n. 150. Quid de olla fortuna? n. 151.

Succedunt itaque modò. Acquirendi Derivativo *inter Vivos*; Quos cum *supra c. 3. n. 2.* dixerim oriri vel ex liberalitate, vel ex interposito *contractu* (qui duo possint dici *voluntarii*) vel ex *negligentia*, vel ex *delicto* (qui *involuntarii* dici possint) de prioribus nunc sum acturus in hoc capite. Licet autem, quæ ex *Liberalitate* provenit *Donatio*, commodè quoque sub eodem cum *Contractibus* nomine potuisset comprehendi, *Pactorum* scilicet generali, quatenus & hoc non modo ad omnes *Pactorum* species, [inter quas præcipua sunt *Pacta legitima*, quæ inter eminent *Donatio*,] sed etiam ad ipsos *Contractus* porrigitur, *l. 1. §. 2. 3. l. 27. §. 2. ff. de Pact. Dn. Struv. Ex. 6. th. 2.* tamen parendum est semel dictæ methodo, si non curatori, saltem jam occupatæ.

2 Primus ergo Acquirendi inter vivos *Derivativè* modus est *Donatio*, quæ est actus, quo res propria, ex Liberalitate à volente proficiscitur, & in volentem confertur: sec. Harprecht. *ad Inst. tit. de Donat. n. 17.* quem late hîc defendit Diana *Resol. Moral. tom. 6. tr. 7. R. 1. n. 2.* Considerabitur autem à me tantùm tanquam proficiscens **3** ex merâ liberalitate, & inter vivos. Ubi quidem, cum nihil tam naturale sit, quàm licere cuique rem suam transferre in alium, quacunque ratione lubuerit, derogantibus sine dubio naturali libertati solennitatibus istis, quas Civilia Jura pactis addiderunt; [de quarum etiam justitia eleganter disputant, Marquard. Freherus in *Decision. Arcopagit. c. ult. §. 11. & seqq.* ac huic contrarium statuens Dn. Struv. *d. Ex. 6. th. 7.*] cum quoque intersit publicè fidem dictis constare, nec, trahentibus in peccandi occasionem Legum beneficia hominibus, calliditatem imponere posse simplicitari, juste omnino Iustinianus, resectâ, quæ tunc obtinuerat adhibenda, stipulandi solennitate, jussit valetè imposterum simplicem liberalitatis voluntatem, nec vel quibusdam excogitatis artibus propositum defraudari, vel indevotionem summam nonnullis quasi legitimis velamentis protegi. *in l. 35 § 5. C. de Donation.* Dignissimo, qui legatur integer, textu.

4 Sed ita cum sublatis subtilitatum scrupulis, *Donatio* nunc non ab ipsa solum traditione, verum etiam à *Promissione* validè possit incipere, plurimum referet, nosse, quando, refera quis sit obligatus: unde probè est distingvendum. quomodo facta sit *promissio*, ut inde tenetur asur *Conscientia*. Et quidem, ut ex principiis rem deducam, longè sunt diver-

diversa, habere propositum aut voluntatem deliberatam & firmam, quippiam faciendi in gratiam alterius, idque etiam verbo futuri temporis exprimere, e. g. *dabo tibi aliquando hoc vel illud*: ubi tamen nullam nobis adferre volumus necessitatem in ista voluntate perseverandi; & adstringere semet sua voluntate ex libeeralitate mera, ad quippiam faciendum, quod etiam exprimitur verbo futuri temporis, e. gr. *promitto me daturum*, vel: *dabo tibi hoc, hac vel illa die*. Primum namque non est promissio proprie loquendo, nec ullam implendi obligationem inducit. confer. *l. 108. §. 1.* ibique Gothofr. *ff. de V. O. c. literarum X. de vot. redempt.* Posterius verò est promissio, & si adsint circumstantiæ, (de quibus Dd. J. Civilis ad *tit. f. ff. & C. de Donat.* nim. ut promittens possit donare, is, cui promittitur, sit persona capax &c.) capax est obligationis cujuscunqve. Molin. *de f. & f. tom. 2. tr. 2. disp. 262. n. 1.* Porro ipsa promissio alia est, inducens obligationem solvendi quod promissum est, tantum ex *honestate* quadam *moralis*; non tamen ex *justitia*: alia vero, quæ simul obligationem inducit ex *justitai*: quæ fusiùs explicat [nam brevitatis studium remittere me memet ad alios jubet] Molin. *d. D. n. 3.* concisiùs & elegantius Dn. Pufend. *de f. N. & G. l. 3. c. 5. §. 6.* qui *imperfectam* priorem, posteriorem *perfectam* promissionem vocat ex Grot. *de f. B. & P. l. 2. c. 11. §. 4.* in quibus ergò cum quæritur, an quis inde teneatur in Conscientia, solum in C. F. spectanda est intentio ejus, qui promissit, cum hoc ex sola promittentis voluntate dependeat, quousque se debitorem velit constituere. Molin. *d. D. in fin.* & Fagundez. *de Just. & Contr. l. 3. c. 1. n. 3.* licet in Foro exteriori multum colligatur ex signis. Denique nulla promissio *naturaliter* obligat ad id ut impleatur, antequam fuerit acceptata ab eo cui fit. Dico *naturaliter*. Nam licet studiose nitatur Molin. *d. tr. 2. disp. 263.* probare, esse hoc ex jure positivo non ex natura promissionis, ut revocari ante acceptationem liberè possit, mihi tamen nondum illud persuadetur. Nam, ut obligatio introducatur, consensu opus est, non solum promittentis, sed etiam ejus cui promittitur, qui *Promissarius* in Jure dicitur. Obligatio enim, ut est in *l. 1. ff. de Pact.* non nascitur nisi mutuo duorum consensu. Consensus igitur ille ante acceptationem nondum adest ubi vero nondum consensus, ibi nec Jus ad rem: Ergo nec obligatio. Præterea habet animus humanus non tantum naturalem potentiam consilium mutandi, sed etiam jus, ut rectè id facere possit; quæ

quæ nudâ promissione ita aliquem restringere velle, ut ad ea non pateat reditus nondum quæsitâ alteri obligatione, valde simplex foret adserere. Atque hæc prolixius etiam probant Dian. *d. tr. Ref. 128. n. 5. & seqq.* Thom. Tamburin. *Fur. Moral. l. tr. 9. c. 7. §. 1. n. 3.* cui adde §. 3. in quo probat. *nec inter illos casus, in quibus Dd. nonnulli statuunt oriri obligationem sine acceptatione, vel unicum esse, ubi non adsit acceptatio, licit primo aspectu illa non appareat.* Lessius *de F. & F. l. 2. c. 18. dub. 6.* Dn. Pufend. *d. c. 5 §. 5. acc. 6. l. 15.* D. Osiand. *ad Grot. d. c. 11. §. 14.* Ex his itaque præsuppositis brevibus brevis oritur conclusio: tum scilicet demum teneri quem in Consc. quando reipsa promisit, animo efficaci, & acceptante eo, cui quid fuit promissum. Addatur etiam ad posterius Fagundez. *d. l. 3. c. 4. n. 2. & 10 seqq.* Concidit autem ex his ipsis simul, quod de obligatione promissionis mere internæ in F. C. multis tradit Molin. *d. tr. D. 266. in primis n. 17.* à quo dissentiunt Fagundez. *d. l. 3. c. 3.* cum alleg. *n. 4.* Dian. *d. tr. 7. R. 127.* Ferdin. Rebellus *de Oblig. Jusit. 2. part. l. 18. qu. 1. §. ex dictis colliges.* D. Osiand. *ad Grot. d. c. 11. §. 2. & 3. ubi in fine observ. recenset elegantia verba Escobar. Tom. 5. part. 1. pag. 112. §. 128. 129. huc facientia.*

II Cæterum cum circa Circumstantias (quas supra tetigi) Donationum nonnulla occurrant dubitationi obnoxia, illa expedire, quæ fieri poterit brevitate, conabor. Et de *Personis* primum, quæ possint donare, & quibus possit. Ubi tamen non descendam in ea, quæ de his, quibus concessa non est rerum suarum administratio, e. g. impuberibus, minoribus Curatorem habentibus, amentibus prodigis, furiosis, (de quibus eleganter vid. Dn. Struv. *Ex. 6. th. 56. & seqq.*) jura disposuerunt in *l. 7. pr. l. 23. §. 1. ff. donat. & pass.* Conf. Dian. *d. tr. 7. Ref. 24. & multis seqq.* Andr. à Matre Dei. *Curs. Theol. Mor. tr. 12. c. 4. punct. 5. §. 1.* Fagundez. *l. 4. c. 6.* Azor. *Inst. Mor. Part. 3. lib. 11. c. 3.* Molin. *d. tr. 2. D. 274. usq. ad 278.* Tamburin. *d. lib. 9. tr. 10. c. 3.* cum omnino naturalem rationem habeat, illos alienare non posse, qui, quid agatur, intelligere non possunt, vel alioquin consentire prohibentur: nec sine fraudis suspitione sit, à tali quid accipere, in quo consulta recte voluntas non præsumitur, de quo Dn. Pufend. *Elem. Ipr. l. 1. def. 5. §. 27.* Sed de iis saltem videbo, inter quos ob speciales causas procedere Donationes Jus Civile noluit. Et sunt (1.) *Pater & Filius.* (2.) *Vir & Uxor.*


Inter

Inter Patrem & Filium non procedere Donationem, notum est ex 13
l. u. C. de Donat. l. 25. C. de Don. int. V. & U. Ratio (1.) quia pater &
 filius habentur pro una persona *l. fin. C. de Impub.* nemo verò ipsi sibi
 donare potest. (2.) quia regulariter filius omne quod acquirat, acquirit
 Patri, §. 1. *Inst. Per quas personas cuique acquir.* adeoque non transfer-
 retur per donationem in filium dominium, quod non fieri in donatio-
 ne absurdum foret. Vid. Fagundez. *d. l. 4. c. 7. n. 2.* A Matre Dei. *d.*
p. 5. §. 3. n. 104. Azor. *d. l. 11. c. 9. qu. 1.* Enimverò, cum prius non nisi 14
 ex fictione, alterum sit ex merâ juris civilis dispositione, non ex necessi-
 tate quadam naturali, (id quod patet ex contrariâ in castrensi & quasi
 peculio ordinatione vid. *l. ult. C. de. Inoff. testam.*) sane non sine gravi
 ratione revocandum ejusmodi factam donationem in F. C. suaderem.
 Dum enim à Matre facta donatio valet, vid. Carpz. *p. 2. c. 12. d. 23.*
 dum valet filio emancipato etiam à Patre facta, 17. *C. de Donat.* imo
 dum facta constituto in potestate, confirmatur tamen morte, *d. l. 25. C. de*
Don. int. V. & U. cur non etiam aliâs tantum teneret conscientiam, ut
 revocari sine gravi causa non posset? Utique naturalis obligatio sub-
 esse videtur, quæ in F. C. sufficit, quoties saltem non expresse à Civ. Jure
 reprobat. Adde Dn. Pufendorf. *El. Iprâ. l. 1. def. 12. §. 6. circ. fin.*
p. 127. vs. Idem judicandum. Quò minùs dubitandum etiam puto 15
 de validitate hujus donationis, si ei accesserit juramentum: quem
 casum cum non minus in dubium vocasset Bocer. *Tract. de Donat. c. 3.*
n. 17. cum multis Dd. contrarium benè sustinuit Dian. *d. tr. 7. R. 39.*
n. 5. ubi pariter Dd. quam plurimos cumulavit, nec non Theologos,
 ac rationes quoque, quæ omnes eo pertinent, quod per Juramentum
 tollatur effectus patriæ potestatis, (cum in his, in quibus animæ salus &
 periculum versatur, ratio Patriæ Potestatis non habeatur *arg. c. ult. X.*
de Judic. in 6.) quo cessante cessat donationis invaliditas. Ad quæ me
 remitto. Addatur etiam Azor, *d. c. 9. qu. 5.* Circa quas autem res ver-
 fari soleant Donationes Parentum in liberos, vide latius apud Fagun-
 dez. *d. c. 7. & c. 8.*

Deinde inter Conjuges non subsistit Donatio *l. 1 ff. de Donat. int. 16*
V. & U. ubi addita ratio: *ne mutuo amore invicem spoliarentur do-*
nationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate: cui alia
 additur in *l. seq. 2.* quibus accessit quoque Juris Canon. dispositio in
c. Donatio 8. X. eod. Hinc communis Dd. opinio est, hanc Donatio-
 nem nec in F. C. subsistere, vid. Sanchez. *de Matrim. l. 6. disp. 1. n. 2. 17*

Azor. *d. l. 11. c. 6. 10. qu. 1. Molin. D. 289. Fagundez. d. l. 6. 11. & alii. Sed, cum etiam hæc confirmari morte possit, ipso Civili jure sic statuente in l. bona quondam. 1. l. 3. si maritus 10. C. 8. t. l. cum hic statns 52. §. 2. & 31. ff. eod. nec naturali modo, sed etiam Civili, per text. expr. & unicum in jure l. sed si mors 13. §. 1. ff. d. t. Vid. Dd. *quamplurimos ap. Dian. d. tr. 7. R. 69.* cum etiam non pauca donationes inter Conjuges ab eodem jure permittantur, quas recensent breviter Dn. Struv. *Ex. 30. tb. 29. à Matre Dei d. §. 3. n. 102.* cum denique ratio juris hîc in præsumptionibus saltem nitatur, quod scil. sit *credibile*, amorem minutum iri, si vel alter in petendo prodigus, vel in dando parcus alter fuerit: cujusmodi præsumptiones non attenduntur in F. C. (Videatur hoc valdè urgens hac in quæstione Homobonus, in *Consult. moral. vol. 2. p. 6. resp. 77. ubi citat Costam & Rodriquetz*) non immeritò de hac quoque videtur dubitare posse, annon in F. C. firmam satis obligationem
 18 producat, satem ne sine gravi causa revocetur. Quid enim, si v. g. donaverit quis uxori gemmas, illa de his, ut suis disposuerit, vendiderit, pecuniam postea erogaverit, in pauperes forsan vel aliàs etiam, si deinde revocare voluerit donationem, cum nihil amplius ex eâ restet apud uxorem, quale inde Chaos? unde tunc petenda restitutio? An justè adhiberetur Lex, quæ vitam conjugalem, aliàs non facilem, ad tales quæstiones deduceret? annon excitarentur jurgia? lites? odia? & tandem donator nihil consequeretur? Sanè propter hunc casum quem ex Caramuele *Theol. Moral. lib. 2. num. 51.* petit Diana, *R. 67. n. 4.* statuit, leges, quæ hic disposuerunt, prudenter esse interpretandas, nec credendas in publicam pernitiem tendere; adeoque communem sententiam, quæ pro iis respondet Prudentum judicio videri limitandam. Adde quoque Azor *d. c. 10. qu. 3. in fin. ubi,*
 19 *hanc donationem non esse contra naturales mores,* dicit. Qvò minus iterum quoque dubitandum est de validitate, si juramentum accesserit huic donationi, quod tamen fecerunt Baldus *conf. 29. vol. 1. Wesenbec. in add. ad Schneidev. tit. de Donat. qu. quibus inter viros donari possit.* & alleg. ap. Panormit. *ad. tit. de Don. int. V. & U. n. 9.* ubi ipse valdè probabilem dicit istam assertionem. Nam cum naturaliter prohibita non sit nostra donatio, patet juramentum ei adjectum planè firmam eam facere per ea, quæ pulchrè tradit Dn. Struv. *Ex. 17. tb. 22. & 24.* Addatur Molin. *d. D. 289. n. 22.* Azor. *d. qu. 3. à Matre Dei d. §. 3. n. 102.* Diana *R. 62. n. 1. & 3.* ibiq. allegati plurimi. Et hæc de *Personis.**

Secun-



Secundò inter Circumstantias consideranda *Quantitas*, quantum²⁰ donari alicui possit? Ubi Jus Civile ad 500. usque solidos [quæ quantitas qualis sit, fusè tractant Moralium Dd. Vid. Molin. *Disp.* 278. & Tamburin. *Jur. Moral. d. l. 9. rr. 10. cap. 5. §. 2. num. 3. & seqq.* ubi NB. n. 8. apud nos æstimatur in dubio 500. aureis ungaricis. Carpz. p. 2. c. 12. d. 12. Dn. Struv. *Ex. 40. rb. 10.*] liberè permittit donari; ultra eam quantitatem requirit insinuationem, hoc est, donationis apud Judicem explicatorem, & eorum, quæ coram Judice aguntur, in tabulas publicas redactionem. l. 55. §. 3. in fin. l. 36. §. ult. l. 29. l. 34. §. 3. 4. C. de Donat. Verùm quæritur, si quis omiserit illam²¹ insinuationem, an nihilominus teneat in F. C. donatio, etiam quoad excessum? & quid, si renunciatum à Donatore insinuationi fuerit? & quid, (nam cumulari possunt hæ quæstiones) si juramentum donationi non factâ insinuatione fuerit adpositum? Ac respon-²² detur ad I. cum in publicum favorem introductum sit Insinuationis præceptum, ne scil. Civibus egenis oneretur Respubl. quod fieri posset, si homines aut fraude decepti, aut metu inductui, aut temerè & sine circumspectione, magnas opes profunderent; non adeò tenere in C. F. istam donationem, ut donator non possit licitè & sine peccato revocare excessum, nulliter quippe ob omissam formam, quam velut essentialè requisitum addere poterit Jus Civ. factum: Dian. *Ref.* 96. Cum tamen illa donatio fieri etiam diversis vicibus potuisset, quòd ubi factum, irrita non foret nec Civili jure; nec vitiosa adeò erit in C. F. ut Donatarius non possit retinere sibi, etiam excessum, usque dum repetierit eundem Donator. Dian. *Ref.* 101. à Matre Dei, d. p. 5. §. 2. n. 95. Rebell. *de Oblig. Just. d. l. 18. qu. 8. n. 3.* Lessius l. 2. c. 18. dub. 13. n. 9. Valer. *de Diff. utr. for. tit. Donatio. diff. 8.* Molin. *Disp.* 278. §. 26. 27. Fagundez. d. l. 4. c. 9. §. 28. 29. Ad II. respon-²³ detur: Cum solennitas Insinuationis introducta sit ad substantialem formam donationis ultra 500. solidos se extendentis, renunciari huic quidem non posse, Dian. *Ref.* 100. Rebell. d. l. 17. 6. n. 6. à Matre Dei n. 93. Hinc nihilo plus obligationis adjicitur donationi, licet expressè renunciatum sit insinuationi, idque in primis, cum si hoc procederet, fieri quoque posset, ut fraudulenta donatio valeret. Valer. d. l. n. 1. Fagundez. d. l. n. 16. Molin. d. D. n. 12 Gomez. *Var. Ref.* 10. 2. c. 4. n. 7. Ad III. responderetur, licet multi sint, qui per virtutem juramenti²⁴ dicant non suppleri insinuationem, ideò, quoniam inde maximum

præjudicium nasceretur Principibus, quorum Legibus omnibus ita derogari posset jurando; tamen verius videtur, iterum hic affirmandum, augeri obligationem, cum non solum de publico præjudicio hîc agatur, sed etiam magnam partem de præjudicio donantis, qui cum se obstringeret præter necessitatem juratò, & servare nunc juramentum sine periculo animæ (nam hujusmodi terminos præsuppono) possit, meritò ad servandum illud nunc quoque per
 25 Conscientiam tenetur. Nec obstat, quod superius dictum est; cum illusio jurium Principum valdè hîc sequatur per accidens, dum partes juramentum apponentes non id intenderunt, ut illudant juri scripto, sed ut firmarent suum contractum, ad voluntatem, interpositam in re ex natura sua & jure naturali licita. Ita Dd. supra citati omnes, & alii ap. Fagundez. *d. l. n. 14.* ac ap. Dian. *R. 99.* & Jul. Clarus *l. 4. sent. §. donatio. qv. 18. ubi n. 2.* hanc sententiam auctoritate viginti & unius Dd. probat.

26 Quid verò si quis bona sua omnia, nec præsentia modo, sed etiam futura, donari alteri instituerit, an id licite poterit? De Jure Civili non posse, communiter statuunt Dd. Moralium, arg. *l. stipulatio hoc modo concepta 61. ff. de V. O.* Vid. Diana *Ref. 102. num. 1.* Fagundez. *c. 10 n. 2. Valer. d. t. donatio. diff. 9. n. 1. Azor. d. l. 11. c. 7. qu. 1. à Matre Dei. d. §. 2. n. 97. Less. d. c. 18. n. 94. Rebell. d. l. 18. qv. 7. n. 4. Molin. Diss. 280. n. 1.* Hinc plures fingunt exceptiones, in quibus possit procedere Donatio: nimirum si fiat in bonis omnibus saltem præsentibus: si fiat Causæ Piæ: si sit onerosa: si fiat propter dotem: si mortis causa: si inter fratres: si reservato usufructu: &c. Vid. præter Dd. citatos in *nn. seqq.* Tamburin. *d. tr. 101 c. 4. §. 2.* Imo id ita in praxi receptum, testatur quoque Dn. Carpzov. *l. 5. Resp. 62.* nec ab eâ recedendum esse defendit B. Dn. Brunnem. *ad l. 27 n. 5. ff. de M. C. Donat.* omnia ex hac ratione, quod sic adimeretur testandi facultas, id quod fieri turpe sit, & quia foret hæc profusio magis quam donatio. Verùm, etiam ipso Civili Jure permitti istam donationem bonorum omnium tam præsentium quam futurorum, satis possit defendi probat Dn. Carpz. *p. 2. c. 12. d. 26. Vid. l. 35 §. 4. 5. C. de donat. l. 8. C. de Revoc. donat. l. 5. C. de Inoff. donat. l. fin. C. que res pign. obl. poss. Mastert. de Just. LL. Roman. l. 2. dub. 43.* eamque tum rationibus elegantibus, tum auctoritatibus Dd. septem supra decem (à quibus tamen ipse dissentit) adstruit Dian. *d. R. 107.*

n. 2. & seqq. Quo facilius itaque descendi etiam potest in illam eorundem Dd. sententiam, quando in C. F. obligare hanc donationem uno ore affirmant omnes, cui id saltem (& recte quidem) limitationis addunt, si non concurrat vis, nec fraus, nec injuria Creditorum, nec aliquid aliud, per quod præjudicium fiat alicui, aut ipse in extremam egestatem deducatur donator. Vid. *Rebell. d. l. qu. 8. Dian. Resp. 103. à Matre Dei n. 99. Valer. d. Diff. 9. n. 2.* Licet hi in eo errare mihi videantur, quod, si repetat forsan donationem donator, statuunt, teneri in *Consc.* Donatarium eandem restituere. Ita enim mihi dicendum videtur: non teneri restituere sine causa justa (qualis non est sola Donatoris pœnitentia) qui semel quid justè accepit. Aut enim ab initio non accepit justè, aut justè poterit retinere semel justè quæsitum. Hinc nec juramento opus credo ad id, ne queat revocare Donator; quod tamen alii requirunt, alii tanquam invalidum nec admittunt quidem. Vid. *Dian. Resp. 07. Azor. d. c. 7. qu. 7. à Matre Dei n. 98. Molin. d. Disp. 208. num. 3.*

Tertia Circumstantia, quæ consideranda, est *modus* Donandi, quomodo hæc fiat? ubi repetendum est, quod supra jam dictum de acceptatione, & huic addendum non nihil. Si quis enim absenti velit donare, fieri illud non potest, nisi missum sibi acceperit Donatarius, in *l. absenti. 20. ff. de donat.* vel nomine absentis persona conjuncta *l. 28. §. 17. §. 20. de V. O.* aut Notarius, *Dd. comm. ap. Dian. Resp. 114 n. 5. Add. Hunni. in Encyclop. Jur. p. 3. tit. 26. c. 4. n. 1. & seqq. Dian. Resol. 110. & Resp. 113.* Inde ergo dubitator, quousque liceat alicui acceptare? an etiam post Donatoris mortem? Et hic quidem (ut brevitati studeam) puto distinguendum, ut donatio aut mere sit gratuita & profecta ex mera liberalitate, aut fiat ex causa quadam tacita, forte ut vicissim excitetur donatarii studium, aut benemerendi ardor, aut alia quacunque de causa. Posteriori casu non injuste perdonantis mortem extingvi donationem diceretur, quoniam præsumi potest, donaturum non fuisse defunctum, si quoad viveret, non consecuturum se finem suam animadvertisset. Sed casu priori durum videtur, voluntatem defuncti, in qua ad mortem usque perseveravit, & quam ipse ex parte executioni mandare cepit, non posse perfici, & sola mandantis morte ex juris subtilitate impediri. Hinc non inconvenienter *Molin. disp. 203. n. 7.* Certe, inquit, *Christianis Principibus consulerem, legem ferrent, qua statuerent, in dona-*

tionibus mandatum non expirare morte mandantis. Aequitas namq, postulat. ut voluntas illa defuncti perficiatur &c. Licet idem in seqq. addat: dum leges Civiles hac in parte non revocantur, standum esse dispositioni illarum: eò quod voluntatem mandatumque defuncti irritum reddere potuerint, non obstante, quòd contrarium rationi sit magis conveniens, & quod seclusis illis LL. contrarium dicendum foret stando in solo jure naturali. Quid verò juris sit, si donatio facta absenti, nondum acceptata juramento firmata sit, an possit revocari vide ap. Dian *Res. 115. §. 1.* ubi id negat, ex ratione quam idem habet in *Res. 110. §. 2. in fin.* quòd juramentum videatur præstitum Deo, adeoque Deus supplere censeatur absentiam partis: quod approbo, sive ipse donator revocare donationem voluerit, sive moriente hoc ante acceptationem, illius heres, cum etiam hic exonerare teneatur Conscientiam defuncti. Add. Gratian. *discept. for. 297. n. 22. 23. 27.* Covarr. *l. 1. var. Res. c. 14. n. 10.* Molin. *d. D. 263. n. 17.*

- 35 Ultima Circumstantia in Donationibus consideranda *tempus est*, quousque nimirum donatio duret? nempe in perpetuum, nisi legitime revocetur, cujus revocationis tres jure Civ. causæ proditæ sunt, Ingratitudo Donatarii *l. fin. C. de revocand. donat.* Superveniencia liberorum, *l. si unquam 8. C. eod. &* si inofficiosa sit donatio *l. 1. & seqq. C. de Inoff. Donat.* Add. Mæstert. *de Just. LL. Rom. d. dub. 43.* Circa has verò potissimum quæritur (1.) an revocationem ingratitude ergò possit quis sibi inhibere addito donationi juramento de non revocando? Id quod puto esse affirmandum. Licet enim videatur hoc juramentum contra bonos mores esse, quippe quo invitetur ad peccandum donatarius, *c. non est obligatorium. X. de R. I. in 6.* unde negativam tenent etiam Boer. *conf. 41. n. 11. & seq.* & relati à Tiraqv. *ad d. l. si unquam. C. de Rev. don. in Praef. n. 155.*
- 37 tamen hoc valde per accidens esse videtur; & ratio affirmativæ est, quod sibi imputandum habeat donator, qui ejusmodi personam elegerit, cujus mores nec satis perspexit, & renunciando provocavit etiam: qui ideoque nec queri poterit de ingratitude, cum volenti non fiat injuria. Accedit argumentum ex *c. quemadmodum. in fin. X. de jurejur.* ubi Pontifex ait: *Quod si vir expresse jurasset, quod uxorem super adulterio non impeteret, tutius est, ut propter jusjurandi religionem desistat accusare ad divortium celebran-*

celebrandum. Quo argumento magis huc facere vix aliud posset. Vid. Dian. Ref. 132. Guttierrez de Juram. Confirm. p. 1. c. 10. n. 6. vers. Sed bis non obstantibus. Molin. Disp. 281. n. 11. B. Dn. Brunnem. ad l. 27. 38 n. 6. & 7. de pact. Quæritur (2) An renunciari possit d. l. si unquam C. de Don. Rev. ita ut etiam in F. C. teneat renunciatio? Quod pariter adfirmandum duco; cum beneficium illud soli tribuatur Parenti, quemadmodum arguit d. l. verb. donatoris arbitrio. Et quidem idè, quod Lex præsumat eum non cogitasse de liberis, erga quos aliàs non fuisset minus beneficus, quæ præsumptio cessat, cum quis nominatim renunciavit beneficio. Dn. Struv. Ex. 40. th. 16. Hinc nec opus esse tali casu juramento arbitror, quod aliàs appositum donationi sine renuntiatione, ne quidem valeret, ad id, ut revocari non posset, ob subintellectam conditionem, si liberi non supervenerint. Add. Dian. Ref. 49. & 51. Legitima tamen liberis salva esse deberet, cum quoad hanc præjudicare Pater liberis non potuerit. Vid. Dn. Carpz. p. 2. C. 12. D. 33. (3) Quæritur, an In-39 officiosa Donatio in F. C. revocetur, in totum, an verò saltem ratione legitimæ? ubi illud assero, si sit inofficiosa re & Consilio, ac in extraneum collata cum Fagundez. d. l. 4. c. ult. n. 5. Nam dolus Patris filiis nocere non debet, imprimis cum in accipiente nulla sit causa, quare ei quid debeatur: Hoc vero, si sit inofficiosa re tantum & non consilio, vel in filioem aliquem collata, cum Dian. Ref. 135. n. 4. Caterum de his & quamplurimis adhuc aliis ad Donationes perti-40 nentibus quæstionibus, videre cui lubuerit potest Dd. Moralium Dian. per tot tr. 7. tomi, 6. Molin. d. tr. 2. à Disp. 264. usque ad 293. Fagundez. per integr. d. l. 4. à Matre Dei d. c. 4. punct. 5. Azor d. p. 3. lib. 11. ad usque c. 14.

Incipit alter modus acquirendi inter vivos, qui est per inter-41 positum Contractum. Ubi licet aliàs contractus vocabulum sub generali complexu quamlibet conventionem & quemlibet actum, ex quo aliqua obligatio oritur, denotet eoque nomine etiam Pacta includat vid. supr. n. 1. in fin. missâ tamen Pactorum in specie acceptorum ratione, cum subtilitas illorum otiosa moribus nostris, quibus ad æquitatem juris naturæ ac Canonici deventum est, ut etiam ex pacto nudo detur actio, vid. c. 1. & c. 3. X. de Pact. ac Dn. Pufend. de. F. N. & G. l. 3. c. 5. §. 9. conf. eleganter de Pactis in genere Dn. Struv. Ex. 6. à th. 1. ad. 30. ipsos Contractus specificè sic dicitos

- dictos & quidem eâ qua fieri ubique commodissime poterit brevitate tantum percurram. Multa vero cum de varietate Contractuum & illorum nominum tradant Rebell. *l. 1. de Contr. in gen. qv. 1. sect. 2.* Azor. *p. 3. lib. 6. c. 2.* Lessius *tom. 1. lib. 2. c. 17. dub. 3.* Bonacin. *de Contract. Disp. 3. qv. 1. punct. 1. à n. 14. à Matre Dei tr. 14. c. 1. punct. 1.* qui possunt videri: Notissimam saltem divisionem præmitto in Contractus *Nominatos & Innominatos*, inter quos quoad Civile F. hæc subest differentia, quod si innominatus fuerit contractus, & neuter contrahentium illum ex sua parte cœperit implere, non detur regulariter actio unius contrahentis ad alterum *l. Contractus C. d. fid. Instrum.* quod in Nominatis secus est, si modo perfectus fuerit contractus, licet impleri nondum cœptus. *princ. J. de Emt. vend. Less. d. c. 17. dub. 3. n. 14.* Sancius *l. 3. decal. c. 15. n. 12.* In F. vero Conscientiæ discrimen nullum est, sed utrinque oritur obligatio naturalis, etiam antequam quicquam ex utraque parte impleatur, nec potest pœnitere alter, etiam re adhuc integra, nisi consentiente altero. *vid. c. 1. x. de pact. Molin. tom. 2. Disp. 257. §. quoad secundum, & Disp. 258. §. 8.* Gomez. *2. var. Resol. c. 9 in fin. n. 2.* Dian. *tom. 6. tr. 3. Ref. 45. prolixè.* Præter quæ, cum etiam circa contractus innominatos nihil occurrat singulariter notandum, ipsique regulandi sint & judicandi juxta contractus nominatos, quibus magis assimilantur, not. *Paul. Rosmer. de Just. & Jur. c. 2. §. 2. p. 24.* (quare de Nominatis quoque potissima erit tractatio:) adhuc præmittenda etiam sunt brevissima quædam de communibus contractui, quæ sunt *Consensus & Præstatio Doli & Culpe.*

- 45 Cum enim contractus conventio sit, Conventio autem sine *consensu* nulla esse queat, *l. 1. §. 3. de Pact.* Consensum ante omnia intercedere necessum est *Fagundez de Just. & Contr. l. 1. c. 2. n. 2.* Hic cum duo habeat principia *Intellectum & Voluntatem*, quæ si Consensus *verus* esse debeat (quod in contractibus requiritur *Vid. Sancius l. 4. Decal. c. 1. n. 2.*) non impedita esse oportet, sciendum est impediri ea (1) per *Errorem*, quando vel in ipsâ re de quâ pactio initur, vel in illâ ejus qualitate, quam contrahens potissimum respicit, error committitur *l. 57. de O. & A. junct. l. 2. pr. ff. de Judic.* (2) impediri per *Dolum*, de quo *vid. tit. ff. de Dol. Mal.* (3) non impediri quidem, officii tamen illorum libertati per *Metum*. *l. 116. de R. J. de quo vid. tit. ff. quod met. caus. Dn Struv. Ex. 6. th. 35. Pusend. Elem. Jpr. l. 1. d. 12.*

d. 12. §. 19. Quando ergo horum aliquid concurret in contractu, ob- 47
servandum est, si *Error* illud sit (de cujus distinctionibus & ab Ignorantia differentia vid. Fagundez. d. l. 1. c. 3. num. 2.) videndum esse (1) utrum sit *extrinsecus*, qui ad paciscendum movet, & tunc, utrum comperto errore res *integra* sit adhuc, an per impletionem jam *corrupta*. Si *prius*, non subsistit contractus, quia vere consensum non est, sed quasi sub conditione, qua deficiente nulla est obligatio: sin *posterius*, tunc subsistit, ob purgatum quasi vitium, nec rescinditur, nisi quatenus alter ex humanitate velit indulgere, Vid. Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 3. c. 6. §. 7. an (2) sit *intrinsecus*, h. e. ipsam rem, in contractum deductam, tangens, & tunc, num circa Contractus *substantiam*, an circa ejus *accidentia* (de his vid. Dn. Struv. d. Ex. th. 25. & seqq.) intervenerit. *Priori* casu protinus nullus est Contractus etiam ipso Jure naturæ, adeoque in F. C. *Posteriori*, ob levem qualitatem non rescinditur, sed firmus manet. Vid. Fagundez. d. c. 3. n. 5. & seqq. Dn. Pufend. d. §. 7. Si 48
Dolus intervenerit (quem distinguit Molin. *Disp.* 293. n. 1.) tunc saltem videndum esse, *quis* adhibuerit eundem; an *is*, quocum contrahitur, an vero *tertius*. Si *hic*, tunc subsistit contractus, quum nihil imputari contrahenti (modo non colludat) possit: repetitur tamen à decipiente quod ex dolo abest. Bonacin. d. qv. 1. punct. 2. n. 3. Molin. *disp.* 352. n. 8. add. l. 2. in fin. de *proxen.* Si ille, tunc si dolus *causam dederit* contractui, nullus est; secus si in eum *inciderit*, quo casu admittitur saltem actio ad repetendum, in quo deceptus sim. Vid. B. Dn. Brunnem. ad l. 7. ff. de *dol. mal.* non tamen adhibito in C. F. discrimine, an hæc in *bonæ fidei* contractibus, an in *Contr. stricti juris* facta sint, circa quæ Jus Civile distingvit. Vid. Dn. Struv. *Ex. 8. th. 17. & 33. Add.* Dn. Pufend. d. c. §. 8. & quoad F. C. Molin. d. D. 352. n. 14. & 15. Si denique 49
Metus sit, tunc considerandum, (præter id, an à contrahente inferatur: nam si à tertio, non instigante aut colludente eo, quocum res est, vitii contractui nihil inerit. Dn. Pufend. §. 11.) an ille *gravis* sit, an vero *levis*. (Descriptionem horum pete latissime ex Fagundez. d. lib. 1. cap. 5.) Si *gravis*, tunc, licet multi dicant irritari tantum contractum, non, esse sui natura nullum, vid. Fagund. c. 6. n. 3. Bonacin. d. qv. 1. p. 2. §. 2. n. 3. Less. d. c. 17. dub. 6. à num. 36. & de J. Civ. Dn. Struv. *Ex. 8. th. 11.* tamen verius de Naturæ jure & de C. F. dicitur, nullum esse contractum. Nam in omni obligatione ex pacto orta ponitur in altero jus ipsi respondens: ubi ergo hoc non est, inanis est obligatio, neque

credendum, ex solo unius consensu obligationem nasci, ubi alter per jus naturæ prohibetur acceptare, id quod hîc omnino fit: quæ enim lex metum alteri incutere vetat, eadem quoque ex isto metu jus acquirere lucrumve accipere prohibet. *Vid. Dn. Pufend. §. 12. Molin. Dissp. 267. & D. 326. n. 14.* Si *levis*, tunc Jure Civ. contractus quidem nec invalidatur etiam, *add. Dn. Struv. d. Ex. th. 12.* in F. autem Conf. ante ullam quoque Judicis sententiam restitui debent extorta per metum levem, quando metus iste causa vera fuit, sine quâ damnum passus non esset, cui vis illata est: nondum autem tradita, præstari quoque nunquam possunt. *vid. Fagund. d. cap. 6 num. 12. Molin. d. Dissp. 267. numer. 5.* Neque per Metum quidem extorto contractui vel juramentum plus validitatis addit, (licet hîc comm. dissentiant Dd. qui illud naturali jure validum, facile tamen invalidari à superioribus posse dicunt: *Fagund. d. c. 6. n. 7. Grot. de F. B. & P. l. 2. c. 13. §. 14.* ibique *D. Osiand. Dn. Struv. d. th. II.*) Nam expirat plane omnis obligatio, (ut modo dictum est) si in homine, cui promittitur, vitium sit, ob quod recte accipere promissum is non possit: & cum juramentum non stringat, nisi à Deo acceptetur, unde constabit Deo probari, ut innocens se bonis spoliet, & illa conferat in nebulonem impium, ne ille gratis fuerit sceleratus? *Conf. Hennig. ad Grot. d. §. 14. & de F. N. ac. Gent. l. 4. c. 2. §. 8.* *Dn. Pufendorf, qui tamen in El. Jpr. d. l. 1. def. 12. §. 41.* paulo aliter videtur sensitse.

51 Cæterum exulat omnino in nonnullis consensus; & vel *naturaliter* (1.) ob *ætatem*, ut in infantibus, qui nec naturaliter obligantur, *§. 10. Inst. de Inut. stipul. it.* in impuribus, si usum rationis nondum habeant. Nam impubes an naturaliter obligetur, generaliter definiri non potest; cum judicium potissimum inspiciendum sit, quod in quibusdam citius, in aliis tardius maturefeit: unde si legibus positivis in Civitatibus hîc constitutum aliquid sit, (quod fieri naturalis ratio non obscure svadet, quippe cum natura ipsa aliis terris alia temperamenta & regionibus aliis alia ingenia commodaverit) etiam his in C.F. standum erit: ita tamen ut consulatur quoque teneræ ætati, si forsan, licet intelligat quod negotium geritur, facilis tamen in promissa, spei plena, liberalitatis famam captans, diffidere nescia &c. ipsi sibi nocuerit: ut in Rep. Romana per in Integrum Restitutiones, de quibus *tit. ff. de Minorib.* *Conf. Dn. Pufend. de F. N. & G. l. 3. c. 6. §. 5.* (2.) ob *animo morbum*, ut in Furiosis, amentibus: nisi illi dilucida intervalla habuerint;

qvo

quo casu tunc initi contractus sine consensu celebrati dici non possent. Add. tamen Dn. Pufend. §. 3. Dn. Struv. Ex 6. tb. 37. quibus assimulantur profunde ebrii, quibus per potum plane obruta est ratio arg. c. 14. X. de vit. & bon. Cler. cap. 7. qu. 1. XV. Non obstante, quod his tamen imputentur delicta; cum delictorum & contrahendarum obligationum diversa ratio sit. Illa enim absolute interdicta sunt, unde vitanda quoque homini occasiones, quæ probabiliter in delicta possunt pertrahere: hæ vero in arbitrio nostro sitæ sunt, quare non potest quis eodem modo teneri ad vitandas occasiones, quæ consensum liquidum possint intercipere. Vid. Dn. Pufend. §. 4. & in El. d. D. 12. §. 18. vel Moraliter, in iis, quibus bonis decreto Magistratus interdictum, l. 40. ff. de R. J. quod facere Magistratus potest, cum ei incumbat Civitatis cura, & publice intersit, cives rebus suis non abuti: unde adeo limitari horum consensus potest, ut nec naturaliter inde teneantur, prout patet ex l. 6. ff. de U. O. vid. Dn. Struv. d. Ex. tb. 38. & præterea Azor. d. p. 3. l. 6. per tot. à Matre Dei. d. tr. 14. c. 7. punct. 2. §. 5. & 7. Dian. tom. 6. Tract. 3. Res. 113. & seqq. Res. 159. & seqq.

Alterum commune est contractui omni, præstari Dolum & Cul- 54 pam, de quibus vid. eleg. & late Dn. Struv. Ex. 19. tb. 13. & seqq. Occurrunt a. diverso modo. Nam Dolum quidem ubique præstari convenit l. 23. ff. de R. J. adeo ut nec conventio valeat, ne dolus præstetur, l. 1. §. 7. ff. de pos. l. 27 §. 3. ff. de pact. (quod dubium miror vel plane non tactum vel parcius reperiri ap. Moralium Dd. sed tetigit, Dn. Struv. d. Ex. tb. 34. in fin. ejusque ratio patet, quoniam hæc con- 55 ventio facilis in fraudem & ad lucrum captandum humanos animos nimis esset invitatura ad excogitandas machinationes, & turpiter decipiendos, quibuscum in communi vita versari necessitas flagitat. Add. B. Dn. Brunnem. ad d. l. 27. num. 4. & 5. de pact. Unde nec juramentum illi adjectum quicquam operari arbitretur, cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, & arg. c. non est obligatorium 58. x. de R. J. in 6. neque hic tam de privato jurantis præjudicio agatur, quam de publico, ne Civium mores corrumpantur.) Culpa vero gradus sunt, qui pro diversa Contractuum natura accuratè sunt distinguendi. Inde nata Regulæ, quæ breviter continentur in l. 5. §. 2. ff. Com- 56 mod. receptæ a. sunt & fusius deductæ à Dd. Moralium Azor. d. p. 3. l. 6. c. 4. Fagundez. d. l. 1. c. 10. à Matre Dei tr. 13. cap. 1. punct. 2. §. 4. & 5. Molin. Disp. 293. & 295. & aliis; idque volunt, ut attendatur, in cu-

ius gratiam celebratus sit contractus. Si in gratiam utriusque contrahentis, ut tunc præstetur culpa saltem *levis*; si in gratiam alterutrius, tunc, si in *dantis*, culpa tantum *lata*: si in *accipientis*, etiam *levis* 57 *suma* præstetur. Vid. Dn. Struv. *d. Ex. tb. 35. & seqq.* Esse autem ex ipsa naturali æquitate derivatas eleganter probant Mos. Maimonid. *l. 3. duct. dubit. c. 43.* Molin. *d. D. 293. num. 7.* Fagundez *d. c. 10. numer. 11. seqq.* Bonacin. *de Contr. Diss. 3. qv. 1. punct. 6.* Rodriqv. *Cas. Consc. c. 22. num. 3. tom. 1.* ut adeoque admittendum non sit, quod habet à Matre Dei *d. l. cum alleg. num. 32.* in omnibus Contractibus quoad C. F. saltem, præstandam esse culpam latam, id quod tum demum, cum illa simul cum culpa gravi Theologica est conjuncta; id quod jam ante refutavit Molin. *d. n. 7.* & Azor. *d. p. 3. l. 7. cap. 7. qv. 1.* Pertinet huc magis, quod de Pandect. in genere tradit *Magnif. Dn. D. Rhetius in Comment. ad Feud. proam. pag. 26. n. 101.* obligasse Conscientiam etiam ante, quam 58 legali sanctione fuerunt munita. Et huic præstationi Doli & Culpæ accedit quoque *Casus fortuitus*, de quo vid. Dn. Struv. *d. Ex. tb. 30.* sed hic regulariter non præstatut nisi si ita convenerit; quod fieri potest, cum nemo prohibeatur se gravare; vel dolus aut culpa casui accesserit. vid. prolix. Dn. Struv. *tb. 43. 44.* Molin. *D. 295. n. 3.* Bonacin. *d. punct. 6. num. 21.* Azor. *l. 6. cap. 8. per tot.* Atque hæc ita breviter: Nam licet disputari subtilius & discuti fufius potuissent, sunt tamen in his partim Juris Civ. principia Consc. Foro non contraria, partim cuncta etiam ab iis quos laudavi Dd. curatius examinata.

59 Ita verò inter contractus Nominatos primi sunt *Reales*, & inter hos primus Contractus *Mutui*, de quo in *Inst. sub tit. quib. mod. Re contr. oblig. in ff. & C. tit. de Reb. Cred.* & ibi Dd. Jur. Civilis Inter Moralium Dd. ap. Azor. *d. p. 3. lib. 7. rubr. de Mutuo.* Molin. *Diss. 299. & seqq.* Tamburin. *Jur. Mor. Lib. 9. tr. 1. per tot.* Dian. *tom. 6. tr. 3. pass. Rebell. 2. part. lib. 8. qv. 1. à Matre Dei tr. 14. c. 3. punct. 1.* Lessium *l. 2. cap. 20.* & alios. Cæterum cum singula, quæ hi scrupulose movent, examinare mihi non vacet, inter præcipua, quæ considerari merentur, 60 existimo, quod de mutuo *filiosam. dato* ex Civ. J. receptum est, nim. ut illud restitui necessum non sit; quemadmodum patet ex *tit. ff. de Sc. Macedon.* it: quod circa mutuum *Civitarum* Jura constituerunt. Ubi quoad prius incidit dubium, an privilegium S. C. etiam in F. C. procedat, ut illo utens in hoc tutus sit? Id quod negarunt Bonacin. *Diss. 5. q. 2. punct. 1. num. 6.* Covarruv. *ad c. peccatum. p. 5. §. 9. numer. 4.* Rebell.

Rebell. *d. l. 8. qv. 1. sect. 2. n. 16.* Valer. *de Diff. utr. for. tit. Restitutio. diff. 18.* & alii. Ego verò id protinus adfirmare non dubito. Etenim, cum latum sit SCtum utilitatis publicæ causa, ut malitia coerceretur scæneratorum, *l. 1. verb. qui pessimo. ibiq; Dn. Brunnem. ff. de SCt. Mac. l. 40. verb. in odium ejus cui debetur ff. de Cond. Ind. & cohiberetur luxus ac corruptela filiorumfam. in perniciem quoque parentum tendens, § 7. in fin. Inst. Quod cum eo qui in al. pot. ac lex Civilis (quod facere juste ob delictum scæneratoris potuit) denegat vim ac effectum naturali obligationi, etiam in conscientia tantum esse, qui obsequitur legi, quid obstet? Vid. Dn. Struv. *Ex. 20. th. 55.* Rosmer. *de F. & F. c. 39. §. 2. pag. 312.* Gomez. *tom. 2. var. Res. c. 6. lit. c. Less. d. c. 20. num. 18.* Accedit quod nisi Lex Civilis tutos hinc in Consc. filios faceret, iniquitatem videretur fovere, dum non providisset sufficienter periculo Parentum, quibus cum denegarent solutionem, posset à filiis, ad solvendum à Consc. impulsis, periculum aliquod imminere. And. à Matre Dei *d. punct. n. 10. Magnif. Dn. God. de Jena, Antecess. ol. in hac Acad. nunc Cancellar. Mindens. in tr. de SCt. Macedon. Sect. 6. apb. 6. p. 456. num. 12.* graviter monet, si hoc non esset, sane SCtum justà ratione sancitum penitus abrogandum potius fore: quod tamen in Rep. Christiana nec factum unquam, nec factu utile. Idem tradit *d. tr. Sect. 7. apb. 2. p. 480.* Nec obstat Decisioni, quod tamen maneat hinc naturalis obligatio. *lib. 10. ff. de SCt. Maced.* quod locupletetur filiusfam. cum alterius jactura contra naturalis æquitatis regulas: quod improbus mutuum accipiat, & non reddat. *Pf. 37. vers. 21.* Subest enim hic quidem præceptum Juris naturalis, unde obligatio; sed illud saltem est de Communi i. e. de mutuo à filiof. reddendo: hoc verò per L. positivam ad particulares modos aut alias circumstantias, quæ non cadunt sub L. naturalem, rectè determinatur, exemplo Depositi restituendi in *l. bona. 31. ff. Depof.* unde effectus obligationis tollitur. Deinde novum non est, cum alterius damno quem locupletari: si scil. concurrat alterius dolus, culpa, vel delictum, propter quæ nec sentire quis damnum censetur. *l. 203. de R. F.* Unde in actione furti, ut quis duplum aut quadruplum à fure consequatur, & sic locupletetur cum hujus damno, etiam ipsum Deum authorem habet. *Exod. 22. v. 1. seq. Psalmus* deniq; de eo mutuo accipiendus est, quod legitime & sec. LL. datum & acceptum, non quod contra expressam Magistratus sanctionem contractum. *Vid.**

- 64 *Magnif. Dn. de Jena. d. sect. 6. apb. 6. p. 657.* Atq; ex his simul patet, nec valere renunciationem hoc in casu à filiosam. factam arg. l. 7. §. 14. ff. de pact. Gomez. d. l. ne quidem juratam fec. Panorm. in c. cum conringat. n. 22. X. de Juram. quod tamen cum Jerem. Setser. Prof. olim in hac Acad. de Juram. l. i. c. 13. num. 10. & Dn. Struv. Ex. 17. tb. 23. in fin. restringendum putem ad eum casum, quando fraus sceneratoris subest, vel pecunia male impensa, vel in perniciem patris exactio tendit. Add. hic quoque *Magnif. Dn. de Jena d. Sect. apb. 7. & 8.*
- 65 Sane enim dantur casus, quibus etiam citra juramentum teneretur filiosam. in F. C. non obstante SCt. Maced., reddere quod acceperat mutuam; nim. si tempore accepti mutui exceptionem suam jam sciverit, & animum nunquam reddendi, propositumque dolosum habuerit, aut si pecuniam utiliter impenderit, vel patre colludente turpiter acceperit, ipse verò Creditor b. f. dederit, &c. l. 3. ff. l. 5. C. d. t. Vid. à Matre Dei d. p. 1. num. 8. & 9. Rosmer. d. c. 39. §. 3. p. 313. B. Dn. Brunnem. ad l. 10. ff. d. t. Excell. Dn. Præses. in dictat. ad Qu. Wesenb. d. s. qu. 21. Quos casus, inquit sæpe jam laudatus *Magnif. Dn. de Jena d. apb. 6. numer. 24. LL. Romanarum justitia & dignitas neq; suadet nec approbat, verum, si sciret stellationatus hoc crimen, procul dubio petitionem actionemq; efficacem b. f. creditori contra m. f. debitorem minime negaret, sed filiumf. explosa exceptione ejusq; abusu condemnaret.* Quanto magis ergò hæc addito juramento? Conf. Panorm. in c. novit ille. num. 33. X. de judic. & in c. qua pleriq; num. 26. X. de Immun. Eccles. Escobar. tr. de litrog. for. art. 1.
- 66 *Dian. d. tr. 3. Ref. 167. 168. Molin. Disp. 301.* Privilegium Civitatum, quod in acceptione mutui Jus Civile his indulget extat, in l. Civitas 27. ff. de R. C. de quo Molin. Disp. 300. Sed de hoc cum tractet prolixius *Disput. Inaug. Charissimi mei Parentis Dn. L. Joh. Balth. Charissimi, (cui Felicitatem & vitam etiam hinc vovisse citra opprobrium erit Pietati meæ) ad d. l. Civitas. habitam in hac Acad. Patria, sub Illustri illo Promotore B. Dn. Brunnemanno, Anno 1652. ad hanc me, brevitatibus studio, quoad istud Privilegium, refero.*
- 67 Uterius, cum in Mutuo communiter jam ita receptum sit, ut pro illius usu Mutuanti usurae solvantur à Mutuatario, quid circa illas in F. C. statuunt Dd. videndum arbitror. Et Ebrazi quidem antiqui quomodo L. Divinam circa usuras, quæ extat *Exod. 22. v. 25. Levit.*

Levit. 25. v. 7. Deuter. 23. v. 19. explicaverint, late docet Selden. *de J. N. & G. l. 6. c. 9.* & ex eo Dn. Pufend. *de J. N. & G. l. 5. c. 7. §. 8. & seqq.* Diversæ Moralistarum spinæ occurrunt apud Molin. *disp. 303. & seqq.* Tambur. *d. l. 9. tr. 1. c. 2. & seqq.* à Matre Dei *d. c. 3. punct. 2. & seqq.* Rosmer. *c. 40. p. 316. & seqq.* Azor. *d. p. 3. l. 5. rubr. de Usura.* Valer. *tit. Usura.* & reliquos. Ne fiam prolixior, mihi quidem, 68
 universaliter dicendum videtur, *juri nature* usuras non repugnare, nec in iis, quod statuunt multi, furtum committi. Mastert. *de Just. LL. Rom. lib. 2. dub. 20.* Ratio est, tum quod nitatur usura consensu & contractu hominum libero, quem qui sponte inierit, naturæ juri vim non infert; licet etiam ipsi sibi fuerit nocumento, cum volenti injuria non fiat; tum, quod ipse quoque Deus Judæis illas in extraneorum personâ permiserit, quod, si moralem turpitudinem in se continerent usuræ, factum haud esset. Conf. Dn. Pufend. *d. cap. 7. §. 9.* & Dn. Oldenburg. *de IV. Elem. Jurid. tit. 5. §. 171. pag. 721.* Cum tamen si non *naturaliter*, saltem *piè* homo homini id debe- 69
 at, ut suis opibus sublevet alterius inopiam, idque habito etiam *respectu*, tum *sui* ipsius, quatenus id vel sine damno, vel plane etiam sine incommodo facere possit; tum alterius, cui succurrendum, quatenus is vel extremis suis *necessitatibus*, vel suæ saltem *utilitati* succurri defiderat, specialius in *F. C.* hæc consideranda sunt. Hinc bene puto 70
 distingvi non tam circa ipsas *usuras* principaliter, (quas in genere statuo esse licitas Conf. *ad contraria respondentem* Dn. Pufend. *d. c. 7. §. 10.*) quam circa *personas*, inter quas usurarum negotium veritur. Si enim *extreme* quis egens sit, qui & destituatur vitæ subsidiis, & nihil labore suo possit parare, vel morbi vel senectutis vitio, huic quemadmodum nolle succurrere, cum possis, impium foret, ita non nisi cum spe lucri velle, haud sine vitio esse posse omnino videtur. vid. *Siracid. 29. v. 12. seqq. Psal. 15. Job. 3. v. 17.* Quod si quis *indigens* sal- 71
 tem sit, & hic non tam parandis necessitatibus, quam quærendæ sibi substantiæ opulentiori adhibere pecuniam velit, tunc adhibito discrimine, an qui dat pecuniam dare saltem non sine *incommodo*, an verò plane non sine *damno* queat, dicendum est, Priori casu melius facere procul dubio, qui suo quoque cum incommodo promoveret commoditates proximi indigentis, non repetito ultra fortem lucro aliquo: Posteriori autem planè extra vitium futurum esse, qui sibi quoque lucri aliquid petit; ita tamen ut cum ipse maneat indemnis, pro-
 ximus

- ximus quoque non omnino in cassum sibi laboraverit. Vid. *Exod.* 72. v. 25. Si verò quis *divus* etiam sit, vel saltem *non indigens*, ab hoc, si mutuo ei detur pecunia, ultra sortem usuras quoque exigii adeo vitium non habere credendum, ut vitiosè quoque petiturus alter sit, lucrum quod ex alterius pecunia profectum est, sibi soli relinqui, nec inde justam compensationem mutuanti fieri. Vid. *Dn. Pufend. d. § 9. vers. Enimvero, pag. 672.* Atque hæc omnia eodem fieri modo tradit *D. Osiand. ad Grot. l. 2. cap. 12. §. 20. Obs.*
- 73 *un.* ubi prolixè quoque de Usurarum justitia disserit. Distingvendæ hic tamen etiam erunt *usura* à *Favore*; quorum illa modicam compensationem (quam determinare justè quoque *L. Civilis* potuit, ex gravissima ratione, ne commercia hominum corruant, negantibus ob perversam lucri cupidinem hominibus, succurrere egentioribus, cum ab aliis stipulari quantitatem pro lubitu possent: & determinata est in novissimo *Rec. Imp. de Anno 1654.* quinq; sc. nummorum pro 100. *regulariter.* Vide de justa usurarum pro diversitate temporum & circumstantiarum quantitate, latè *Dn. Oldenb. d. tit. 5 § 177. ad 181.*) significant, hoc, lucrum ultra *LL.* dispositionem ascendens, quod itaque vitiosum esse nemo negabit. Hinc
- 74 Germanis quoque illæ *Seldjtnis*, hoc *Wucher* vocatur *vid. Illico Ummius Diss. Process. 21. tb. 5.* Et inde non ad illas, sed ad hos tantum pertinent loca *S. Scripturæ Psal. 15. v. 5. Ezech. 18. v. 8. & 22. v. 12. Prov. 28. 8.* ac textus *J. Canon. in c. quia in omnibus. 5. c. Super eo. 4. c. Consuluit. 10. X. de Usur. c. quanquam. 2. eod. in 6. diciturque* hoc propterea usura lucratoria seu mordax *Vid. Dn. Struv. Ex. 27. tb. 43.* Pertinent autem ad hoc, quicquid contradicant *Moralium Dd. in primis Lessius l. 2. cap. 20. dub. 23. & in prolixa append. ad d. dub. Montes Pietatis.* (quos vocant) de quorum pravitare *vid. B. Dn. Mevium in Disc. Levam deb. c. 4. num. 39. Dn. Oldenb. d. tit. 6. §. 176. & agnoverunt ipse Sot. de f. & f. l. 6. qu. 1. art. 6. Scotus in 4. dist. 12. qu. 2.* Nec minus Hispanorum contractus *Mobatra* vel *Bareta*, de quo *Fagundez. de Just. l. 5. c. 34.* Sed injustitiam docet elegans ille *Ludov. Montalcii in Epist. Provinc. ep. 8. & ad eam in not. Wendrock it. Cambia*, quæ vocantur *Sicca*, de quibus multis *Doctores Moralium:* (vide quoque de *Cambiis Scacciam*, *Raphael. de Turre. Sprengeri Wetselyractique. Marquard. de f. Mercator*) nec non *emptio census annui*, quam detegit *Dn. Oldenb.*

denb. §. 185. p. 746. & seq. quæ omnia tetigit etiam Dn. Pufend. d. c. 7. §. 12. Non vero *Fœnus Nauticum*, licet id velit Valer. tit. *Usura*. diff. 4. propter *o. fin. x. de Usur.* aut huic similis hodiè ex *Assecurationis* contractu, (cujus formulam vid. ap. Dn. Oldenburg. d. tr. tit. 3. §. 84. p. 243.) proventus: ob periculum, quod gratis non sustineri injustum non est, Conf. Straccha de *Assecurat. nec Anticbressis*, de quâ *infra*. Cætera circa Mutui contractum observanda, ex iis, quos *supra* citavi n. 50. Dd. peti velim, cum omnibus nunc non sufficiam.

Alter contractus *Realis Commodatum* est, de quo in *Inst. §. 2. 76 d. t. in ff. & C. tit. de Commodat.* Sed circa hunc vix unicam quæstionem ad C. F. pertinentem movent *Moralium Dd.* De restitutione scil. Commodati, an si dubius sit Commodatarius, culpâne suâ perierit commodatum, nec ne, id teneatur restituere? Id quod affirmant Galett. in *Margar. Cas. Consc. verb. Commodatum* cit. *Dian. tom. 6. tr. 3. Ref. 140. n. 2.* Et videtur, etiam huc facere, quod statuit 77 Dn. Pufend. l. 5. c. 4. §. 6. contra Dd. comm. *cum fortuito casu res perierit, videndum, an res si commodato data non foret, nec fuisset peritura; atque hoc casu esse restituendam, cum aliâ alteri nimio constituta sit benignitas, si præter usum gratuitum re quoque ipsâ foret cavendum, quam non fuisset perditurus, absque altero si fuisset.* Si enim hoc verum, ubi Commodatarii nulla planè alia culpa concurrat, quam quod habuerit rem, magis id verum erit, si adhuc dubitet, annon culpa ab ipso sit profecta. Enimverò, ego neque hoc neque illud admittendum arbitror. Quantum enim ad opinionem 78 Dni. Pufendorffii, non puto culpæ reum esse, qui re commodatâ utitur, idque innoxie, quantum in se est. Minus etiam, posse de casu fortuito queri commodantem, quem in se recepisse credendus est, dum, scivit, commodati *Leges casum fortuitum commodatario non injungere, & tamen huic commodato dedit, nec etiam de casu fortuito sibi paciscendo prospexit.* Neque Dn. Pufendorffium l. 21. & 22. ff. *Commod.* juvabunt, in quibus rei commodatæ furto ablata æstimatio solvenda, dicitur, nam cum ex naturâ & regulis commodati interpretandæ illæ sint, patet intelligendas esse de furto culpa commodatarii commisso, non de eo, quod casus fortuiti instar possit haberi. Quoad alterum verò, in dubio delictum non præsumitur, arg. l. *merito. 51. ff. pro Socio* nec tenetur quis ipsum se gravare opinione sinistra. Hinc ipse Diana l. c. & rursus *Ref. 143.* hanc opinionem amplectitur, pro

- quã laudat etiam Henríquez. *l. 14. c. 15. in fin. & Sanchez. de Matrim. l. 2. Diff. 41. n. 18.* ut inde in dicto casu restitutionem non esse faciendam, omnino credam Add. quoque Less. *l. 2. c. 27. dub. 3. in fin.*
- 80 Tertius Contractus inter Reales est *Depositum*; de quo *Instit. §. 3. d. 1. in ff. & C. tit. Depos.* Sed & in hoc vix dubii quid relíquit accurata híc LL. Romanarum Justitiã Moralium Dd. unde ad commendandam hanc saltem notandum, quod pulcherrimè eadem constituerunt in *l. bona fides. 31. ff. Depositi*; exigere quidem b. f. ut depositum quando-cunque restituatur deponenti, si tamen concurrat alia civilis (magis ibi serè dixerim naturalem quoque) ratio, salutem publicam merito præ privato debito ferendam esse. Quò quid justius constitui vix potuisset. Vide elegantia variorum dicta huc tendentia exposita ap. Dn. Pufend. *d. c. 4. §. 7.* quocirca nec quicquam hæc moratur Valer. *de Diff. utr. for. tit. Depositum. Diff. 3.* ubi ei contrarium in F. C. placet, quod tamen ipse mox limitat. Non minus notandum, quod de præstandis híc Dolo saltem & culpa lata, LL. constituerunt, cum suis tamen exceptionibus, de quibus Dn. Struv. *Ex 21. tb. 37.* ubi propterea non immeritò reprehendum puto Dianam, qui *d. tr. 3. Ref. 141. n. 3.* probabilem dicit opinionem & tutam in Consc. neminem teneri in Consc. circa depositum, nisi ex culpa gravi & lata, non ex levi & levissima; excepto unico casu si expressè sit convenit: à quo etiam dissentit Azor. *d. l. 7. c. 8. qv. 2. & 3. Molin. Diff. 527.* Adde Rebellum quoque qui aliud hác molitur, de solo nim. Dolo, non etiam de Culpã, latã licet, præstanda *de bl. Jusit. part. 2. Olib 16. qv. un. n. 5. & seqq.* quem verò latè
- 82 refutat. Valer. *d. 1. diff. 4.* Id quoque non prætereundum, quod de Deposito miserabili egregie dispositum in *l. 1. §. 1. & 2. ac l. 18. ff. Depos.* nam utique pœnam meretur inhumana illorum improbitas, qui ex hominum, misericordiã dignorum, damno flagitiosum compendium quærere non verentur, & cum publicè illi non minus quam privatim mali fiat, duplex iis omnino quoque pœna debetur. Add. *Exod. 22. v. 7. 8. Levit. 6. v. 2. seqq.* Dn. Struv. *d. Ex. tb. 42.* Dn. Pufend. *d. c. 4. §. 7. in-*
- 83 *fin. p. 642.* Denique, notandum quod constitutum de restitutione depositi ab injusto possessore facienda, concurrente hoc, & simul justo Domino in *d. l. bona fides 31. §. 1. Depos. & l. Officium. q. ff. de R. V.* Licet enim in Consc. F. has non procedere dicat Valer. *d. 1. Diff. 5.* puto tamen

tamen huic satisfactum iri, si explicentur illæ LL. ita, ut non privata auctoritate, afferenti saltem dominium rei depositæ reddere possit depositarius, sed postquam legitime hic dominium probaverit. Add. B. Dn. Brunnem. *ad d. l. 31. n. 2. Depos.* Circa custodiam in h. 84 Contr. leve dubium superest, dum quidam *ex l. 5. §. 4. ff. Commod.* statuunt, haud teneri depositarium, rem depositam suis præferre, quando utrasque salvas facere nequit. Dn. Struv. *Ex. d. tb. 37. not.* B Dn. Brunnem *ad. d. l. 5. n. 14.* Licet n. id ita sit, si tamen naturam inspiciamus, id quidem ita dici potest, si utræque & depositæ & depositarii res sint paræ pretii: Si vero illæ sint pretiosiores, hæc viliores, illis has postponi omnino æquum videtur: ita tamen ut deponens teneatur restituere pretium earum rerum, quæ perierunt dum res ipsius neglectis propriis servatæ sunt: non secus, atque alias impensas in depositam rem factas, aut damna quæ per illam accepta sunt. Quamquam id etiam fatear, si salvatæ res depositæ pretiosiores non fuerint, amicitia tantum & humanitatis officia intermissa dicenda, ad præstandam verò rei perditæ æstimationem nullam inde obligationem futuram esse Dn. Pufendorf. *d. c. 4. §. 7. p. 641.* Add. Valerius *d. t. diff. 1.*

Ultimus Contractuum Realium *Pignus est*, de quo in *Inst. d. t. 85 §. 4. in ff. integer Lib. 20. in C. lib. 8. tit. 14. & seqq.* Circa hunc verò iterum quidem prolixi sunt Doctorum Moralium labores, Vid. Azor. *p. 3. lib. 7. rubr. de Pignor. Molin. Disp. 528. & mult. seqq. Tamburin l. 9. tr. 7. c. 3. Fagundez. de Just. l. 7. per tot.* Sed tamen cum potissima horum capita hic circa fructus pignoris & circa pacta adjecta occupentur, de his quoque tantum videbo relictis reliquis nudæ suæ justitiæ quam Rom. jus iis addidit. Ut de fructibus disputetur, inde est, quod non raro pignori supponantur res fructuosæ, unde provenientia comoda semper ad debitorem deterre molestum, Creditorem verò sibi retinere tanquam suos, injustum foret, Hinc enim constitutum est in *l. 1. & 2. C. de Pign. actac. 1. & 2. x. deli sur.* ut computentur fructus pignoris in sortem creditam, seu rationem exonerandi debiti quo exaqvato desinat pignus apud Creditorem, quippe cui satisfactum jam sit. Ita verò cum indefinite de fructibus hic jura constituerint, ex eo dubium crevit Dd. an id in C. F. de fructibus tantum perceptis intelligendum sit, an etiam de percipiendis? & si illud, an tantum de iis, quos percipere debitor, si possedisset, potuisset, an verò de iis quoque quos creditor ipse, majori forsan adhibita diligentia percepisset?

Ac quoad horum primum, negant qui strictis juris utriusque verbis inhærent: Hostiens, in *Sum. tit. de Pignor. n. 6. vs. sed numquid.* Anton. in *c. Cum contra. de Pignor.* idque in primis, cum etiam Creditor sit b. f. possessor, qui solum debet restituere fructus perceptos. Quoad alterum distinguit Soto *l. 6. qv. 1. art. 2. ad fin.* Utrum res in pignus data *per se* fuerit sterilis, sed industriâ Creditoris excolta, fructus edat; & tunc illum non cogi secundum Conscientiam, in sortem hos computare, quippe cum non ex re debitoris, sed ex suâ industriâ perceperit: an verò non per se, sed per negligentiam saltem debitoris inutilis fuerit, & tunc, si adhibitâ industriâ fructus inde provenierint, hos computandos esse. Add. Fagundez. *d. l. 7. c. 7. n. 1. 2.* Enimverò

88 mihi quidem utrinque videtur adferendum contrarium. Si enim ex Civili jure decidendum prius est, expressa mens est in *l. Creditor. 3. C. d. P. A.* ubi computandi dicuntur fructus, quos percepit ex pignore Creditor, vel *percipere debuit*: idemque in *l. fin. C. de Pign. part.* ex quibus itaque supplendi sunt textus alii: si ex naturali ratione, quis non videt, non debere nocere Debitori negligentiam Creditoris, qui cum ampliores fructus potuisset ex pignore percipere, se gerendo negligenter maluit gravare debitorem, quàm ipsum se juvare? Hinc com. quoque huc inclinant alii. Azor. *d. l. 7. c. 8. qv. 2. vs. affirmat.* Fagundez. *d. c. n. 7.* Dian. *Ref. 31. tr. 3.* & ap. hos allegati, qui simul respondent ad contraria. Posterius verò communiter quoque reprobatur, cum non possint non dici naturaliter ex re provenisse fructus, qui, industriâ licet singulari

89 adhibitâ, ex ipso tamen corpore nati sunt. Quamvis si impensa simul facta adæquent ipsos fructus, illud hic fatear, in sortem imputari non posse, quod pro impensis debetur. Vid. Fagundez. *d. l. n. 3.* Azor. *d. l. q. 1.* Molin. *Disp. 320 n. 2.* Dian. *d. Ref. 9. 1.* cum alleg. Limitationes alias huc pertinentes, sed quæ ex Civ. Jure potissimum dependent. vid. quoque ap. Azor. *c. 9* & Fagundez. *d. c. 7. n. 12. & seq.*

90 *Pacla* verò ut adjiciantur Pignoribus, tum ex eo est, quod receptis hodiè circa creditum usuris, commodius sæpè videatur Contrahentibus, data pignore fructuoso convenire, ut fructus illius sint loco usurarum, tum quod in pignoribus sterilibus sollicita Creditorum diffidentia etiam ultra possessionem pignoris cautum sibi voluerit. Natum inde ex priori *πακτὸν ἀντιχρησῶς l. 1. §. 1. si ἀντιχρησῶς ff. de*

ff. de Pign. quod an in F. C. sustineatur, nonnulli dubitarunt. Et sa-
 ne Jure Canon. tanquam usurarium planè damnatum, per c. 1. 2. & 8.
X. de Usur. c. 9. de Jurej. docent Panorm. & ceteri ad d. c. 2. Modest.
Pistor. 2. Conf. 13. n. 10. 11. Cum enim usuras ipsas condemnet Jus il-
 lud, condemnare quoq; credendum est omnes modos, per quos ad
 eas devenitur. Alleg. plur. ap. *Magnif. Dn. Tabor. in tr. de Altero*
tanto usur. p. 3 art. 11. n. 6. Verum, & ipsum tamen nonnullis in casibus
 admitit Antichrescos pactum c. *salubriter. 16. X. de Usur. c. 1. X. de*
Feud. in primis in bonis Ecclesiæ. c. 1. & 8. *cod. Rittershus. de Diff.*
Jur. Civ. & Canon. c. 7. p. 22. Vid. *Klock. de Contribut. c. 11. p. 221.* unde
 non planè sui naturâ credendum est illicitum; & rationem habere cre-
 di oportet consuetudinem, quæ communiter illud recepit. Ergò si
 quod in Conscientiâ circa illa dubii, distinguendo fieri res salva po-
 test. Aut enim fructus, in antichresin dati prædii, certi sunt, ita ut
 nullo accidente possint interverti; aut sunt incerti, seu casibus obnoxii
 ab-und niedersteigende/ Vid. *B. Dn. Brunnemann. ad d. l. 11. num. 8.*
Priori casu attendendum, an legitimum usurarum modum [nam,
planè non esse illegitimas usuras omnes, præsupponendum est contra
Can. Jur dispositionem, & probatum est supra n. 68. & seqq.]
 fructus excedant, an non. Si illud, legitimam quidem antichresin
 dicere nemo potest, nisi sic conveniat simul, ut quod ultra legitimum
 usurarum modum nascitur, vel in sortem imputetur vel restituatur de-
 bitori. Vid. *Carpz. p. 2. c. 30. def. 41.* bene tamen si hoc. *Posteriori*
 casu planè damnari non posse conventionem dicendum, ob mixtum
 cum lucri spe damni sustinendi periculum. *Carpz. d. c. 30. d. 40.* Nam
 si forsan contigerit, hoc anno creditorem ultra legitimas usuras
 sentire emolumentum, rursus evenire alio anno potest, ut tempesta-
 tum injuriâ excludatur ab omni incremento. Pensari igitur anni
 unius infelicitatem, cum ubertate alterius iniqui nihil continet arg.
l. 10. de R. J. Add. ad hæc B. Dn. Brunnem. ad l. 11. ff. de pign. 95
& ad l. cum debitor. 8. ff. In quibus caus. pign. vel hyp. Dn. Struv.
ex. 119. th. 52. prolixè Dn. Oldenburg. de IV. El. Jurid. tit. 5. §. 125.
& seqq. p. 634. ac ex professo Rauchbar. Qq. J. Civ. l. 1. quæst.
20. Conf. quoque Magnif. Dn. Tabor. d. tr. art. 11. & 12. ubi latè
 etiam tractat, *An sistatur antichresis, si redditus inde percepti ad sortis*
quantitatem jam adscenderint? Ex sterili pignore natum est pa-
 ctum Commissorium l. ult. C. de Pact. pign. de cujus justitiâ etiam
 potest

- potest dubitarii. Licet verò naturaliter quidem illud non esse iniqum, in primis ubi pignus non pluris sit, quam debitum & usuræ intermedii temporis: aut si, quod excidit, Dom no restituatur, tradat Dn. Pufend. *d. F. N. & G. l. 5. c. 10. §. 14.* Leges tamen Romanæ illicitū id esse iusserunt, quod per avaritiam Creditorum egeni ac necessitate pressi debitores rebus suis facile exui possint, dum pignori opponunt, quæ multò plurius quàm debitum sunt. Vid. *d. l. ult. C. de pact. pign. & c. significante. 7. X. de Pign. & al. caution.* quibus novissimè junge Poltcey *Ord. nung zu Franckfurt de Anno 1577. tit. Von Jüden und ihren Wucher.*
- 97 Nihil ergò de hujus justitia ulterius: sed addi saltem velim *Magnif. Dn. de Jena in tr. de L. Commissoria §. 15 & seqq.* ubi Pinellum prius, contra Dd. comm. pactum commissorium ff. jure nunquam fuisse prohibitum gloriosè asserentem, defendit, postea rationes prohibitionis in jure novo deducit, & tandem ad quæstionem istam devenit: *Si tamen debitoris juramentum pacto L. Commissoria accesserit, an tum sit validum?* de quâ hîc quoque paucis ego noto: in hoc quidem
- 98 casu juramentum nil operari, cum sine dubio bonis moribus sit contrarium, nec ipsum servari salva Consc. possit. Vid. *Carpz. d. p. 3. c. 30. def. 43. n. 3. Setfer. de Juram. l. 2. c. 11. n. 6. & 7. ibique alleg.* Faceret enim impleturus illud se quoque participem peccati creditoris improbi, qui contra Legem, conscientiam obligantem, pactum expressit & lucrum inde nunc aucupatur. Nec foret id aliud, quam cum effectu jurasse, se nolle huic vel illi legi, fraudem prohibenti & justa mandanti, obedientiam præstare: quæ ratione omnia jura & cunctas sanctiones laudabiles subditorum malitia
- 99 destruere possit. Pertinet huc potius elegans argumentum ex *Nov. 41. pr.* ubi in alio casu Imperator; *hujusmodi inquit transgressione magis placent Deo, quam juri-jurandi observationes.* Vide latius *d. Magnif. Dn. Authorem §. 22. ad 28.* licet ipse §. 27. in id desinat, tutius esse, juramentum propriâ autoritate non spernere, sed relaxationem tam ad effectum agendi quàm excipiendi petere, ob animi & Conscientiæ pacem; quod etiam concludit *Bernh. Greven. l. 1. Concl. 22. n. 5.* ubi multos allegat. Reliqua de Pignoribus vid. *ap. Dd. citatos.*
- 100 Ita explicitis *Realibus Contractibus jam Verbales tango.* Tango, dico; nam licet multa planè de his, in Juris Corpore conti-

contineantur. minus tamen circa hos agendum operose idèò arbitror, quod stipulationum solemnitatibus hodie sublatis vix quicquam ex illa materia, nostris temporibus aptum, meoque adeò C. Foro inferendum videatur. Sola quidem *Fidejussorum* materia, frequens hodie, posset quaestionibus nonnullis ansam dare; Sed etiam illas omnes sic determinasse puto Jus Civile, ut Conscientiis metum aliquem infligi, si illud sequantur, non credam. Conf. Dd. Jus Civ. *ad tit. ff. de Fidejussor. & ex Moral. Molin. tr. 2. disp. 5. 39. ad 548.* Unicam quaestionem, quæ est circa *Mulierum intercessiones*, in Scholis frequentem, examinabo: an scil. Mulier, quæ jure Civili contra suas intercessionem habet beneficium SCi Vellejani, non tamen obligetur in F. Consc. Ita v. quidem videtur, ex suppositione quorundam, quod, ubi naturalis obligatio, ibi debitum quoque sit in animæ foro. Vid. Abbas in c. *quia plerique col. pen. X. de Immunit. Eccles.* unde multi hanc quoque Conscientiæ obligationem defendunt. Vid. An. Hering. *de fidejuss. n. 527. seqq.* Sed tamen cum Civile jus ex causa rationabili totam obligationem, ad eoque illâ quoque, quæ superat, naturalem improbaverit, l. 16. §. 1. ff. *ad Sc. Vellej.* Dn. Struv. *Ex. 21. tb. 4.* ne scil. facilis in preces mulier fraudibus magis exponatur, & bonorum jacturam, cum mali nihil timet, patiatur, Vid. Molin. *disp. 540. n. 2.* Dn. Pufend. *de J. N. & G. l. 9. c. 19. §. 10.* magis dicendum, etiam in F. poli seu Consc. valere exceptionem, & fretam illâ, posse mulierem bona ac tutâ coram Deo Conscientiâ denegare solutionem ejus, quod intercedendo promisit; quod etiam aliis rationibus probant Menoch. *de Prasumpt. l. 1. pras. 50. per tot.* Valent. Franc. *in tr. de Fidejuss. c. 2. n. 55.* Mart. Benckendorf. *in l. 2. membr. 4. part. 4. limit. 1. n. 129. ff. de R. J.* Nec obstat quod in L. Mosaica reperitur, fidejussorem quemlibet sine sexus differentia stare promissioni ac satisfacere debere. Nam Mosaicam L. eo extendi non posse, doctè explicat Gœdda. *de Contrab. stipul. c. 7. concl. 16. n. 292. seqq.* sufficitque propter graves causas mulierum fidejussiones excepisse à regula ac infirmasse LL. quibus obediend est, sec. tradita Calvin. *in tr. de Princip. c. 2. pag. 52. & seq.* Add. Hering. *d. l. n. 530.* Molin. *d. disp. 540.* Quando tamè isthac exceptione uti non possit mulier, vide exceptiones ap. Dn. Struv. *d. Ex. tb. 9. & seq.*

Eodem modo, h. e. brevissimis, dimitto Contractum *Literarum*: licet circa hunc nec ipsum Jus Civile pluribus disputandi causam præbeat, cum unicum illud de Exceptione non numeratæ pecuniæ exhibeat in tit. *Inst. de Litt. Oblig. Add. tit. C. de Non num. pec.* Et de hoc quidem.

in F. C. ita sentio : Quidquid etiam de condemnando post elapsum biennium eo, qui cum nondum accepisset pecuniam, spe securitæ numerationis accepisse se professus est, Jus Romanum constituerit, Vid. Fachinæ. 2. *Contr.* 81, Marquard. *de F. Mercat.* l. 3. c. 8. n. 27. Carpz. p. 1. c. 32. d. 66. 67. non tamen vel in Consc. teneri eum, qui nihil accepit, quidquam solvere, (nisi forsitan obsequii ergo adversus Magistratum, cui probare innocentiam suam ipse non potest) vel tutum esse
 107 eum, qui Legis nixus auxilio quidquam exinde recipit. Conf. Molin. *disp.* 302. n. 12. Nec tamen Jus Civ. iniquitatis propterea accusaverim. Ipsum enim finiendis litibus aliter consulere non potuit, quas defectus probationum sæpè in immensum extrahit, & providere saltem vigilantia Civium voluit, ne illi negligenter Chirographa relinquerent apud eos, à quibus nihil hucdum acceperint. Hinc nec ex annorum lapsu obligationem induci, quod foret contra l. 44. *de O. & not. Magnif. Dn. Strauch. in Dissert. Juslin. D.* 14. *aph.* 21. sed præsumtionem saltem, cujus effectus est, ut probandi omnis deferatur in Reum, quo deficiente is condemnatur. Dn. Struv. *Exerc.* 16. *tb.* 50. *cum alleg.* Conscientiæ igitur Actoris cujusque relinquit, an dederit reverà quod repetit : si illam hic neglexerit, sopiendo per condemnationem
 108 litem, non etiam simul sopire conscientiam instituit. An verò per *Juramentum* Chirographo adpositum tollatur hæc exceptio, puto ex eo judicandum, si juramentum fuerit *adsertorium*, non si saltem *promissorium*. Hoc enim præsupponit conditionem tacitam: *si accepero*: illud verò & accepisse quem adfirmat, & solutionem simul pollicetur, unde omninò obligare credendum est. Vid. l. *fin.* ibique B. D. Brunnem. n. 3. C. *de Non num. pec.* Gutierrez. *de Juram. Confirm.* p. 1. c. 37. n. 8. Molin. *d. D.* 302. n. 11. *vs. Confirmatur hæc ratio.*

109 Superfunt jam Contractus, qui solo constant consensu, inde *Consensuales* dicti. Circa hos nunc prolixus quidem nec utilis minus labor esse posset, occurrentibus dubiis quam plurimis, iisque quæ evolvantur dignissimis : nã spaciis exclusus iniquis tam temporis quam Disputationis, ipsi mihi Legem habeam dicendam: *non esse profusum*. Selligam ergò potissima, monstratis saltem per Indicem quasi reliquis. Et in *Emtione Venditione* nihil occurrit frequentius, quam ut nitatur quilibet, quomodo vel majoris res suas vendere, vel minoris alienas emere
 qvcat

queat, non attento, vitiosa illa sint, nec ne. Inde in suum quisvis commodum maximè intentus, vitio sibi non ducit, quâcunque ratione circumvenire alterum possit, quod naturaliter sibi licere ex *l. 16. §. 4. ff. de Minor. l. 22. in fin. ff. Locat. arbitrat. Crescentibus* verò hinc fraudibus, remedia quæri oportuit, quæ adinvenit Jus Civile, nunc in *Ædilitio edicto*, nunc in beneficio *Legis*, prout vel rei vitium adhærescit, vel in pretio quis sit circumscriptus. *Conf. tit. ff. de Ædil. Edict. & l. 2. C. de Rescind. Vendit.* Nata hinc (1.) dubitatio, cum celata rei vitia adeò habuerit odio Jus Civile, ut duplicem propterea actionem dederit, *Reddibitoriam & quanti minoris*: vid. *ff. d. t. an ergo sit aliqua in Consc. obligatio detegendi vitium rei vendendæ, & si hoc, quousque illa pertineat?* Ac quod in *Contractibus onerosis* in genere *Grot de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 8. tradit, æqualitatem requirere naturam.* id hîc præsuppono inprimis. Nemo enim in Emptione præsumitur donare, ubi id agitur inter contrahentes, ut uterque tantundem, saltem in aliâ specie, nanciscatur, ne mihi desit aliquid, nisi in cujus vicem aliud æquipollens consecutus fuero. *Add. Dn. Pufendorf. de I. N. & G. l. 5. c. 3. §. 1. & 8.* Ista ergò æqualitas ut obtineri possit, inprimis opus est accuratâ rei notitiâ, quâ rei qualitates innotescant, quam uni, tam alteri. *Vid. Cic. 3. Offic. ibique Clar. Dn. Rachel. in Not. p. 467. in fin. unde detegi vitia in Contractibus, non esse naturale, adeoque in Consc. necessarium, videri non potest. Add. Dn. Pufendorf. d. c. 3. §. 3.* Non tamen id adferendum sine distinctione crediderim. Interest enim, vitium rei an *evidens* sit & sensibus cujusque, vel parum diligentis, expositum: an *latens* sit, ita ut & *prudentissimos* fallat: an verò *occultum* quidem, nō tamen *prudentioribus*, sed *inertibus ac imperitis*. *Priori casu ad revelandum obligatio non est, ubi ipsum se revelat vitium, l. 1. in f. ff. de A. E. nec credendus est non animadvertente emtor illud, quod omnes sentiunt. Hinc de se queratur, qui non curiosus satis est, oportet. Vid. l. 43. §. 1. de Contrab. empt. Paul Zachias. in Qq. Medic. Legal. l. 2. tit. 3. qv. 4. & seqq.* Altero casu omninō adest obligatio revelandi, nisi insignis turpitudinis notam & fraudis calumniam in se derivare contrahens velit. Quæ enim astutia, ideò, quod alter prævidere vitium non potuit, majoris rem vendere, & justæ ignorationis alterum indebitas pœnas luere? *Add. l. 1. §. 2. in fin. ff. de Ædil. Ed. Tertium ita compartum est; ut imperitia forsan non potuerit facile evitari, v.g. si rusticus rem artificialem emat: vel ut*

- evitari tamen potuerit & debuerit : In his utrinque quidem fortè Civile jus non succurreret : Jure tamen naturæ utrinque etiam videtur obligatio ; maximè si emptor quoque rogaverit venditorem, *an res bona sit ? an careat vitio ?* nam sic minus etiam æquum foret, simplicem emtoris fiduciam quam in venditoris fide posuit, illi nocere,
- 116 Add. *Cl. Dn. Rachel ad Cic. Off. p. 473.* Cæterum, cum etiam vitia dentur non ipsam rem propriè contingentia, sed *extra substantiam* rei posita, ad *æstimationem* tamen ejus facientia, (e. g. si quis annonæ caritate frumentum aliquò attulerit, carè vendendum, nisi cum eo alii simul advenerint, sciat autem adventuros alios & jam in viâ esse ; quod exemplum ex *Cic. 3. Off. examinat Grot. d. c. 12. §. 9. n. 2.* & prolixius *Dn Pufend. d. c. 3. §. 4.*) de his observandum est, ad ea revelanda nullam esse obligationem vel naturalem vel conscientiæ ; cum etiam pro eo, quod maturius advenerit e. g. frumentarius, ei aliquid (nam in tempore non parum pretii est,) debeatur, & eo tempore nulla adhuc sit obligatio cur vilius vendat. *Grot. d. l. Dn. Pufendorf. d. l. licet ille officiosum tamen ac laudabile dicat, si quoque hæc indicentur, sed circa quòd etiam dubii non nihil hic movet.* Add. ad integr. quòq. quæstionem pluribus *Moralium Dd. Fagundez. d. Jusf. l. 3. c. 30. & 31. Molin. tr. 2. Disp. 353. 354. Azor p. 3. lib. 8. c. 23. qu. 3. & seqq. Sor. de Jusf. l. 1. q. 3. art. 2. &c.*
- 118 II. Dubitatio est: Cum in pretio rei læsionem ultra dimidium planè improbaverit Jus, ita ut propterea etiam rescindi Contractum permittat, in *l. 2. C. de Resc. Vend.* de læsione tamen infra dimidium nihil disposuerit singulariter, sed permissivè potiùs, tanquam *solertiam negotiatoriam*, ut vocat *Dn. Struv. Ex. 23. ab. 20.* videatur in *l. 16. §. 4. de Minor. l. 22. in f. ff. Locat.* an ergò hæc læsio etiam in F. C. sustineatur, an vero propter hanc quoque rescindi Contractum oporteat? Enimverò *Grotius d. l. 2. c. 12. §. 26.* benè sic explicat *dd. ll. ut licere & concessum esse*, dicat non semper denotare id, quod fas est ; sed quod ita duntaxat permittitur, nullum contra sit proditum remedium in eum, qui se pacto veni defendere, (quod ita interpretatur *Dn. Pufend. d. l. 2. §. 16.* qui appellatus de iniquo pretio respondere nihil aliud venit, quam, ita inter ipsos convenisse & aperire debere crumenam, qui non vult aperire oculos &c.) Vocem autem *naturaliter*, iis in locis, ut & alibi interdum, positam esse pro eo, quod recepti passim moris sit, quemadmodum *1. Cor. 11. 14.* Add. *Dn. Mey. Prodrom. Insp. 2. §. 8.*
- Atque

Atque hæc explicatio pro autoritate justitiæ LL. Romanarum omnino probanda est, nec opus est, novam legi mentem affingere dequâ forsan nuuqyam] aliquid in mentem venit Jctis : quod ubi nuper fecit Henninges ad *d. Grot. vs. naturaliter licere*, adeo gloriatur de invento novo, ac si, ut alludam ad verba Magni Authoris in *tr. d. L. Commiss. §. 1.* in casu simili, Gallos ejecisset è Germaniâ. Dicendum ergo, Læsionem infra dimidium etiam justipretii, si cum fraude sit conjuncta, esse & naturali juri & conscientiæ contrariam, indeque nec in hujus foro sustinendam. Vid. D. Osiand. *ad d. Grot. c. 12. §. 12. obs. un.* Ben. Ægid. *de Privil. honest. init. §. 9. & seqq.* Probatur tum quod ipsæ dd. ll. saltem sint permissivæ, & quidem minus plenè, Covarruv. *l. 2. Var. res. c. 4. n. 11.* cujusmodi Leges nec securitatem præstare in F. C. dictum est *c. 2. n. 23.* tum quod Lex de graviori & dimidiam partem excedente læsione disponens merè sit positiva, cujus ratio non tam in eo, quod naturaliter justum, constituta, quàm in eo, quod publicè Civitati utile, cui nulla tribunalia forent suffectura expediendis litibus, & in quâ vix tutum alicui contractum celebrare, si ob quamcunque minutum læsionem Prætor possit adiri, Dn. Pufend. *d. c. 3. §. 9.* tum denique ex Pauli dicto *1. ad Thessalon. c. 4. v. 6.* quod explicat D. Osiand. *d. l.* ubi simul ad 122 argumenta contraria respondet. Observandum illud tamen, ut non sit exigua forsan læsio, quæ licet pretium rei aliquatenus excedat, imputari tamen vel periculo alterius contrahentis, vel adfectioni illius, vel alicuiuscunq; causæ possit, de quibus vid. Dn. Rachel. *ad d. Cic. off. 3. pag. 478.* sed ut sit læsio *gravis*, id est, in summâ non mediocri consistens. e. g. si domum quæ 900. erat, pro 600. quis vendiderit, ubi sat gravis est 300. summa: licet gravitas læsionis non semper possit æstimari ex ipsâ pretii magnitudine, sed interdum quoque ex tenuibus læsi facultatibus judicanda sit, quas facultates damnus, opulentiori negligendum, non rarò vehementer adfligit. Vid. Dn. Pufend. *d. §. 9.* Add. quoque D. Thom. 2. 2. *qu. 77. art. Soto de l. & l. 6. qu. 3. art. 1.* Lessius *l. 2. c. 21. dub. 4. num. 20. 21.* Fagundez. *d. l. 5. c. 50.* Molin. *tr. 2. Diss. 349. 350.*

Cæterum an liceat rem carius vendere, ob expectandam demum solutionem, aut vilius emere, solutione anticipata: item an justa sit & licita emptio, cum pacto de retrovendendo? item an monopolia defendi in F. C. possint? de horum illo vid. Molin. *Diss. 355. & seqq.* Fa-

gundez. c. 31. 32. 33. Azor. p. 3. l. 8. c. 8. & c. 10. de isto, Molin. *Disp.* 375. & *seqq.* Fagundez. c. 43. Azor. c. 12. de hoc, Molin. *Disp.* 345. Fagundez. c. 135. Azor. c. 28. Dn. Pufendorf. *de I. N. & G. l. 5. c. 5. §. 7.* D. Osiand. *ad Gros. l. 2. c. 12. §. 16.* & alia multa apud eosdem & alios Moralium Doctores, Dian. *Ref. tom. 6. tr. 3. passim.* à Matre Dei *tr. 14. cap. 2. per tot.* Rebell. *de Obl. Jus. lib. 1. P. 2. Q. 3.*

- 124 In *Locatione Conductione* dein notari meretur in primis, quod de impeditis rei locatæ fructibus jura constituerunt. Ubi quæritur: num casus, qui interceptiunt usum rei, aut deteriorem reddunt, etiam in F. C. Conductorian locatori sint damno, ac depensione possint de trahi? Quo facere benè puto distinctionem Dn. Pufend. *d. l. 5. c. 6. §. 2.* ubi interesse censet, an *citra* conductoris culpam res perierit, aut *culpâ* ejusdem: deindè an *res* perierit planè, an *usus* ejus aliquis saltem sit interceptus: postremò, an *usus* ille rei *certus* semper sit, an verò dubius &
- 125 *incertus*. Si ergo *culpa* conductoris intervenerit, dubium non est, non etiam debere culpam istam nocere alii cuicumque, quàm ipsi conductori. Hic nihil propterea decrescet pensioni, cum sibi imputandum habeat conductor, quod plus non perceperit, & damnum, quod quis suâ culpâ sentit, non sentire credendus sit, *l. 203. ff. de R. l. quin si planè res perierit, etiam ad restitutionem omninò tenebitur, modò non levissima culpa fuerit.* Vid. Molin. *Disp.* 404. Tamburin. *Jur. Moral. l. 9. tr. 4. c. 1 §. 2. num. 11 & seqq.* Dian. *tom. 6. tr. 3. Ref. 119.* (ubi prolixè examinat sententiam Hunniù *in Var. Ref. jur. l. 3. tr. 7. p. 2. qv. 7.* qui levissimam quoque culpam imputat Conductor) Azor. *d. p. 3. lib. 8. rubr. de Locato,*
- 126 c. 7. Quod si *sine culpâ* conductoris perierit, & quidem *planè*, tunc non modo hic non tenebitur ad rem restituendam, sed & ex eo tempore cessabit pensio. Ut enim integra merces postulari queat, requiritur, rei existentiam per totum tempus contractûs durare, nam nec aliter obligari ab initio contractûs conductor voluit, nec credendus est locator id fuisse exacturus, si tempore contractûs iniri prævideri casus potuisset. Add. *l. 9. §. 4. ff. Locat.* Si verò *sine culpâ* Conductoris non quidem perierit omninò res, sed ejus *usus sunt intercepti*, tunc videndum, an hi *usus certi* sint, quod præstare locator & potest & debet: e. g. si domus ad inhabitandum conducta, cui usui ut sit idonea, locator efficere debet: an verò sint *incerti*, quos præstare nec in potestate locatoris est, nec in obligatione ejusdem. e. g. si agri, horti, vineæ &c. conducta sint, quorum fructus à Cœli clementiâ sunt expectandi. *Priori casu*
- inju-

injustè peteretur ad conductore innoxio pensio, cum vel majorem vim, vel factum alienum, vel casum præstare hic non possit, e.g. si domus turbinum vi sit dejecta, vel ob vicinum incendium ruinis deformata. Vid. l. 15. §. 1. l. 30. princ. ff. d. t. Add. Dian. d. tr. 3. Ref, 120. Posteriori verò regulariter conductor denegare pensionem integram non posset, cum in his unius anni sterilitatem ubertas alterius penset, indeque ut exuberans proventus illius lucro, sic malignus quoque ejusdem damno esse naturaliter debeat. arg. l. 10. ff. de R. I. add. l. 15. §. 4. d. t. l. 25. §. 6. eod. ibique B. Dn. Brunnem. cit. Molin. Disp. 495. §. 23. ubi nec propter insolitum augmentum teneri conductorem in C. F. ad majorem pensionem solvendam probat. Dixi tamen regulariter: nam omnino hic quoque adhibendum temperamentum propositum in d. l. 15. §. 2. ubi damno locatoris esse dicitur, si fructus sint corrupti, vi fluminum, graculorum, sturnorum &c. additâ ibidem ratione, ne colonus ultra damnum seminis amissi mercedes agri præstare adeoque damnum duplex ferre cogatur: Si qua tamen vitia ex ipsâ re orientur, aut si nihil extra consuetudinem contigerit, damnum coloni esse. Unde distinguendum apparet inter casus frequentiores & rariores, ut illi quidem noceant conductori, quippe qui, si non prævideri, tamen præsumi potuerunt: hi verò non. Add. Dn. Pufendorf d. c. 6. §. 3. B. Dn. Brunnem ad d. l. 15. §. 2. Frantz. ad ff. tit. Locat n. 96. & seqq. Molin. d. Disp. 495. Dian. d. tr. 3. Ref. 122.

Solent autem etiam operæ locari, non res solæ: unde de illis quoque notandum, quid in Consc. æqvum sit, si cujus opera pluribus simul esse possit utilis, is verò eam locaverit uni pro mercede justâ? an scil. tunc ab altero vel pluribus eandem quoque mercadem justè queat exigere? de quo sic sentit Grotius de I. B. P. l. 2. c. 12. §. 19. Quod si una opera pluribus utilis esse possit, ut itineris susceptio. & locator pluribus se, in solidum singulis, obstrinxerit, poterit de singulis mercedem pacisci, quam ab uno exiget, ubi lex non obstat: quia quod illa opera secundo quoque utilis est, extrinsecum est contractui, qui cum primo est initus, neque respectu primi quicquam minuit de æstimatione. Enimverò hic quoque benè advertit Dn. Pufendorf. d. c. 6. §. 4. neque in casu a Grotio proposito (quod miror tetigisse Commentatorum neminem) admitti posse ejus decisionem, neque ad ipsam quæstionem posse responderi sine æstimatione operarum. Quoad prius enim si v. g. Sedini mihi conduxerim aurigam, qui Francofurtum ducere me debeat pretio 4.

Imperialium, si eidem in viâ occurrant alii eodem tendentes, & se quoque illuc duci rogent, an quæso iniq̄vum non fuerit, ab horum singulis hunc etiam stipulari quatuor? Mihi quidem sic videtur. Licet enim verum sit, esse accidens hoc extrinsecum contractui, neque respectu mei quicquã diminui de æstimatione, vitium tamé occasione ejus respectu

131 aurigæ intrinsecum est, qui, quàm viam 4. Imperialium compendio ire tenebatur, nunc non nisi 8. vel 12. pretio absolvere cupit. Equidem, nõ dixero, debere eũ gratis nunc ducere reliquos. Sed quæadmodũ modicũ emolumentũ ei invideri non potest, tũ, ne gratis sentiant officium advenæ, tum quod plus laboris sustinendum nunc equis sit, quibus molestius est tres ducere, quàm unum; ita humanitati etiam & æquitati congruum est, ad æqualitatem reduci mercedem vel remittendo alteri, qui

132 prius convenerat de pretio, vel si illud hic nolit, minus exigendo ab aliis. *Conf. Dn. Pufend. d. §. 4.* Distinguendum ergò (id quod alterum est) inter operas; *Officiales* sint, an *artificiales*, de quorum *illis* ob servandum puto quod dixi: de *his* dico: Si quis ita locaverit uni suam operam, ut *docere* eum (nam ejusmodi casus fingendus est, cum de illis operis, quæ *factum* corporeum post se relinquunt, quarum conductio aliàs etiam dicitur *Locatio operis*. B. Dn. Brunnem. *ad l. 4. n. 3 ff. Locat.* nil sit cur dubitetur) artificium, (& quidem tale, quod ex paucitate artificum & raritate æstimationem capit,) velit, si eandem operam alii eodem tempore iisdemque horis velint conducere, posse hunc qui

133 dem justè ab his quoque singulis tantundem stipulari, quantum accepturus est ab uno, licet hunc solum suã in arte informaverit. Ratio est, quia qui hic locavit operam (Liceat locationis vocabulo uti, utut sint qui nolint esse Locationem conductionem, quando quis pro informatione in artibus liberalibus salarium accipit, arg. *l. 1. ff. de Extraord. Cogn. Add. tamen Senec. de Benef. l. 6. c. 5*) non tam tempus vel informandi actum respicit, quam artem ipsam, quæ dum communicatur pluribus, & ipsi deinceps minoris esse & proficere discipulis, hisque parare comæda incipiat Injustè ergò non facit, si quod sibi singulorum ratione abesse, accrescere verò singulis incipit, id anticipando sibi quærat, & restitui desideret. *Conf. d. §. Dn. Pufend.* Atque ex his simul patet, quid de Magistris LL. exoticarum dici possit: an justè hi ab uno exigant pro quavis hora tantundem quantum accepturi essent à tribus vel quatuor &c. Alia quoque de Locatione Conductione & plura peti possunt ex Moralium Dd. Molin *Diff 486.*

& multis seqq. Azor. d.l. 8. rubr. de Locat. per tot. Tamb. d. tr. 4. peri nr. Valer de Diff. utr. for. rit. Locatio & Cond. per tot. in specie de causis ob quas expelli ante locationis tempus finitum justè conductor possit B. Dn. Brunnem. ad l. Aed. s. C. Locat. Molin. diff. 499. B. Dn. Mev. Decis. Wisn p. 2. Decis. 33. 34.

In Societatis nunc contractu (de cujus in genere Justitia vid. Andr. 139 à Matre Dei tr. 14. c. 3. P. 11. §. 1. n. 96) illud videbo: an congruat cum Justitiâ & Conscientiâ, sic illum iniri, ut sit inæqualitas inter contrahentes tam lucri quam damni ratione. Atque hic decisioni se offert l. 29. §. 1. ff. pro Socio. ibi: *sic coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit, Cassius putat: quod ita demum valebit (ut & Sabinus scribit) si tanti opera, quanti damnum est, plerumq; enim tanti est industria Socii, ut plus societati conferat quàm pecunia. Add. Grot. d. l. 2. c. 12. §. 24. n. 2. ibique D. Ofiand. Verum, cum æquissimæ illi 136 Legi subjiçatur §. 2. Aristo refert, Cassium respondisse, Societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret & banc societatem Leoninam (ex apologo de Leone, asino & Vulpe. vid. Erasim. Adag. pag. 189. solitum appellare: Et nos consentimus talem societatem nullam esse & c. nam iniquissimum est Societatis genus, ex qua quis damnum, non etiam lucrum, spectet: de hujus justitia posset dubitari.*

Quid enim si ego nolim lucrum ex societate? si velim inde da- 137 mnum? an invito posset obrudi beneficium, contra l. 69. de R. l. an volenti fieret injuria, contra l. 9. §. 1. ff. de Aq. & aq. pluv. arc. Quin potius naturalis libertatis est, & Civilis quoque dominii effectus, uti re mea quacunque ratione lubuerit, imò abuti eadem. l. 21. C. Mandati. l. sed & si §. consulit de Petit. hered. l. 1. §. 16. in fin. ff. Si quid in fraud. Patron. & injuria, inhibere naturalem illam libertatem, ac contra meam voluntatem circumscribere voluntatem arg. l. 1. pr. ff. de Injur. Enim- 138 verò quicquid horum dicatur, non improbari jus Civile potest; cum supremæ Potestatis id quoque sit officium, cohibere luxuriantes Civium mores, & prospicere, ne quis re sua malè utatur. Qvalis verò non dicam abusus, sed prodigalitas imò dementia foret, omnino talem inire societatem, unde emolumentum nihil, bonorum verò jactura facillimè posset obvenire? unde cive egeno oneraretur Respublica? Improbanda ergo merito ista voluntas, quæ adeo contra publica etiam commoda laborat, ne dicam ipsi naturæ quoque adversum esse, abuti ad usum datis, & sic

139 sic ad propriam perniciem, si non directò, tamen eveniente fato prope-
 rasse. *Vid. B. Dn. Mevium. Prodr. Ipr. Gent. Inſp. 4. §. 6.* Equidem fin-
 gi casus posset, ubi non peccaret, qui leoninam talem societatem iniret,
 nimirum si quis opulentissimus cum cognato Mercatore, egeno & timi-
 do, cujus in negotiando industriam excitare animus esset, aliquot mil-
 lium thalerorum societatem iniret, hac conditione, ut cognatus ope-
 ram, ipse vero conferret pecuniam, & ille omne inde lucrum caperet,
 hic sibi retineret damna. Nam subesset hinc sine dubio donandi ani-
 mus arg. *l. 38. ff. de Contr. Empt.* societatis nomen adjectum saltem ideo,
 ne mercator ad alios usus adhiberet pecuniam, & sine suo excideret co-
 gnatus, *Vid. B. Dn. Brunnem ad. l. 30. n. 3. ibique alleg. ff. pro Soc.* Sed cum
 leges disponant de his, quæ *ἐπι τὸ πλείστον* id est *ut plurimum* accidunt,
l. 3. ff. de LL. injustitiæ hic accusari Jus non potest.

140 Cùm autem Societas dicatur discordiarum Mater, discordias ve-
 rò eliminare è Rep. non utile magis, quam justum sit, simul observan-
 dum est, etiam in C. F. obligare Leges, quæ non invitum detinendum
 in societate socium jubent. *Vid. l. 14. l. 63. §. 11. ff. pro Soc.* Hinc rectè dici-
 tur, nec pacto conveniri posse, ne à societate discedere liceat *Da. ad*
d. l. 14. quod aliqui extendunt eò, ut nec juramentum adjectum ad
 hoc operetur, *Valasc. Tom. 1. decis. 63. n. 14.* quod approbat *Excellen-*
Dn. Præses in dictatis ad Exerc. Justin. B. Dn. Brunuem. Ex. 2. p. 181.
in f. hoc tamen cum moderamine, si quotidianis rixis ac discordiis an-
 141 *sam societas daret.* Quia tamen inter socios eximus fidei gradus
 requiritur, notandum id etiam, non debere aliquem intempestivè & in
 fraudem aliorum societatem abrumpere: quem in casum eleganter di-
 sponit jus Civile, ut renūcians ita liberet à se quidem socios suos, ipse ve-
 rò non liberetur, sed teneatur sociis ad id, quod interest. *Vid. l. 65. §. 3.*
§. 6. l. 17. ff. d. t. Egregium locum ex Cicerone *pro Sext. Roscio* huc

142 pertinentem pete ex *Dn. Pufend. d. l. 5. c. 8. §. 4.* Quamplurima de So-
 cietate alia vide apud *Azor d. p. 3. l. 9. per tot. Molin. d. tr. 2. Diss. 411.*
& mult. seqq. Tamburin. d. l. 9. tr. 8. per tot.

143 Denique in Mandati contractu sufficere properanti, unicam quæstio-
 nem examinasse: Juste ne sc. fiat, ut mandans & Mandatarius pœna

144 teneantur æquali? id quod dispositum in *l. 5. c. de Accus.* reperitur. Ubi
 quidem probè putaverim observandum, quod in Civilibus curatè di-
 stinguitur *Consilium & Mandatum*, id indelicis non eodem modo di-
 scerni, sed consultorem æq. ac mandatorem peccare, sive is, cui consilium
 datum

tum, aliàs delictum perpetraturus non fuisset: quoniam tunc ex bono fecit malum; sive facturus fuisset nihilominus, quoniam tunc deteriozem fecit, laudando malitiam. *l. 1. §. 3. de Ser. corrupt.* Excellentiss. Dn. Præses in *dictatis ad Qq. Wesenbec. tit. Mandat. qu. 16.* B. Dn. Brunnem. in *Exerc. Jusin. ad tit. Mand. §. 6.* Nihilominus quoad C. F. mitius putarem agendum cum eo, qui delicturi propositum saltem laudat & ei connivet, quam qui nec cogitanti adhuc de peccato suggerit illud & perfvadet. Licet enim ille nec à peccato possit, nec debeat à pœnâ esse immunis, dum, quod dixi, deteriozem fecit, laudando malitiam, attamen obvium est, minus deliquisse, unde minus quoque debeat puniri. Molin. *Disputat. 550. num. 30.* Sed ut ad *Manda- 146* *torem* redeam, hunc quidem non video, quomodo eximere ab ordinaria pœna aliquis possit, cum sine ipso delictum factum nunquam fuisset; & licet manum non admoverit, ipse, paria tamen sint, vel ipsum vel per alium aliquid facere. Vid. *l. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 169. ff. de R. I.* Mandatario igitur succurreretur facilius licet hic manum admoverit; si nimirum ille parere forsan necesse habuerit, arg. *l. 37. pr. ff. ad L. Aquil. e. g. si sit servus, & mandans Dominus, vel Miles & mandans Præfectus, nec id in minoribus modò delictis, verum planè etiam in delictis gravioribus l. 20. ff. de O. & A. l. 11. §. 7. ff. Quod vi aut aut clam.* Confer. quoque Dn. Frantzk. *ad ff. tit. Mandat. num. 19. à Matre Dei troct. 13. cap. 4. punct. 5. §. 2. & Molin. d. Disputat. 550. ubi num. 7. id quoque decidit: quomodo puniendus sit mandans infligi vulnus, cum planè intulerit mortem mandatarius. Caterum, 147* *alia de Mandato pete imprimis ex Azor. d. pag. 3. lib. 9. rubr. de Mandato Moiin. Disput. 548. & seqq.*

Expliciti ita sunt Contractus secundum id, quod constitueram. 148
 Licet enim omissa sint quamplurima, fieri id tamen aliter non potuit, nisi in immensum excrefcere Disputatio debeat; cui præcavendo

nunc etiam *Quasi Contractus* prætereo, imò concluderem omnia, nî frequentes deprehenderem Moralium Dd. circa illos acqvirendi modos, quos *Contractus* ipsi vocant, eo tamen nomine in jure non veniunt, unde *Spurii* dici possent, & sunt *Ludus, Sponsio, ac Olla fortunæ*; de quibus ergò adhuc brevibus subjiciam. Ludum verò, quem
 149 tam graviter jus Civile coercuit, vid. l. 1. ff. t. t. C. de Aleator. & in Clericis Jus Canon. c. *Episcopus. dist. 15.* notandum est, non quidem esse ipso jure illicitum, quod latè probant Covarruv. in c. *peccatum. tom. 1. part. 2. §. 4. n. 1. seqq. de R. l. in 6. Molin. Disp. 510. n. 3. Bonacin. tom. 1. tr. de Restitut. D. 2. §. 3. punct. 1. prop. 2. & punct. 3. Joh. Thier. tr. de Lus. alea. à Matre Dei tr. 14. c. 4. punct. 3. n. 51. & seqq. Azor. p. 3. l. 5. c. 24. qu. 3. D. Danhawer. Colleg. Decal. ad Præc. 7. Disp. 18. qu. 13. pag. 191. Dn. Pufend. de I. N. & G. l. 5. c. 9. §. 5. Dn. Struv. Ex. 15. th. 56. Cum enim in potestate cujusque sit, rem suam donare alteri absolute, cur non etiam, transferre in alterum sub aliquâ conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industriâ pendeat? prout argumentatur, eodem inclinans Lessius l. 2. c. 26. dub. 1. n. 3 ob suum tamen abusum & rationes Civiles potuisse iuhiberi, & limitibus justè circumscribi dubium non est. Vide de causis Juris Romani eleganter differentem Imperatorem in l. *Alearum usus 3. C. de Aleat.* de causis juris Hebræorum Selden de I. N. & G. juxt. discipl. Hebr. l. 6. c. 11. & de potestate inde ortâ ad prohibendum Joh. de Dicastill. de I.
 150 & I. l. 2. tr. 18. Disp. 2. Quoad F. C. ergò observandum (Loquor autem hîc non de lusu qui vocatur Virtutis, de quo planè nullum est dubium, sed de ludo Fortunæ) si quis lusui se commiserit non animo lucrifaciendi aut decipiendi alium, sed vel fallendi temporis gratiâ vel explorandæ fortunæ ergò, vel aliâ quâcunque de causâ; (licet hic ex accidenti quoque lucrum inde percipiat) non tamen peccare per solum hoc factum; cum ludendi actus in se & sui naturâ sit indifferens, & vitium saltem ex animo ludentis nanciscatur, non ex natura sui habeat. Rationes hujus cumulare non vacat, sed occurrent evolvantibus, quos laudavi, Dd. Licet illud saltem monitu necesse sit, cum illis quas recensui circumstantiis concurrere debere liberam bonorum dispositionem: Add. in genere de
 151 Circumstantiis lusûs, Less. d. c. 26. dub. 2. per 101. Quod si verò quis planè lusui se immergat, die nocteque ludendo, cui tantum id curæ est,*

ut.

ut alios per fraudē alliciat, emungat &c. sic ut in lacrymas lusus abeat, quemadmodum loquitur Imp. d. l. 3. hunc dubium non est peccare gravissimè, non modò quòd vitii istis venire contra Legē non erubescat, sed etiam propter otium, fraudes & reliqua, in se turpia. D. Danhavver. d. D. 18. qv. 13. p. 892. n. 3. Add. & Disp. 3. §. 77. p. 269. 270. Imò licet forte fortuna quis inciderit in lufum, non animo vitioso, sed e.g. explorandæ fortunæ ergo, hanc verò expertus adversam, nunc cogere eandem & urgere velit, hinc dilabatur ad majorem pecuniæ summam, & alia à lege Civ. prohibita, dicendum est hunc cum antea illicitè non faceret, nunc tamen protinus peccare incipere, hincqve, ut ipse lusus non sustinetur in Conscientia, sic nec in hujus foro illius aliquem effectum esse; Lesf. dub. 4. Ex quo id simul patet, non solum 152 non jure Civ. sed nec in Consc. vel ad exigendum vel ad solvendum id, quod lufum venit, ullam esse obligationem. Quod tamen quomodo hodiè observetur, usus docet. Vide omninò de hoc & aliis etiam ad lufum pertinentibus B. Dn. Brunnem. ad ff. de Aleat. ad lib. 1. ac inprimis ad C. de Aleat. l. 3. ubi multa egregia habet ad F. C. pertinentia & Excell. Dn. Præsidem in Disp. de Saccular. c. 3. n. 3. & seqq. ubi prolixè & accuratè lusus materiam pertractat.

Sponsiones non sustinendas quidam ex eo voluerunt, quòd aptis- 153
sima hæc ad fraudes, Circumventiones, imò ad egestatem via sit. Nam lucri cupidissima hominum natura sollicitius etiam indagaret in res novas, illas exponeret sponsonibus, aliosq; lucri æqvè cupidos facilius induceret ad ineundum id, unde sine labore proficisci ad se commodum posse possit sperare. Verum hæc nihil ad Conscientiam, quippe in quâ non æstimanda vitia hominum rei accidentia, sed res ipsa, quæ si sui natura non sit vitiosa, sustinetur in Conscientia. Vid. Dn. Danhawer. d. Coll. Decal. D. 19. §. 3. supra c. 4. n. 42. Ita ergò 154 Sponsiones, quoniam in se nihil sunt aliud, quàm mutua de re, cujus dubius est eventus, stipulationes conditionales, quas inire quis vi Domini, in rebus suis naturaliter potest, Dn. Pufend. El. Ipr. l. 1. def. §. 20. nihil in Consc. vitii habent, si honestis modò de rebus fiant, de quo l. 17. §. ult. in ff. de P. V. & sine dolo, de quo Lesf. d. l. 2. c. 26. cujus tamen limitationes compendiosè pete ex Rosmer. de F. & F. c. 49. §. 1. pag. 390. & seqq. Vid. quoqve Santern. de Sponson. Strach. de Sponson. Molin. Disp. 508. à Matre Dei d. c. 4. punct. 3. n. 64. Sot. l. 6. qv. 7. art. 1. §. ad hæc. Dian. Ref. tom. 6. tr. 4. per tot.

Azorium & alios, ad quos me remitto. Prohiberi tamen ex civilibus rationibus in Rep. posse, immodicas imprimis, dubium non est, de quo *B. Dn. Mev. ad jus Lubec. l. 3. tit. 9. art. 3. n. 41.* quod si factum sit, quin illud obliget in conscientia, ambigi tunc non potest. Add. *B. Dn. Brunnem. ad l. 3. in fin. ff. de Aleator.* ibique citatum *Christin. dec. 201. & seqq.*

156 Denique *Ollam fortunæ* in C. F. quoque probare vix dubito: Licet enim in eam invehi videatur admodum *D. Danhavver. d. Colleg. Decal. Disp. 3. §. 80. in fin. n. 281.* pace tamen magni Theologi dictum sit, non in hæred huic rei tot vitiorum, quod ipse fingit; & nititur dubia hypothefi ejus opinio, *quasi non simus Domini rerum nostrarum dispensandarum absoluti.* Fateor, *divinam voluntatem exigere de nostro superfluo elemosynam*, sed per hoc non excluditur effectus dominii, qui in eo consistit, ut liceat errogare pecuniam, quâ ratione quisque voluerit, dumque saltem *de nostro superfluo* exigitur elemosyna, non requiritur, impendi in hanc superfluum *totum*, sed super-
 157 est adhuc in quo liberum exerceatur arbitrium. Ergò nec dicendum absolutè in F. C. improbandum hoc fortunæ experimentum, quippe quod ex mutuo est consensu, in quo nec quæri de læsione alteruter potest, cum sibi imputandum habeat, quicquid perdiderit. Add.
 158 arg. *ex l. 8. 9. §. 1. de Contr. empt. l. 12. & 13. de Act. empt.* Annon tamen in Rep. melius sit, hoc ludi genus prohiberi, ista alia quæstio est, quam rectè affirmari, non nego, cum Honorat. *Leotard. de Usur. Contr. qv. 28. n. 53.* *Phil. Bugnyon. Lex. abror. l. 1. & Fr. Cypriac. Nigr. controrv. 422. n. 2.* citatis à *Dn. Struv. d. Ex. 15. th. 58.* Add. quoque de requisitis justitiæ circa ollam fortunæ *Molin. Disp. 509.* *Dn. Pufend. de l. N. & Gent. d. l. 5. c. 9. §. 7.* Sed manum de Tabula.

CAPUT VI.

De

Foro Conscientiæ quatenus versatur
 circa modos acquir. derivativ. inter vivos
 involuntarios.

CONSPECTUS.

Transitus n. 1. Delictorum cur | F. C. etiam interna mentis ad I. L.
 in F. C. habenda ratio. n. 2. in | conformatio requiritur quod secus
 est

est in externo n. 4. 5. *Distinctio*
Dd. Moral. inter motus. n. 6. *Eti-*
am motus primo primi ad peccata
pertinent. n. 7. *Cogitationum*
delicta, eorumque gradus, remis-
siõe. n. 8. *Inter delicta prima*
sunt privata, unde Furtum. n. 9.
An hoc tempore extrema necessi-
tatis sit sine peccato? *Opinio Ant.*
Matthæi. n. 10. *Distinctio Ba-*
cleri. n. 11. *Opiniones Dd. Mo-*
ralium. n. 10. *Præsupponenda*
ad h. quæst. n. 13. *Decisio.* n. 14.
Rationes. n. 15. *Et ad Contraria*
responsio. n. 16. 17. *An locuples*
teneatur gratis pauperibus ero-
gare frumentum? remissiõe. n. 18.
Nil verò interest, cujusmodi res
ab egente fuerit ablata n. 19.
Quod limitatur. n. 20. *Inciden-*
ter: An auferenti resistens Do-
minus possit occidi? n. 21. *An*
facienda restitutio in hoc furto.
n. 22. Ubi opinio Grotii n. 23.
Contra quam Restitutio adstrui-
tur. n. 24. *Rationes* n. 25. *Au-*
thores n. 26. *Noviter quer.*
An fur sit, qui non lucrificandi
sed suum consequendi animo
rem subtrahit? n. 27. *Opinio*
Lesii. n. 27. *Rationes dubitan-*
di. n. 29. *Ad quas respondetur*
n. 30. Aliud dubium de eo, qui
in iudicio deficit in probatione.
n. 31. Quod rejicitur. n. 32. *Et*
33. Quer. an liceat furari, ut detur
elemosyna? n. 34. *Exemplum*

ejus, sed cum restrictione. n. 35.
Quod defenditur n. 36. 37. *De*
pæna furti, num justum sit suspen-
dium? n. 38. *Decisio* n. 39. *Au-*
thores. n. 40. *Lex Aquilia.* n. 41.
An in Consc. quis teneatur ex
culpa levisissima? n. 42. *Affirma-*
tur. n. 43. *Notatur Valerius.*
n. 44. 45. Damnum per Servos
vel animalia datum. n. 46. *An*
producat obligationem Domini
in Consc. n. 47. 48. *Etiã ante*
latam sententiam? n. 49. *Quod*
affirmatur. n. 50. 51. *Distin-*
gitur tamen. n. 52. *Damno alii in-*
lato ut mea servem, an debeatur
restitutio? quod neg. de Civ.
J. n. 53. *An etiam in F. C?* n. 54.
Injuria. n. 55. *An Christianus*
salvâ Consc. possit injuriarum
agere? *Varie distinguitur* n. 56.
57. 58. Objectio. n. 59. *Quid*
de eo, qui publicè per Sacerdotem
deprecatus est, cum lecto esset
affixus? remissiõe n. 60. *Injuria-*
rum Retorsio an ullo jure licita?
Civili? n. 61. *In Conscientia?*
n. 62. Removetur dubium
n. 63. Et adstruitur negativa
n. 64. Delictorum alterum ge-
nus sunt Publica, unde Crimen
læse Majestatis. Quæ, an in
eo justè occidantur filii? n. 65. *An*
justè bonis priventur? n. 66. *Re-*
spondetur ad negativam. n. 67.
Homicidium. n. 68. *An mode-*
tamen inculpara tetule tutam
faciat

faciat Consc. n. 69. Quod affirmatur. n. 70. 71. Respondetur porro ad opposita. n. 72. 73. Temperatur tamen distinctione. n. 74. licet nec ipsa sine moderamine accipienda sit. n. 75. An verò sit necessaria. s. quis teneatur ad eam in F. C? Aff. n. 76. 77. Nemo pacto obligare se potest, ne resistat vulnera insipienti. n. 78. Limitantur tamen dicta n. 79. 80. 81. in primis in personâ Principis invadentis quem injustè. n. 82. An occidere quem liceat ob conservationem rerum? Distingv. n. 83. quæ distinctio probatur n. 84. Grotii circa h. qv. mens exponitur. n. 85. Repetitur distinctio. n. 86. Rejiciuntur nonnullorum restrictiones. n. 87. 88. 89. An ob defensionem honoris liceat occidere. n. 90. Interest inter vitam & famam. n. 91. Remedia pro conservando honore. n. 92. Vitam & famam ambulare passu pari, quomodo sit intelligendum? n. 93. An ob conservandam pudicitiam justum sit occidere? n. 94. Aff. sub certis circumstantiis. n. 95. Hujus ratio n. 96. Authores. n. 97. An occidi aliquando justè possit innocens? n. 98. 99. Exempla de infante concubando in fugâ. n. 100. De innocente hosti tradendo. n. 101. Ubi distinctione opus n. 102. Nec. si tradi se pati nolit, ab ipsâ Civitate facile occidendus ipse est. n. 103. Alia exempla de innocentibus in turri

cum hoste versantibus. n. 104. de infante hosti opposito. n. 105. De eo qui naufragium simul passus est. n. 106. circa quem limitatio. n. 107. De custode innocente incarcerati præter culpam. n. 108. ubi distingvitur n. 109. respondetur ad objectum n. 110. Se ipsum occidere nemo potest n. 111. explicatur l. 9. §. 7. ff. de pecul. n. 112. notantur Donatistæ. n. 113. Videndum tamen, an quis se occidere studeat directè vel indirectè. n. 114. Hinc de Navarcho pulverem interdum submittentibus navii. n. 115. De Succurrentibus Principi cum aperto vitæ dispendio, id. de precipitantibus se ex incendio in flumen. n. 116. circa quos etiâ adbibenda distinctio n. 117. Exemplum novis simû de Militibus Anglicanis. n. 118. Turcis v. se dedere præstat, quâ ipsum se occidere. n. 119. Quid in dd. casibus, si Superior mori potius, quàm se dedere jufferit? n. 120. 121. An non caelestium gaudiorum desiderio licita occisio? n. 122. Vel, ut quis se liberet à turpi factio? n. 123. 124. 125. Adulteriû. n. 126. An justè occidatur adultera n. 127. Juris Romani circa patrem adulteræ requisita. n. 128. ejusdem circa maritum. n. 129. Non v. hæc in F. C. procedunt. n. 130. licet tamen non sint propterea injustæ dicende LL. Romanae. n. 131. Adulterium etiam committitur cogitatione? n. 132. Hinc committi cum propria uxore potest. n. 133. Imò etiam

cum

sum femina soluta n. 134. An liceat committere adulterium servanda vita ergo in necessitate extrema? n. 165. Argumentum à furto ad adulterium non procedit. n. 136. An mitigatio saltem poena in d. casu locum habeat? n. 137. Transigere de adulterio num liceat? n. 138. In F. C. n. 139. Et an accepta pecunia? n. 140. Concubinitus n. 141. Stuprum n. 142. An stuprata sit dotanda in F. C. n. 143. Si v. stuprum remisit virgo an tutus sit in Consc. sup. rator. n. 144. ubi requiritur, ut remisso facta sit post stuprum. n. 145. 146. Crimen Ambitus. n. 147 An ambire munia oblati pecunia liceat. n. 148. Quod interdum turpe adeo non est. n. 149. 150. Melius tamen publicis LL. prohibitum. n. 151. Crimen repetundarum. n. 152 An justa lex sit. un. C. de Suffrag. n. 153. Mutata non est per Nov. 8 c. 7. n. 154 Potest Minister Principis salva Consc. bo-

norarium accipere à Supplicantibus n. 155. Jac. Gotthofredi hanc in rem iudicium. n. 156. Sequitur Accusatio & poena. An quis teneatur seipsu deferre iudici? n. 157. Et quid se iudex ex iustis suspicionibus contra quem formarverit inquisitionem? n. 158. An quis teneatur alterum accusare? n. 159. 160. ac si hoc velit, an teneatur prius monere accusandum? n. 161. 162. Ad panam an quis teneatur antequam sit condemnatus? n. 163. Quod non videtur n. 164. Post Sententiam v. teneatur omnino. n. 165. An idem in poena conventionali. n. 166. Usucapio quomodo sit modus acquirendi involuntarius n. 167. an licita sit in F. C. n. 168. seqq. Aneam superveniens m. f. vitiet. n. 172. Aliud, n. 173. an dubitans de iure sua possessionis in m. f. constitutus sit? n. 174. 177. Conlusio n. 176.

TAndem ad Modos acquirendi Derivativos inter vivos *Involuntarios* pervenio; quos dixi oriri vel ex *negligentia* vel ex *delicto* Ex illo ergo *usucapio*, ex his *delictorum* materia se prabet examinanda. Licebit autem hinc *ὁσέγοι πᾶσι τῶν ἄλλων* agere, cum Delictorum quidem prolixior, Usucapionis, contractior videatur materia, quam commodè capit conclusioni adhibebo.

Et quidem non ultimam Conscientiæ in delictis habendam rationem, vel ex eo patet, quod uti ex corde hominis omne malorum genus propullulare quasi Sacra pagina testatur, sic, in publicum expedire summoperè, dubium non sit, sæpius ad C. F. revocasse delinquentes, qui inde quid scædum inceptu, scædum exitu sit, quod vitent, quidque perpeffu post modum durum non magis sit quam æquum, commonefiant

moneant. Ubi tamen prolixum differendi campum, qualis se pandit, non sequar: cum opponant se mihi & temporis & Disputationis termini. Sed per compendium saltem, quicquid prolixius exhiberi poterat, proponam: brevitatis mihi veniam facile pollicitus: Id nimirum annotans (quod quidem præcipuum hic se sistit observatu) desiderari in F. C. non *externum* modò erga LL. obsequium, sed *internam* quoque mentis conformationem. Nam, Forum quidem Exterius ad interiora animi extremum Jurisdictionis (seu executionem *l. un. §. 1. ff. si quis jus die. non obtemp.*) non extendit, nec de cogitationibus sibi sumit judicandi licentiam, *l. Cogitationum 18. ff. de pæn. cum animi hæc peccata Civilem societatem non lædant*, unde sunt extra civilem jurisdictionem *Magnif. Dn. Zigler. ad Grot. l. 2. c. 29. §. 39.* Imò ita comparata sunt, ut judicis sensum non incurrant, sed occulta maneant; de occultis verò quemadmodum nec Ecclesia judicare valet, sita multo minus judex Secularis. Ast, Consc. Forum. utiq; & delinquenti attendenda inculcat: cum & Cogitationes invicem se accusent *Rom. 2. v. 15.* & ob Consilium sceleratum animo conceptum homo quodammodo sua mente puniatur. *l. l. fin. C. ad L. Jul. Majest.* Unde de perverfis quoque animi motibus Deo nos reddituros rationes, edocemur. Familiare quidem est Moralium Dd. distingvere inter motus *primo primos secundo primos, primo secundos, & secundo secundos*, inter quos *primo primos* à peccati reatu absolvunt Giballin, in *Scient. Canon. & Hieropolit. T. 3. lib. 8. cap. 2. pr. 1. E. 5. n. 3. Azor. Instit. Mor. tom. 1. lib. 4. cap. 5. qu. 2.* Quæ sententia solenni decreto *Concilii Tridentini* adeò confirmata est, ut *anathematis fulmen contrarium sentientibus injecerit.* Sed illud tamen, tanquam brutum, non terruit Theologos nostros, quin nihilominus contrarium adsererent, & motus quoque *primo primos* peccatorum classem transferrrent. *Vid. Martin. Chemnit. in Exam. Concl. Trident. P. 1. Sess. 5. Rubr. de Reliquiis Peccati Origin.* Joh. Contr. Danhaver. *Colleg. Decal. ad Præc. 9. §. 5. p. 950.* ad quos Lectorem remitto, ne Theologorum controversias meas faciam. Quemadmodum nec circa illud operosus ero, quâ ratione *Cogitationibus* solis delinqvatur, & quinam delictorum *internorum* gradus sint, cum id præoccupaverit eleganter *Excellentiss. Dn. Præses Tr. de J. Sens. Dissert. 10. c. 6. num. 2. seqq.*

Ad

Ad facta illa, quæ delicti præ se ferant speciem, in foro tamen exteriori ab animadversione plerumque existunt immunita, progredior, applicaturus eadem ad Conscientiæ Forum.

Furtum, tanquam inter privata delicta primum, primo loco huc⁹ se sistit. Ubi mox dubitatur, an tempore necessitatis id ita licitum fieri possit, ut conscientiam non lædat? Sane furtum admittere jure naturali prohibitum esse monet Imp. §. 1. *Inst. de Oblig. quæ ex del. secutus Paulum* Jctum in l. 1. §. fin. ff. de furt. & naturâ turpe dicitur.¹⁰ l. 42. ff. de V. S. de quo vid. Grot. d. J. B. & P. l. 1. c. 1. §. 10. unde Ant. Matthæi tr. c. de crimin. ad lib. 47. ff. tit. 1. cap. 1. num. 7. nec necessitatis tempore furtum licitum fieri posse asserit, & distinguit inter *crimen* & *pœnam*, ita ut Crimen etiam urgente penuria committatur, pœna vero ob necessitatis vim aut remittatur, aut certè mitigetur. Eandem sententiam probat *Magnif. Dn. Tabor. Racem. Crimin. 3. §. 30. Dn. Zigler. ad Jus Canon. l. 4. tit. 6. §. 2. verb. longe mitiori* D. Osiand, ad Grot. l. 2. cap. 2. Obs. 6. *Dn. Bœcler. ad Grot. l. 2. c. 2. p. 66.* qui distinguit inter quid licere facere, *justitiâ internâ*, & *impune* licere facere, & ita excusat furtum tempore extremæ necessitatis, non fieri dicens, *quatenus furti in plena, perfectaque vitiositate invidiam ad mitiora vocabula transferri ratum est.* Sed, à furto, necessitate adactum ut alienis rebus ad moveret manus, absolvent penitus Covarruv. c. *peccatum pag. 2. §. 1. Lessius. lib. 2. c. 10. dub. 12. Soto, de Jusl. l. 5. qu. 3. art. 4.* In gravissima enim necessitate reviviscit Jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, quia in omnibus LL. humanis, ac proinde etiam in L. Dominii summa illa necessitas videtur excepta Grot. d. J. B. & P. lib. 1. cap. 4. num. 7. & lib. 2. cap. 3. num. 6. Mihi¹³ anteqvam, ex adductis sententiis eligam alterutram, quædam pro statu controversiæ curatius formando, præsupponere necessum videtur: nim. (1.) Nullum aliud vitæ subsidium superesse, ut nec mendicando succurrere stomacho latranti liceat, sed mortis præsens adsit periculum, Coler. l. 2. de alim. cap. 7. num. 46. Bocer. de furt. c. 2. Quamdiu enim ullum aliud remedium superest, necessitas extrema non est; unde nec actus licitus reddi posset, (2.) Dominum re, quæ auferitur, sine incommodo evidenti carere posse. Si enim pari fere necessitate prematur Dominus, citra juris læsionem, quod reliquum huic fecit inopia, auferre non liceret. arg. l. *Præses 6. C. de Servit. & Aqu. Zæf. Comm. ad ff. tit. de furt. n. 26.* (3) Fame extrema laborantem prius Domini auxili-

- 14 **lium** precibus debitis implorasse, se hoc ipsi negatum esse Grot. *d. lib. 2. cap. 2. §. 7.* His ita præsuppositis, ex dictamine rectæ rationis subjungo : Unumquemvis hominem alterum in periculo mortis constitutum de jure naturæ liberare teneri, si sine suo periculo facere possit : quo pertinet insignis Ambrosii locus relatus in *c. scut. Dist. 47. Non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis & abundes. Indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines &c.* Si ergo id facere hic nolit, quæro, numne de Jure adigi possit, ut obligatione illa se liberet ? Si hoc, (quod etiam concedit D. Osiand. *d. Obs.*), sed ego jure forsan experiri non possim, fortè, quod ibi degam, ubi judicis copiam habere nequeo, vel quod fames moræ patiens non sit : nonne etiam propria autoritate, quod mihi ex naturali obligatione debebatur, vindicari sit permissum ? Hoc sane asserendum puto, neque ista ratione rem auferentem alterius minus securum in Conscientia dicere ausim. Quid enim quæso habere proderit jus urgendi, postulandi, petendi, tempore necessitatis, si executio desit, nec eam imminente ob moram vitæ periculo ipse possim perficere ? Neque hic naturæ violantur præcepta, quæ observantur potius. Vita quippe suam dictante recta ratione servare, quis obstrictus est : media ergo ad conservandum necessaria si injustè deneget alter, non modo nil vetat, sed necessum planè est, autoritate, privata etiam, arripere; ne si destituentibus egentem omnibus, ipse quoque sese videatur destituisse, idque majori etiam opprobrio, quo magis quis sibi ipsi quam maxime est obstrictus. *Conf. Dn. Pufendorf. de F. N. & G. lib. 2. c. 6. §. 5. & 6. Wilhelm Grotius de*
- 16 **Princip. Jur. nat. c. 13. n. 10.** Et sic evanescent, quæ hic opponi solent dubia. Nam necessitatem ex moraliter illicito licitum non facere, concedo, si *absolutè* capias: quod si *circumstantias* præsuppositas simul respicias, nego. Numne enim in Consc. aliquando ob circumstantias facti excusatur filius patrem occidendo ? *l. 25. ff. de Religios. & tamen, si occidisse absolutè consideraveris, moraliter illicitum erit.* Minus urget, quod maxime urgent contrarium sentientes, hominem homini famæ laboranti ex naturali vel Christiana saltem *Charitate* suppetias ferre teneri : *Jure* verò proditam non esse actionem, quâ id petatur; (qua ratione etiam hic *Imperfectam* saltem obligationem admittit ipse Dn Pufend. *d. §. 5. circ. med.* Non enim mihi quæstio est, quid in *F. exteriori* possit obünari, sed quid in *F. Interiori* præstandum nobis

nobis sit : neque de eo mihi qværitur, ad quid homini homo teneatur ordinariè, sed quid in casu necessitatis extremæ factu sit justum. Sane recta ratio mox condemnat alterum, ut id faciat : quod si facere nolit, per quem fiat, parum interest inconscientia, præsertim ubi ordinaria petendi via est præclusa. Adde, quod ex hac obligatione naturali, tempore necessitatis plenissime se exerente, ortam putem Dd. sententiam, quod locuples teneatur gratis pauperibus erogare frumentum, & quod pauperibus hoc nomine implorare officium judicis liceat. Ant. Perez, in *Cod. de Cond. in publ. borr. n. 14. Dian. Ref. Moral. tom. 4. tr. 7. Ref. 3. in fin.*

Cæterum nec referre puto, res ablata sit commestibilis, vel alia, ex qua vendita victum parare possis. Licet enim prius requisivisse videatur Carolus V. *Const. Crim. Art. 166. ibi* : *Don Essenden Dingen zu stehlen* : quod probat Dn. Tabor. *Racemat. ad d. art. num. 3. Coler. De Aliment. l. 2. c. 7. n. 33.* cum tamen necessitati hic succurrendum, ubi, quo primo occurrit capitur : cum quoque res ablata in F. C. delictum vix possit mutare, sed attendatur animus ; non video, cur discedendum sit à priori sententia, probata etiam à Carpz. *prax. Crim. Qu. 83. n. 47.* Temperandam tamen eam existimo (1) Si edulia æque commode auferri potuerint, forte in eodem conclavi deprehensa, maluerit tamen auferens surripere pecuniam. (2.) Si plus fuerit sublatum, ac extremæ necessitati sublevandæ sufficiebat : Inde enim pravus apparet animus. Ex quo etiam talem furem puniendum existimavit Imperator *d. art. 166. ibi* *Wenn der Diebstahl tapffer groß ist.* Dn. Tabor *d. l. n. 4.* Cum autem hac occasione incidat dubium, quid faciendum sit, si per furtum succurrere stomacho extremæ patienti non liceat, forte, quod Dominus auferenti resistat ? ad hoc simul tenendum, concedere tali casu Lessium *d. l. 2. c. 12. dub. 12. num. 69.* ut etiam plane liceat occidere Dominum resistentem, modò moderamen inculpatæ tutelæ observatum fuerit : sed id contra conscientiam esse, imo contra Jus fasque mihi videtur. Nam quod necessitas in alterius bona Jus concedit, non idem in corpus ipsius ac vitam indulget. Nec locus hîc est inculpatæ tutelæ, quippe cum egenti panem denegans non hunc occidere intendat, sed saltem, ne pereat, non cupiat impedire. Eum vero qui periculum vitæ à me cum posset, avertere non vult, occidere licere, nondum ratione sufficienti, conscientiæ meæ pervsafum est.

- 22 De restitutione vero circa hunc casum disputatur, an ad eam teneatur in F. C. si ad meliorem fortunam redierit, qui ex inopia furto
- 23 se immiscuerat? Quæ disputatio prout quisque sibi supponit principia, in diversum abit Si Grotii sententiam præsupponamus, quod tempore necessitatis res omnes quasi ad sua redigantur principia, & communes fiant iterum, suo jure illas auferre egenus videtur: & sic nec ad restitutionem est obligatus, prout advertit Dn. Pufend. *d. l. §. 6.* (nisi fortè dixeris, non jus hîc adfuisse plenum, sed restrictum,
- 24 Wissenb. *ad ff. Vol. 2. Disp. 29. tb. 12. in fin. Grot. d. l. §. 9.*) Enimverò, cum alterum ex obligatione quadam, in casu necessitatis se exerente inprimis, obstructum fuisse ego dixerim, ad id, ut suppetias necessitati ferret, uique etiam obligatum rursus hunc esse ad restituendum ablatum, quandocunqve commode licuerit, adserere nullus
- 25 dubito. Etenim obligatio, quæ quis alteri obstructus est necessitatis tempore, non id vult, ut donanda sit res, per quam succurritur necessitati, sed abunde fuerit, si mutuo si data, cum hoc pacto, ut restituatur ubi cessaverit indigentia. Dian. *Resol. Mor. tom. 4. tr. 7. Res. 4. num. 2.* Nec alter aliâ conditione accepisse rem credendus est, qui novit, in necessitatibus neminem credi liberalem, nec regulariter præsumi donationem de jure *leg. cum de indebito. 25. ff. de probat.* sed semper credendi animum intelligi, quem etiam acceptasset sine dubio egenus, si ea ratione consuli sibi potuisset scivisset, ut adeoque etiam quasi ex tacito pactus obligatus videatur ad restitutionem. Atq; in hanc sententiam subscribunt, licet diversis rationibus Grot. *lib. 2. c. 2. num. 9.* B. Dn. Brunnem. *tr. de f. Ecclesiast. lib. 3. cap. 16. num. 38.* Dn. Pufend. *d. l. Clarus §. furtum. num. 5.* Zœf. *ad ff. de furt. num. 26.* Lessius. *lib. 2. c. 16. dub. 1. n. 8.* Fagundez. *ad Decal. præc. 7. c. 26. n. 5. seqq.* Bellarm. *Tom. 3. lib. 3. de bon. operib. n. 5.* Valer. *Diff. utr. for. verb. Restitutio. Diff. 5.*
- 27 Apparet autem Furti injustitia potissimum quoque ex lucrificandi animo: inde nunc, an furti reus sit, qui citra hunc animum, saltem ut jus suum ab altero consequatur, rem subtrahit, disquisitione non indignum videretur. Et Lessius *d. lib. 2. cap. 12. dub. 10. num. 58.*
- 28 certa hic supponit requisita, quibus adhibitis liceat rem suam, aut sibi debitam injustè penes alterum existentem, recuperare. (1.) ut sit moraliter certum, rem tuam esse, vel tibi deberi, nec ex gratitudine aliqua sed ex *justitia*; in dubio namque possidentis melior est ratio.

ratio. (2.) ut recuperare modo alio haud possis, vel non sine molestia insigni aut gravibus expensis (3.) ut non furrapias res forsan alias, e.g. depositas apud debitorem, aut ei commodatas, sed vel tuam vel tui debitoris. (4.) ut scandali periculum vel infamiae planè exulet & semotum sit. Eandem sententiam sequuntur Fagundez *ad d. præc. 7. cap. 1. num. 3.* Molin. *tr. 2. Disp. 691. num. 1.* Sed dubia hæc exinde redditur, quod de Jure Civ. non liceat propria auctoritate rem auferre ab alio, suam licet, ut ex *l. Extat. 13. ff. quod met. caus. leg. si quis in tantam 7. C. unde vi. t. C. ne quis in sua caus. jud.* satis notum est: quod cum per modum Præcepti à Principe Civibus injunctum sit, sine dubio quoque in Consc. reum efficiet eum, qui contra venire non dubitaverit, rem suam vel aliam pro sua clam surrepturus: Nihilominus, si quæ dixi requisita inspiciantur curatius, non est cur non illæsa conscientia adhærere priori sententiæ liceat. Fingendus enim iste casus est, ubi adire judicem non liceat, seu ubi penitus cessent judicia. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 2.* quod tempore belli fit sæpius: seu talisetiam casus, ubi in judicio vel extra judicium petiturus majus malum metuat eventurum ex isto strepitu, ac valor rei unquam possit æstimari. B. Dn. Brunnem. *de J. Eccles. d. lib. 2. cap. 16. §. 36.* Fagundez. *d. l. cap. 1. num. 3.* His E. casibus quin tacite liceat dicto modo rem auferendo sibi satisfacere, dubium vix videtur. Illud vero dubium merito audit, quod vult Fagundez. *d. l.* etiam in casu, si in judicio probari non possit debitum, licitum esse, rem clam auferre quoque Grot. *d. n. 2.* ubi scribit: *in hac circumstantia* (si ob defectum probationis per judicem juris explementum obtineri non possit) *judiciorum Legem cessare.* Cum enim Lex Civ. si adsit judiciorum copia, in his prosequendi res suas necessitatem, inhibita propriæ auctoritatis efficacia Civibus injungat, vix apparet, quomodo in casum deficientis probationis ab hoc nexu liberetur Civis; inprimis, cum etiam, quamvis inutilem dixeris actionem, ubi probatio nulla adest, attamen propterea non Jus deficiat. *l. duo sunt Titii 32. ff. de test. tut.* Sane enim subsidiarii ad sunt probationum modi, inter quos eminent juramenti delatio, per quam transiri in veritatem facile poterit: Ac licet dubium dici queat, annon pejeraturus sit adversarius, ubi Actor rei. Adversarius animæ periculum incurrat: attamen qui dubitat, conscientiam non consulit, ac malè negligit publicis LL. proditum remedium, qui clandestinâ po-

gius & prohibita vindicatione experiri mavult. Ne dicam, grave etiam in surripientem periculum posse incidere (si namque deprehensus probare debitum non valeret, furti poenam incurreret) ac pessimam præterea consequentiam derivari in alios, qui omnia furta velarent, rem suam clam recipiendi animo. *Vid. Dn. Ziegler. Dn. Bœcler. & D. Ofiand. ad Grot. d. c. 7.*

- 34 Caterum, (ut adhuc aliud tangam) bovem furari & carnem pauperibus distribuere, nemo forsan est, qui pietati adscribat. *c. sic non sunt 10. c. 32. qv. 4.* Impia potius censentur Eleemosynæ ex rebus quæsitis injustè. *Vid. B. Dn. Mevins ad J. Lub. p. 1. tit. 10. art. 4. num. 14. Wilb. Anton. de Freund. de Rescript. Morat. Concl. 48. n. 60.* Annon tamen aliquando liceat, & salvâ Consc. clam auferri quid possit, ut Eleemosynæ sufficiant Pauperibus, videri potest.
- 35 Ita vero est: Cujus exemplum in uxore proponunt Moralium Dd. quæ marito nupta avaro, nec ut ipse in pauperes impendat quicquam, impetrare, nec ut faciat ipsa severe prohibente marito, facere potest. Illa ergo uxor salva conscientia dicitur subtrahere posse, quod erogat ipsa in pauperes. Non tamen sine explicatione id accipi velim: nam requisita adsunt observanda: (1.) Si maritum blandis verbis interpellaverit, ut sit pietatis memor, ac ad Eleemosynas sibi necessaria suppeditet: ad quæ tamen ille nihil subministrarit. Et (2.) nec modum in Eleemosynis uxor excedat; nam & hic non ad prodigalitem, sed quantum moderate satis sit, accipiat.
- 36 Hæc ubi observata, quamvis deinde invito marito res ipsius contrectaverit uxor, cessat tamen lucrificandi in ipsa animus, nec invitus censi debet maritus, qui lege Christianitatis Eleemosynas dare tenebatur; ut taceam nec Civilem obligationem omnino deesse: Nam alere maritus uxorem de jure tenetur, idque ita, ut non sustentationem modo habeat, sed etiam, ut tanquam socia pro qualitate mariti & quantitate patrimonii digne possit vivere. Alimentorum ergo nomine etiam Eleemosynæ venient, quippe quibus nec Christianè nec honeste uxor se subtrahere potest.
- 37 Unde etiam prohibenti hic marito non tenebitur uxor in conscientia parere, præsertim si ad communionem illam bonorū, quæ inter conjuges quoad usum intercedit, simul respiciamus. *B. Dn. Brunnem de J. Eccles. lib. 2. cap. 16. §. 39. Dian. Res. Mor. d. tr. 7. Res. 34. & seq. Vide quoque Soto lib. 4. Qv. 5. art. 5. Fagundez. ad 7. præc.*

Decah

Decal. cap. 8. num. 4. Lessius de lib. 2. cap. 26. dub. 5. num. 57. ubi plura invenies, ad quæ me brevitate studio remitto.

An pœna furti, quæ solet frequentari hodie, suspendium 38 scil. possit irrogari salva Consc. à Principe, de eo quoque multis modis disceptant Dd. Alii eam ut injustam, omnino abolendam putant. Ant. Matthæi *de Crimin. lib. 47. tit. 1. cap. 2. num. 6.* Wilsenb. *ad ff. vol. 2. Diss. 29. uum. 18.* Ames. *de Cas. Consc. lib. 5. cap. 2.* Alii satis defendunt probabiliter. Cæterum circa hoc Principis 39 arbitrium, in exasperanda pœna delicti, Lege divina morali expressim prohibiti, ego quidem non dubito posse extendi eo etiam usque, ut ad mortem planè procurrat: adeoque etiam in hoc delicto (in quo non tam ad ablatam pecuniam respiciendum, quam ad transgressionem divini humanique juris) potuisse pœnam extendi ad mortem, quæ sive gladio sive laqueo inferatur. perinde est. Hæc autem 40 cum trita controversia sit, & ab aliis sufficientissimè discussa, ulteriori ejusdem tractationi non inhærebo, sed remitto memet ad D. Osian. *in not. ad Grot. lib. 2. cap. 1. §. 14.* Chemnit. *pag. 2. Loc. Theol. præc. 7.* Dn. Tabor. *Racem. Crimin. pag. 474.* Carpz. *pr. Crim. pag. 2. Q. 77.* Lanf. *de L. Reg. §. 88.* Dn. Bernh. Schultz. *ſCr. Rintel. Dissert. ad 7. præc. tb. 29.* Id v. iis quæ dixi superstruo, dictando patibulum Jctum non magis conscientiam lædere, quam comitando ad patibulum furem Ministrum Ecclesiæ. *vid. Dn. Bechman. ad tit. ff. d. furt.* Conf. huc etiam D. Osian. *ad Grot. de lib. 2. cap. 19. tb. 4. Obs. 3. & Cass. Eras. Brochmand. System. Theol. tom. artic. de Morte Cas. Consc. 11. p. m. 1572.* ubi affirm. deciditur, corpora facinorosorum in patibulo relinqui bona conscientia posse

De *L. Aquilia* jam videndum, seu de damno injuria dato. Et 41 notum est de Jure Civ. cujusvis damni restitutionem peti ab altero, etiam si hoc levissima culpâ fuerit datum. *lib. 44. ff. ad L. Aquil.* An autem in C. F. idem justum sit, de eo dubitari potest. Causam præbet illa Dd. Moralium distinctio, qua culpam aliam esse dicunt *Juridicam*, aliam *Theologicam*, Andr. à Matre Dei *Curs. Theol. mor. tr. 13. cap. 1. punct. 2. §. 1. num. 9.* quorum illa potest adesse, etiam cum hæc cesset. E. G. Commodatum si accipiat is, qui sui natura est obliviosus, & id oblitus relinqvat eo in loco, qui furibus est expositus, hunc

- hunc admisisse dicunt Juridicam culpam, cessante tamen Theologica, quippe quæ ex animo æstimari solet. Ita Molin. de *J. Disp.* 293.
- 43 *num. 7. in fin.* Enimverò utut admittam istam distinctionem, recte tamen subjicit Molina, teneri nihilominus obliviosum ejusmodi hominem tam in exteriori foro, quam in F. C. ad præstationem seu restitutionem damni, quod fuit inlatum. Etenim cum commodatum accipiendo obligarit se ad illam diligentiam, quam & LL. Civiles hic exigunt, & amicitia jura requirunt, ut scil. pro gratuito rei usu exactissimam præstet custodiam, vix erit credibile, tantum in eo præstare oblivionem, ut alterum pro beneficio accepto in damno
- 44 morari patiatur. Neque ergò admittendum puto, quod statuit Valer. *Diff. utr. for. tit. Damnum diff. 1. num. 1. & 2.* ubi dicit: *L. Aequiliam in restitutione damnorum non habere locum in F. Anime, nisi in damnis illatis ex dolo vel lata culpa:* quod *num. 1.* tali exemplo declarat: *si quis ignem ad comburendas paleas immiserit, & ob debitam diligentiam non adhibitam ignis domum vicinam invaserit, (de quo vid. lib. 30. §. 3. ff. ad L. Aqvil.) in tali casu in Conscientia aliquem ad restituendum non obligari &c.*
- 45 Nam male præsupponere videtur tale damnum esse casuale, cum tamen de jure, quando culpa casum præcedit, casus ille non fit, sed factum culposum maneat. Unde salva hic Conscientia esse non potest, si ex aliquo meo facto, unde damnum posse oriri debuisses cogitare, damnum alter fenserit, quod ego nolim refarcire. Quin potius cum justa hoc casu sit Lex Civilis, obligatio inde in Consc. sua sponte fluit, not. Covarruv. de *matrim. pag. 2. cap. 6. §. 8. num. 16.* ex quo & levisimam culpam ad necessitatem reparationis sufficere statuit Dn. Pufendorf. de *J. N. & G. lib. 3. cap. 1 §. 6.*
- 46 De damnis per servos vel animalia datis præditæ sunt jure Civ. noxales actiones, quibus vel damnum restituendum, vel id quod nocuit, dedendum est noxæ *t. t. ff. si quadrup. paup. sec. & t. t. de Noxal. ad.* Ubi cum quaeritur, an in Consc. ob tale delictum teneatur quis ad restitutionem? præsupponendum est, non nullam hic in Domino culpam adeste, qui vel servum non severè admonuerit, vel bestiam non diligenter custodierit. Culpa enim ubi adest,
- 47 *citra dubium & in F. C. ad restitutionem est obligatio.* Ac de *Servo* quidem nullus dubito, quin ob ejus factum in Consc. quo-

quocumque teneatur Dominus indistincte, vel damnum datum refarcire, vel noxam eum dare. Nam cum commodum ex persona servi habeat, æquum est, vitia ejus etiam eum sequi, qui commodum habet ex virtutibus: neque adeo aliter in Consc. haberi potest utilitas, nisi pensato contingente inde alteri damno. Accedit, quod ipse servus naturaliter teneatur refarcire datum à se damnum. Cum ergo istam obligationem ademerit à servo Jus Civile, quippe quem totum esse alterius voluit, illamque ideo imposuerit Domino, utilitatem ex servo alias percipienti; æquum omnino est & in Consc. quoque necessarium, vel obligationem istam ab ipso solvi Domino, vel servum ab hoc in naturalem statum restitui, ubi damno restituendo ipse sufficiat. Vid. Molin. *Disp. 713. num. 2. in med.* In Bestia idem quoque verum esse puto. Sic tamen ut adhibeatur hic distinctio quoad culpam Domini, ut hæc, saltem juridica, adsit, vel præsumta ad minimum; idque quoniam reparatio damni longe est favorabilior quam lucri ulterioris acquisitio, de quo Dominus animalis certat. *Add. Dn. Pufend. d. c. 1. § 6. circ. med.* Neque verò etiam hic puto esse præcise necessarium, ut prius in judicio ob damnum condemnatus fuerit Dominus, antequam in Consc. obligetur: quod quidem in his casibus adferunt Moralium Dd. quorum hæc regula: *Quando nulla Domini culpa Theologica intervenit, ad nullam hic tenetur restitutionem in C. F. sive intervenierit juridica culpa sive non: nisi intentata sit adversus eum in F. exteriori actio.* Molin. *d. Disp. 713. n. 2.* cui hanc tamen limitationem addunt, *si Dominus inde locupletior factus sit ulla ratione.* e. g. si meum animal depaverit fegetem alienam: ubi tantum citra sententiam quoque judicis restituere teneatur in Consc. quantum inde mihi lucri accessit, quod ipse animali pabulum non debuerim præbere: Si enim de illius, qui degit in Rep. informandam conscientiam quaestio sit, (extra quam considerasse hominem vix foret aliquomodo utile) utique dicendum est, ob observantiam LL. debitam eum teneri protinus ad satisfaciendum ei, in quod se condemnandum novit, si vocetur in judicium: (modo damnum alteri datum ipse sciverit, nec ei absint contra restitutionem rationes legitimæ.) Judicialis enim conventio non aliquod novum in conscientiam vinculum infert, cum Lex obligans jam ante litem motam adfuerit; Sed explicat illud saltem litigantibus: quam explicationem anteverterè sponte satisfaciendo, probi est & Conscientiam attendentis Civis. Unde quoque di-

xero ferme nocivam esse Conscientiis opinionem, interpellanti de damno ab animali dato respondendum esse: *Convenias me prius in iudicio: ubi experti fuerimus, solvam.* Nam hic etiam novo rursum, & quidem graviori damno adficitur adversarius, qui litis incommodis hoc pacto subijcitur, quum tamen certus sit, à quo restitutio

52 petitur condemnandum se esse petenti. Cæterum, hæc tamen omnia de restitutione saltem damni velim intellecta, cum aliud sit quoad poenam, ad quam non similis est in Conscientia nexus. Si quoque nulla plane, nec juridica nec theologica culpa concurrat, tunc, licet damnum secutum fuerit, non tamen nec in Consc. teneri aliquem ad restituendum omnino etiam assero, e. g. si canem habeam catenis adstrictum in illa ædium parte, per quam nemini ordinariè patet aditus, & hic damnum dederit ei, cui nihil negotii eo in loco erat. Nam ubi nulla culpa, ibi nec poena. Add. Molin. *Disp. 712. n. 10.*

53 Circa damnum is quoque casus occurrit in jure civili, ut, si res meas à periculo liberare possim, licet e. g. tempore incendiï vicinas ædes destruxero, si defendendarum mearum ædium causa id fecero, nulla in foro exteriori contra me detur Actio. *l. 3 §. 7. ff. de Incendiis.* Justo enim metu feci, ne ignis ad meas ædes perveniat: Unde L. Aquiliæ locus non est, si ve ignis ad meas ædes pervenerit, si venon. *l. 49. §. ult. ff. ad L. Aquil.* Et licet contradicere huic videatur *l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam.* ubi tunc saltem absolvitur privatus destruens, si ignis pervenisset eousque, nulla tamen verè pugna hic est. Etenim in *l. 49. §. fin.* attendenda est phrasis: *justo metu.* quæ id vult, ut, si tunc vicinas ædes quis destruxerit, ubi probabiliter & nisi singulariter avertisset DEUS, ignis pervenire huc potuisset, eo casu alteri ad restitutionem hic non teneatur Vid. *Zœf. ad ff. de L. Aquil. n. 16.* Fari-

54 nac. *Oper. Crim. q. 110. num. 114.* Sed an in F. C. securus sit non restituendo damnum ita datum, quæritur? Et hic interesse puto, an ædes vicinæ nihilominus periissent, an non fuissent peritura: Posteriori casu restitutio fieri sine dubio debet: Damnum enim provenit ex solo meo facto; Priori autem casu ad plenam restitutionem non quidem est obligatio, cum damnum non oriatur ex facto proprie meo, sed idem quoque passurus fuisset vicinus, me abstinente manus; iniquum tamen fuerit, cum per destructionem alienarum ædium meas servaverim, non attenda proportione damni & lucri inde ad me profecti, nihil me velle restituere. Vid. *Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 2. cap. 6.*

§. 8. Valer. de differ. utr. For. Tit. Damnum. Differ. 5. num. 4. Conf. Molin. Disp. 697. num. 4.

Sequuntur *Injuriæ*. Hæc verò circa F. C. præjudicialis quæstio sese offert: num salvâ conscientia injuriarum Christianus agere possit? Atq; circa hoc distingvendæ videntur injuriæ. Aut enim per illas damnum Reale illatum est, aut existimatio saltem verbis læsa injuriosis. Prius si factum fuerit, non videtur peccare in conscientia, qui injuriarum agit, & damni petit restitutionem. Neq; enim usque eò stringit quem conscientia, ut alienæ malitiæ adeò submittere se teneatur, ut quod inde damnum ipsi adest, id prosequi Juris remedio non liceat. Posterius verò si factum saltem sit, videtur iterum res indigere distinctione, ut scilicet adhibeatur discrimen, inter personam affectam injuriâ & inter injuriam ipsam. Si persona in publico officio, Civili vel Ecclesiastico, constituta sit, hæc quidem justè omnino vindicat injurias, tum ne in alios inde derivetur scandalum, tum ne sinistram de se suspicionem tacendo ipse sibi accersat; Nam quamvis hoc generosi videatur animi, spernere injurias, vix tamen id tutò licet, ubi occurrunt, propter quæ ipse quis & sibi & Publicæ Rei noceat. Si verò persona planè fuerit privata, hæc si ipsi scelus etiam imputetur, judicio convenire injuriantem quidem posset, maxime si se purgare à crimine vellet, & providere sibi, ne maledicendo in posterum alter pergat. Si tamen nullum imputatum crimen fuerit, sed saltem traductus sit Satyricè, tum quidem melius consulere suæ conscientiæ videretur, si omiſsa actione mallet veniam dare; quàm deductum in judicium Adversarium, à quo nec quoad bona, nec quoad famam damni quid reverâ passus est, litigandi molestiâ imò ignominia onerare; nisi tamen causam hac saltem egerit intentione, ut corrigatur injuria, & apud malos quoq; consulatur ipsius innocentia. Pertinet huc, quod optimè Bachov. ad §. fin. num. 2. Instit. de Act. statuit, *Vix ullam satis justam causam esse Christiano agendi injuriarum, nisi ubi hoc fieri publicè quodammodo interest: vel in exemplum, ut alii ab ejusmodi petulantia absterreantur, vel ob personam ejus, qui injuriâ affectus, veluti si publicum officium administrer, quem ab injuriis immunem & integræ famæ haberi publicè interest, ne contemptui exponatur & administrando muneri suo minus reddatur idoneus, vel ex consuetudine indignus officiis publicis habeatur* Quicquid verò tandem sit, certè saltem criminaliter injuriarum tutò agi posse, si

damnum non sit illatum, mihi pervasum est. Num verò *civiliter* agi salvâ conscientia liceat, de eo dubito. Certum enim est, actionem injuriarum dari saltem ad vindictam *l. 15. §. 46. ff. de Injur. l. 2. §. 4. ff. de Collat. bon.* Certum etiam est per verba injuriosa famam auferri non posse. *l. un. C. de fam. libell.* Itaque nihil abest reuera. Ergo quo jure in conscientia securus foret, qui verba injuriosa mille thaleris & amplius aestimaverit? Et, quod magis est, juramentum addiderit, se libentius mille thaleros amittere velle, quàm has perferre injurias? Exulare hic mihi videtur conscientia, ubi pronus ille ad remittendum affectus, quem toties inculcat Salvator, Vid. *Matth. 18. v. 15. 22. & 35.* deficit (Damno enim merito, quod Christiani nominis heic immemor inculcat Fagundez. *ad Decalog. Tom. 2. l. 8. c. 17. num. 26.* quod satisfactionem pro injuriis, non teneatur injuriam passus remittere, etiam si hic lachrymis veniam petat, quod non dicam Christiano, sed omnino etiam homine indignum est.) Neque his obstat, quod lege tamen permittatur injuriarum agere. Tutus verò fit, qui lege permittente quid facit. Etenim licet permittat lex ut agas, non tamen imperat. Non ergo ex lege permissiva normam accipiet conscientia, sed indulget naturali hominum ad vindictam cupiditati legis permissio, quam temperare virtutis est, & magis etiam hominis Christiani, Adde *supr. c. 2. n. 2. 3.* Ex iisdem vero principiis decisio pendet illius etiam casus, ubi quis in agone constitutus per sacerdotem deprecatus est solenniter omnibus, remitti sibi rogans, si quid peccatorum in eos admiserit, simulque contestatus ex animo se perinde quocumque condonasse admissa in se omnia; qui si reconvaluerit, antequam possit instituere injuriarum actionem, prolixius inveniet qui desideraverit, apud *Excell. Dn. Praesidem Tr. de jure Sens. Disp. 9. c. 4. num. 10. seqq.*

61. Recepit autem tanquam legitimum vindicandi remedium Judiciorum praxis *Retorsionem*, de qua ergo quatenus conscientia id conveniens, videndum hic est. Equidem illud tam ex divino quam Civ. & Canon jure defendere satagit *Barbosa lib. 16. tit. 54. axiom. 1.* Sed mihi nec juri, multo minus conscientia videtur conforme. Quantum enim ad prius attinet, licet permissum in foro soli affirmant *Gail. 2. Obs. 100. Mynsing. l. 5. obs. 7.* Quæ tamen eam in rem ab ipsis allegantur leges *l. 25. ff. de Procur. & lib. 14. §. 6. de bon. Libert.* nihil hæ videntur probare. Aliud enim est, in judicio purgare se, vel crimen aliud opponere reconveniundo; aliud privata auctoritate cri-

men

men retorquere in alterum. De illo loquuntur LL. Dd. De hoc nihil continent. *Vid. B. Dn. Brunnem. ad d. lib. 25. ff. de Procur.* Quod verò ad alterum, licet in terminis de Retorsione, extrajudiciali 62 loquerentur dicti Textus, nil tamen inde præsidii conscientia foret. *Ferendus est pudorem suum purgans* dicitur in *d. l. 25. Ignoscendum ei qui se voluit ulcisci provocatus* in *d. l. 14.* Ergò toleratur Retorsio, & retorquenti ignoscitur, actus ipse non laudatur, multò minus imperatur. Nec quod vulgatum est, vitam ac famam pari passu ambulare, id huc quicquam facit. Vitæ enim periculum inferentem 63 occidere propterea licet, quia irreparabile damnum mihi imminet, nec facultas adeundi judicem indulta. Si famæ vis illata, nec irreparabile damnum, imò planè nullum subest; & si subesset, remedium non deficeret, quo impetrari per judicem satisfactio posset: Ut ergò necessitas quæ retorquentem excuset, nulla sit. In contrarium 64 potius est Salvatoris præceptum *Matth. v. 39.* de cujus interpretatione vid. *D. Osiandr. ad Grot. l. 1. cap. 2. §. 8. Obs. 2. Dn. Ziegl. ad Grot. d. l.* Et civilis ratio judiciorumque vigor eodem tendit, cum singulis concedendum non sit, quod per Magistratum fieri publicè potest *lib. 176. ff. de R. J.* Addo, quod nec verecundia nec dignitati conveniat, sine judice facere, quæ reoscere per Judicem decet *l. 7. ff. ad. L. Jul. de vi publ.* Videri pluribus poterunt *Rennemann: integro Tr. de Retorsione Wissenbach. ad ff. vol. 1. Disp. 3. th. 4. seqq. Finckelthaus. Obs. 27. Bachov. ad Treut. vol. 2. Disp. 30. th. ult.* Eleganter etiam & concisè pro hac sententia *Dn. Stypman. de Referend. c. 1. n. 35. & seqq.*

Ad delicta publica jam transeundum est, ex quibus primum Crimen 65 *Læsa Majestatis.* Circa hoc verò unum saltem proponam, num Princeps possit salvâ conscientia occidere filios subditi *Rebellis?* ubi dubium quidem non est de iis, qui paterni consilii ipsi fuere participes, cum hi non tam puniantur ratione delicti à parente patrati, quam sui ipsius. Sed si quidem de paterno consilio nihil participaverint, tunc durum videtur eidem pœna ipsos subicere innoxios, cui parentem nocentem. Etenim ubi nec dolus adest, nec culpa, in conscientia pœna 66 locus non fit. Hinc nec ipsos Imperatores, quando in *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.* rescribunt, liberos perduellium paterno debuisse perire supplicio, sed vitam Imperatoria lenitate ipsis concedi: credendum est ad jus respicere, sed ad factum; scilicet tanta severitate hæcenus, hoc crimen vindicatum fuisse, ut nec liberis data fuerit venia, sed ut pater-

- paternum supplicium ipsis quoque fuerit exitio, nisi Imperatoria lenitas succurrisset. Quales exaggrationes in LL. pœnalibus non sunt infolita.
- 67 *JConf. ex Ct. Rivin. Hefek. cap. 18.* Illud verò diversum est ab hoc supplicio, & bona & famam auferre, ac Republ. exesse jubere liberos ejusmodi, quod quidem contra conscientiam Principis esse non puto. Sicuti enim summa Principi incumbit cura, ut quicquid Reipubl. imminere ulla ratione queat, id supprimat in herba, ac ubivis quietem promoveat; ita stimulum illum Rebellionum liberis connatum, quo in vindictam necis paternæ trahantur, retundere potest, sublatis illis mediis, quæ huic fini inserviebant, bonis scilicet, famâ, ac
- 68 facultate morandi in Republica. Quod benè vocat Dn. Ziegler. *ad Grot. l. 2. cap. 21. §. 13.* efficere, ne noceant. Ut taceam omnia hæc tanquam civilia in potestate Principis esse, & legibus in filios à patre derivari; unde si pater delictum meruerit, ut fama pariter ac bonis privetur, impedimentum non erit Principi, ne tollatur penitus, & ut
- 69 in liberos nil quicquam transeat, pœnali sancito efficiat. Neque obstat, quod tamen nil peccarint liberi; nam neque peccavit spurius, cui tamen nec ad bona Parentis, nec ejus famam, nec ad honores ordinariæ aditus patet. Unde apparet posse LL. Civilibus circa civilia illa liberis non concedenda justè disponi, & hinc nullum in conscientia, scrupulum esse, confer. Dn. Pufend. *Elem. Jurispr. l. 1. def. 21. §. 7.* Alii aliter hujus pœnæ justitiam defendunt, inter quos consule Bachov. *ad Treut. vol. 2. Disp. 32. tb. 1. lit. K. Mœstertium de Justit. LL. Roman. l. 2. Dubitat. 63.*
- 70 Alterum Crimen est Homicidium. Circa quod varia quidem, quæ conscientiam tangant, sese offerunt, sed ex quibus præcipua tetigisse mihi sufficiet. Extra omnem quidem controversiam est, in foro exteriori permissum esse, invadentem & adversus nostram vitam molientem ultima, occidere, adeo, ut si terminos defensionis non excesserim, ab omni pœnâ immunis habear, cum jure id fecerim, *l. ut*
- 71 *vim. 3. ff. de just. & jur.* An verò in C. F. pari modo extra reatum quis sit, videndum. Et generale Decalogi præceptum est de non occidendo: naturalis insuper ratio exigit, ut vitam alterius factam tectamque ubivis conservem; imò, quod maximum est, alterum æternâ salute privo, qui hujus vitæ salutem conservare intendo. Inter hæc verò nulla subesse videbatur proportio. Verùm nil hic, quod conscientiam lædat, subesse existimo, qui inculpata defensionis requisita præsuppo-

suppono. Fateor magnum conscientiae vinculum esse, quo homo ad vitam alterius in periculo liberandam tenetur: Tantum tamen non est, ut vitam meam alteri exponere debeam, quippe & in conscientia iustum est ordinariam charitatem incipere à se ipsa, arg. *l. Praeses 6. C. de Servit.* ut taceam in hac defensione cum internectione alterius injustam praesupponi invasionem. Quod si ergo in re illicita, imò in scelere versetur alter, non meretur hic à me humanitatis officia, ut potè quæ ipse mihi vitam meam petendo injustissimè denegat. Opime Dominicus à Soto *l. 5. quæst. 1. art. 8.* quænam inquit, in lege iustitia esset, quæ subditos cogeret, ut vitam quam mortales tantum æstimant, cujuscumque temeritati & audaciæ dono darent. Certè tunc succurrere teneor in conscientia illi, qui periculo vitæ laborat, si facile se ipsum expedire nequeat. Injustus verò invasor salutis suæ satis potest prospicere desistendo ab invasione; unde nullo jure obligabor, ei ut patiendo me occidi subveniam ipse, Joh. de Lugo *de Just. & Jur. Disp. 10. Sect. 6. num. 142.* Conf. Molin. *Tract. 3. Disp. 13.* Neque magis concludit, quod de animæ periculo, in quod occidendo injicitur invadens, dictum est. Nam nec illud meritum, per interitum nostri alterius promovendo salutem æternam, præceptum est divinâ lege: nec ipse invasus certus esse potest, an sua morte sit intenturus salutem alterius. Quam diu ergo de eo dubitat, non poterit vitam pro alio morti exponere, cum non tantum alter æterno periculo non eximatur certo, sed etiam ansam hic consequi possit, eodem modo in posterum invadendi alium. Debuiisset ergo abstinere semet invasor, & æternam salutem modis à DEO ordinatis quærere: *Potest enim me im-* 73
petens sine jactura vitæ meæ corporalis suam habere & tueri vitam spiritualem. Dum igitur ex mera nequitiâ vitæ meæ insidiatur, & ipse nequiter nolendo desistere in periculum animæ se conjicit, non teneor ego, nequitiâ illi vitam meam exponere, sed possum per moderamen inculpatae tutelæ aggressorem repellere; Verba sunt Nobilissimi Dn. Ziegleri *ad Grot. l. 1. cap. 3. §. 3. ad Verb. deinde morali iudicio.* Et ita in foro quoque Conscientiæ defensionem cum alterius internectione justam esse, communiter receptum. Dn. Lederer. *de Jur. Bell. priv. l. 2. c. 1. num. 2. seqq.* Dn. Pufendorff. *de J. N. & G. lib. 2. cap. 5. §. 1.* Lessius *de Justitia & Jur. l. 2. c. 9. dub. 3.* Steph. Fagundez. *ad Decal. lib. 5. c. 3. num. 1. seqq.* Temperat tamen hanc sententiam 74
B. Dn. Brunnem. *Comment. ad L. ut vim, 3. num. 10. ff. de J. & J. ut*
tunc

- tunc in conscientia securus sit se defendendo alterum occidens, si pravus & vindictæ cupidus non concurrat affectus. Sæpius enim id fieri solet, quod invasus, irâ concitatus præter defensionem, etiam vindictam intendere soleat, ob injuriam sibi illatam; hoc casu verò cupiditas illa vindictæ non extra peccatum est. Hinc familiare Moraliū Dd. hoc passu est distinguere; An invasus intendat mortem invadentis; An saltem sui defensionem; ut hoc casu in conscientia securus sit, etiam si alter occidatur, cum hoc præter intentionem fiat, & quod aliter defensionem obtinere non potuerit. Priori autem casu
- 75 peccatum subesse putant D. Thomas 22. Q. 64. Art. 7. Verum & hoc casu, si invasus videat aliud remedium effugiendi mortem non subesse, puto eum sine peccato posse mortem intendere, cor aut jugulum aggressoris petere, ac ita adhibito hoc medio proportionato ad sui defensionem alterum occidere, quod prolixè probat Molina d. Diss. 11. num. 4. Domin. à Soto de J. & J. lib. 5. Q. 1. Art. 8. Concl. 3. Dn. Lederer. d. cap. 1. §. 3.
- 76 An verò, uti licita, ita quoque necessaria sit hæc defensio? i. e. An quis in conscientia sua ita obligatus sit vitam suam defendere, ut si aliter nequeat, alterum occidere possit; An verò excusatus sit, si perire malit, quam alterum occidere? queritur. Ego breviter necessariam defensionis obligationem hic subesse dixerim. Nam vitæ meæ conservationem contra quamvis injustam vim præcipit natura, dicitur, recta ratio, jubet sociale vinculum, quo homines sui proximique conservationem intendere necessum habent. Ut enim homini in se ipsum nullam vitæ jus concessum, uti inferius monebo, ita nec indultum ipsi erit, ut patiatur ab alio vitam sibi injustè auferri, cum se ipsum occidisse videatur. Farinac. Quest. 125. numer. 23. Berlich. P. 4. Concl. 12. numer. 15. Hillig. in Donall. lib. 1. cap. 2. Lit. D. Francisc. Zoanett. defens. tripartit. p. 1. num. 7. seqq. qua ratione commotus
- 78 Marius Salomon, in Repetit. l. 3. ff. de J. & J. n. 15. hac de re ita sentit: Eum qui se occidi patitur, cum posset defendendo facere, ne occidatur, reum gehennæ esse, non minus, quam si semet occideret; quod ulterius persequitur Dn. Lederer. d. lib. 2. c. 2. §. 7. Unde nec ex pacto tali obligabitur, quo in se receperat, se vulnera vel mortem inferenti resistere nolle, de quo vid. Pufendorff. in Element. Jurispr.
- 79 lib. 1. Def. 12. §. 33. Hoc tamen ita intelligendum, ut tunc in Conscientia peccet defensionem sui negligens, si affectione suæ mortis id faci-

faciat, non si abhorrens à fundendo sanguine medium hoc expedien-
 pæ salutis omittat. B. Dn. Brunneman. *in Lib. 2. num. 11. ff. de F. & F.*
 Pari modo id restringendum puto, si aggressor sit talis persona, ex cu- 80
 jus interitu evidentissimum damnum sensura esset Respubl. cui ego
 vitâ meâ parum prodesse possim; tali casu enim obrationem publi-
 ci boni, mortem potius pati deberem, quàm cum tanta Reipubl. ja-
 ctura ipsum occidere. Molina *de F. & F. Tr. 3. D. 14. num. 1. Verb. Se-*
condo Conclusio. Fagundez. *ad Decalog. lib. 5. cap. 3. num. 8.* Lesius
de F. & F. Tom. 1. lib. 2. dub. 8. num. 41. Azor. *Instit. Moral.*
Tom. 3. lib. 1. cap. 2. Quod intelligo, si notoria sint personæ invaden- 81
 in universam Rempubl. merita. In casu dubio enim propriæ salutis
 amor prævaleret. Unde apparet, non probandam esse illorum sen-
 tentiam, qui etiam contra Principem cum intereccionem ejus, admit-
 tunt defensionem, quod facit Bach. *ad Treut. vol. 2. D. 32. tb. 6.*
lit. f. Dn. Struv. *de vind. priv. cap. 4. Apbor. 4. num. 1.* & quos ci-
 tat Diana *Resolut Moral. Tom. 8. Tract. 5. Resol. 17. num. 2.* Non 82
 enim Princeps saltem est, sed præcipuum Reipubl. membrum, ubi con-
 scientiæ consulitur melius, si potentiæ hujus cedam, quam in tan-
 tum periculum Rempubl. conjiciam. Vid. Dom. à Soto *de F. & F.*
lib. 5. Cap. 1. Art. 8. Ut taceam Principis potestatem à Deo esse, sub-
 dito autem præter obsequii gloriam vix quippiam superesse, ut hinc
 æquò animo ferendum, quicquid à Principe mali inferitur, & divinæ di-
 spositioni negotium commitendum. Conf. Grot. *de F. B. & P. lib. 2. c. 1.*
NUM. 9.

Hactenus de vitæ defensione dictum; an pari jure pro defensio- 83
 ne rerum nostrarum invadentem seu spoliantem occidere liceat,
 majori dubio obnoxium est. Omnino hic interesse puto, an re-
 bus nostris tantum immineat periculum; an verò præter pericu-
 lum rerum, etiam vitæ periculum concurret. Posteriori casu nemo
 ferè est qui negari aufit, impunè invadentem latronem occidi posse,
 cum non sola rerum sed præcipua vitæ hic sit habenda ratio. Bachov.
ad Treut. Vol. 2. D. 32. tb. 6. lit. ff. Dn. Tabor. *Armament. Just. cap. 5.*
num. 17. in fin. Et huc respexisse Jura nostra videntur, quando su- 84
 rem indistinctè occidendi potestatem concedere noluerit, sed tunc
 demum, si cum telo ambularet *lib. 4. in fin. ff. ad leg. Aquil. adjecto*
 insuper clamore, cujus hæc haud obscura ratio fuit; quia clamore
 contestabatur quis vitæ periculum imminere, & simul admonesba-

tur fur, ut fugam arriperet, quod ipsum cum fur nihilominus negligat major in eo malitia, & certius in homine periculum videtur, ut hinc tandem, quo à periculo me liberarem, vel si parcere eidem sine periculo meo non potuerim, occidere eundem possim *lib. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Quod si verò me clamante fur se propriam fugamque arripiat, mox cessabit illud occidendi jus, cum vitæ periculum, tanquam principalis causa cesset Dn. Tabor. *racamet. 3. tb. 36.*

85 pag. 114. Hinc optimè hoc in puncto Grot. *lib. 2. de J. B. & P. cap. 1. §. 12.* rem exponit, quando dicit: Directò rerum causa interfici neminem debere; quod fieret exempli causæ causâ si fugientem telo prosternerem, ut illo interempto rem meam reciperem: Sed si ipse in periculum vitæ adducar, tunc mihi licere à me avertere periculum, etiam cum periculo vitæ alienæ: nec ob stare mihi, quod me in id discrimen adduxerim, dum rem meam cupio retinere, aut occupatam extorquere, aut furum capere; nam in his omnibus nihil mihi posse imputari, qui verferin actulicito, nec cuiquam injuriam

86 faciem, cum utar jure meo. Priori ergò casu, ubi rebus nostris tantum imminet periculum, illicitam puto invadentis occisionem, quicquid contra sentiant Molina *de J. & J. Tom. 4 Diss. 16. num. 1.* Layman. *Theol. Mor. lib. 3. Tr. 3. P. 3. cap. 3. num. 4.* Quamvis enim bonis quoque ad vitæ sustentationem indigeamus, non tamen amissionis bonorum ac vitæ æquale damnum est. Vita semel ablata nec liberalitate aliorum, nec gratiâ Principis, nec facto occisoris unquam restitui valet. Bona si ablata, omnibus illis modis recuperare eadem licebit. Unde nec illorum admittenda restrictio, qui tunc in vaforis occisionem justam pronunciant, si vel planè ignorem, quis spoliator ille sit, vel alias judicio experiundi facultas mihi difficillima sit existura; Adhuc enim proportio illa deficit inter vitam alterius & res nostras, cum vita animaque alterius quibusvis rebus nostris pretiosior sit *leg. 21. C. de SS. Eccles.* Hinc rerum licet pretiosissimarum nulla cum vita hominis etiam noxii insitui potest comparatio. Dn. Tabor. *Armament. cap. 3. num. 11.* Nec est, ut de furto excipias, ubi pro levi summa suspendium dicitur; Alia enim hic circumstantiæ concurrunt, quæ furti pœnam justam efficiunt, de quibus dictum superius. Insuper & multum inter est publica autoritate pœnam mortis infligere, & privato ausu res suas cum internectione alterius defendere. Unde proportio illa, quam Grotius hic

sup-

supposuit *lib. 2. cap. 1. §. 11.* quod scilicet quæ inter rem & vitam est in æqualitas, favore innocentis & raptoris odio compensetur, justam quidem ultimi supplicii pœnam reddit, quæ spoliatoribus dictari suevit; privati tamen Conscientiæ minimè satisfacit. Conf. prolixius hæc discutens Dn. Lederer. *de Jur. Bel. privat. lib. 2. cap. 7 §. 1. & seqq.* & contra Lessius, *lib. 2. c. 9. n. 66.* & contra Lessium bene disputans Dn. Zigler *ad Jus Canon. lib. 4. tit. 10. §. 3. verb. quod si non potuit.*

Idem de honoris defensione dicendum æstimo; scilicet omninò etiam injustum esse in F. C. ob honorem seu famam ab alio læsam aliquem occidere velle. Quod enim vulgò in hac materia supponitur; vitam ac famam pari passu ambulare, arg. *lib. 9. pr. ff. de manuum Vind. Clar. §. Homicidium num. 26.* cum metus infamiæ bonis vir major, quam mortis esse debeat *lib. 8. §. pen. ff. quod met. causam*: id omninò malè hic applicatur. Omnis enim comparatio quoties diversitatis ratio apparet manifestò, vim suam amittit, taliqve casu de comparatis disparatum ferendum est iudicium. Vitam defendo cum internecone alterius, quia damnum irreparabile mihi infertur, nec ob præsentissimum periculum adeundi iudicem licentia indulgetur. Fama verò planè periculo subjecta non est, cum in potestate privati non sit, famam lædere, multo minus verò eandem tollere, uti in specie de libello famoso rescripsit Imperator in *L. un. in fn. C. de Libell. fam.* Et si tandem hominum perversa opinione lædi videatur, non desunt Juris remedia, quibus honor ademptus restitui possit, ut inde permitendum non sit, ad arma devenire illos, quos Prætor sua Jurisdictione compescere potest. *lib. 13. §. 3. ff. de Usuf. Quod ergò vulgatum illud attinet; Vitam ac famam pari passu ambulare, hoc quoad necessitatem, non quoad modum defendendi verum esse puto. Sicuti vitæ, ita & famæ, necessaria defensio est; Esset enim id prodigalitas famæ, quæ non minus est peccatum, quàm prodigalitas bonorum externorum, divitiarum: Imò verò est majus peccatum, quo famæ bonum, divitiarum bonum excedit. Molina *de J. & J. Tom. 5. Disp. 37 num. 2.* Sed in modo tamen defensionis dispar ratio est. In vita defendenda necessitas ad extrema deducit hominem; non æqvè in fama; ut hinc nunquam securum dixerim, qui solius famæ gratia alterum occidit; quare omninò rejicienda est secus sentientium opinio, inter quos est Less. *de J. & J. l. 2. cap. 9. Mar. Salomon Reperit. l. 3. ff. de J. & J. n. 5. Dian. Resol. Moral. Tom. 8. Tract. 5. Resol. 2. n. 2.**

- 24 Restat ut de pudicitia periculo dicam, an hujus advertendi gratiâ alterum salvâ conscientiâ occidere liceat? Negandum quidem hoc primâ videtur fronte, cum & hîc injuriam stupro violento sibi illatam vindicandi alia supersint remedia; Insuper virginitas in animo magis, quàm corpore consistat, hinc nulla violentia auferri possit. Aug⁹⁵ gust. *de liber. Arbitr. l. 1. c. 5.* Verum si de tali casu formetur quæstio, ubi violentia eo usque processit, ut corpus jam prostratum & aliter turpe hoc factum evitare nequeat fœmina, quàm occidendo violentum stupratorem, securam eam in conscientia puto, si id fecerit: Non quidem exinde, quod jura nostra ejusmodi occisionem permittant, *lib. 1. §. pen. ff. ad. l. Corn. de Sicar.* nec quod virginitas violata restitui nequeat; Ex hac enim ratione, quam tamen communiter urgent, sequeretur viduam vel uxorem alienam non posse pariter à violento stupratore 96 se defendere. Sed ob hanc rationem, quam habet Ludovic. Molina *de F. & F. Tom. 4. D. 17. num. 20.* quod fœmina tali oppressione exponatur gravissimo periculo consentiendi in culpam aliquam seu in ipsum delictum, Non enim fieri potest, ut fœmina aliqua, quoties se imparem advertit, quæ repellere stupratorem possit, nisi ipsum, occidat, occidere tamen nolit, sed potius stuprum pati, invita amplius, nec in stuprum consensisse dici possit. Sanè supererat fœminæ adhuc dum electio inter duo extrema, scil. ut aut occideret aut stuprum pateretur; Atqui verò si occisionem negligat utique in stuprum consentit, & ita delicti rea fit. At nemo tenetur vitæ alterius in re illicita constituti 97 parcere, si ipse simul delictum incurrat. Conf. Seld. *de F. N. & G. secund. præcept. Ebræor. lib. 4. c. 3.* Grot. *de F. B. & P. l. 2. c. 1. n. 7.* Diana *d. Tr. 5. Resol. 20. n. 1.* Steph à S. Paul. *Theol. Moral. Tract. 4. Disp. 5. Dub. 3. n. 16. in fin.* Lessius. *de jur. Bell. privat. lib. 2. cap. 9. §. 2.* Balduin. *de Casib. Consc. lib. 4. cap. 1. cas. 15.*
- 98 Sufficiant hæc, quid in vitam alterius vim nobis rebusque nostris inferentis liceat; Jam an in conscientiâ aliquando innocentem occidere fas sit, paucis subjiciam. Antequam verò exemplis negotium declarem, decisionem præmittere lubet; Scil. nunquam licitum est, innocentem directò occidere, quo vitam meam à mortis periculo liberare possim. Quamvis enim vitam meam omnibus modis defendere teneam, adeò, ut si defensionem volens omittam, in conscientia peccem, uti dictum superius; Nunquam tamen eousque defensionis extendenda necessitas, ut manifesto scelere vitam salvare pos-

possis. Potius terribilia omnia & quam terribilium terribilissimam vocat Imp. Mors ipsa sustinenda, quam quicquam sceleris pro vitæ conservatione committendum. Et omninò Morale Edictum summi Numinis est, quod *Exod. 21.* habetur; Infentem & justum non occides, quia averfor impium; quod necessitatis telo quamvis duro labefactari nequit. In bona quidem alterius tempore summæ necessitatis nobis quid licere, adstructum superius; Sed non æquè in vitam, quam sibi saltem servat homo, alteri nunquam communicabilem, hinc multo minus alterius dispositioni ac arbitrio subjectam. Quod si verò innocentis mortem non directò intendam, sed ut hostem ac invaforem meum à quo mihi certissimum imminet periculum è medio tollam, quamvis per consequentiam etiam innocens lædatur, nil læsionis inde in conscientiam redundabit, præcipuè si aliud à periculo memet liberandi remedium superfit nullum. Verfor enim in re licita, vitam meam defendendo contra certissimum hostem; Nec mala intentione defensionem suscipio, sed ut hostem prosternam; quamvis ergò cum hoste aliis pereundem simul sit, hoc ex accidenti fit, ac præter meam intentionem, hinc extra peccatum sum. Exemplis res expeditior erit. Ex priori decisionis mem-¹⁰⁰bro liquet, si quis me gladio insequaret, cum aliter per viam angustam transire & ab invafore me liberare non possim, nisi conculcando infantem in via jacentem (quem casum proponit Del. Castill. *de J. & lib. 2. Tr. 1. Disp. 10. dub. 11.*) non posse me infantem conculcare, ut vitam meam à periculo liberem: non enim id admittere legem dilectionis præsertim Christianæ optimè monet Grot. *d. J. B. & J. P. l. 2. cap. 1. §. 4.* licet ex natura sola aliud dicendum æstimet; quod si de Jure naturæ intellectum velit Grot. omninò notam meretur à Dn. Zieglero *ad d. §. 4.* Lex enim justitiæ naturalis, innocentem lædi penitus vetans, huic deciso obstaret. Quod si verò ad mei defensionem non præcisè conculcare infantem, sed fortè eundem saltu transilire decreverim, fugiendo autem in loco quodam vicino offendam pedem, & ita inopinatò in infantem prouendo eundem occidam; nil inde ulationis in conscientia: Invadebar enim illicitè; fugam, naturalissimum se defendendi remedium arripiebam, infantem in via expositum transilire volebam, & potuissem quoque nisi pedem offendissem; Casu ergò magis quam culpà hic infans occisus dicendus est. Licebitnè ergò hominem notoriè innocentem, hosti id exigenti, & ¹⁰¹

civitati in casum, si eundem ad supplicium non tradiderit, extrema quævis minitanti, salvâ conscientia occidendum tradere? Ex principio ante supposito id negandum videbatur; uti enim in innocentem, ad vitæ meæ defensionem directio quid statuere, quod mortem inferat, haud licet; ita pariter pro Salute Reipubl. quæ unum corpus morale repræsentat, id non licebit. Verùm communiter in contrarium eunt sententiam Moralium Dd quando statuunt; posse dicto casu Rempubl. civem innocentem compellere, ut hostem accedat, & si ire nolit, posse illum hosti tradi; imò si ita resistat, posse ad instantiam hostis etiam occidi; obligatur enim innocens ex charitate & pietate in patriam, etiam morti se exponere, si calamitatem communem ita avertere possit. Grot. *de F. B. & P. lib. 2. cap. 25. § 3.* Lessius. *de F. & F. lib. 2. cap. 9. dub. 7. num. 39.* Dian. *Resol. Moral. Tom. 8. Tr. 5. Resol. 39. num. 3.* AZor. *Inst. Moral. Tom. 3. lib. 2. cap. 1. Q. 2.* Dom. à Soto *de F. & F. lib. 5. q. 6. Art. 7.* Quam sententiam tamen hoc cum temperamento admittendam puto; ut primò certum sit, maximum & præsentaneum periculum, illo homine non tradito, civitate imminere; Deinde ut periculum tantum sit, ut à Civitate nec vi, nec precibus, nec pretio averti possit; Tertio, ut auxilium à vicinis planè nullum superfit, quo à periculo se liberare possit civitas; Quarto, ut constet, specialis inimicitia causâ hujus personæ traditionem exigere hostem, non odio Reipubl. quo hæc ejus consilio in posterum careat; Et quinto, ut hostis eo tradito, certam interponat fidem, de solvenda obsidione & in eunda pace. Omnibus enim histentatis extrema necessitas & alius se defendendi remedii defectus Civitatem excusabit, si civem innocentem hosti tradat, modò quantum in ipsa est, pro vita ipsius omnibus modis intercedat, An ergò ipsa Civitas occidere resistentem & se tradi hosti nolentem potuerit? Volunt hoc Dd antea allegati quod tamen displicet Molin. *de F. & F. Tom. 4. Tr. 3. D. 10. num. 1.* Bonacin. *de Contr. D. 2. Q. ult. Sect. 1. pr. 7. num. 1.* Verum si juxta requisita jam posita justè eundem hosti tradi posse supponamus; injustè ab eodem resistitur, si injustè resistit, non amplius innocens est, sed nocens Dian. *de Resol. 39. in fin.* Tutius tamen ab interneccione ejus se abstinebit Civitas, si unquam aliter prehendi & hosti tradi possit. Hoc casu enim spes veniæ aliqua semper salva est, quæ eo occiso decollat; Et ubi de innocentia constat, non sumendum de eo supplicium. Et licet ipse forte resistat armis, ne tradatur, non mox iterum armis in ipsum

sa-

leviendum, cum amore sui ad se defendendum permoveatur.

Posterius membrum præmissæ decisionis his exemplis declarari poterit. Si cum hoste mihi negotium sit, qui ex turri se acriter defendat, in qua multos innocentes latitare certus sim, salvâ conscientia in turrim illam dirigere tormenta possum, si aliter hostem proflerere nequeam; non enim intendo ita innocentium, sed hostis ruinam, licet per consequentiam illis quoque pereundum sit. Lessius *de* 105
J. & J. d. Dub. 7. num. 37. Pari ratione, si quis me telo letifero petat, sclopeto forte, ubi fuga minus consultâ, ille verò ne me defendere contra ipsum pari armorum genere possim, infantem clypei loco mihi opponat vel a tergo infantis latitet, licebit mihi, sit aliud, effugiendi periculum desit remedium sclopeto hostem petere utut simul sit trahendum infans. Non enim hujus intendo mortem sed hostis, quod omni jure licitum. Nec infans à me occiditur, sed ab Adversario, qui infantem opponendo à justissima mea defensione se liberare conatur. Ulterius si plures naufragium passi, ego verò eorum arripuerim 106
 tabulam, quæ forte duobus liberandis sufficere poterat, possum alterum, qui perinde hanc tabulam apprehendit, repellere & solus tabulam retinere, quamvis alteri ita sit pereundum. Nam nec ita hujus necem intendo, sed vitæ meæ conservationem, & cum illo in tabulam simul admisso dubium sit, annon utriusque nostrum imminet periculum, illud quod pro conservanda vita mea securius æstimo remedium, arripere & alterum repellere possum; nisi penitus 107
 certum esset tabulam utriusque sufficere posse; tunc enim naturalis illa Regula, jure nostro approbata, locum mereretur: quod tibi non nocet, alteri verò prodest, ad id æquitatis ratione obligamur, licet jure deficiamus, juxta sententiam Pauli *J. C. in L. 2. §. 4. vers. quanquam ff. de aqu. & pluv. arcend.* Conf. Diana *d. Tra. 5. Resol. 37. in fin.*

Non alienum ab hoc loco erit, de incarcerato quaesivisse, an hic 108
 si injustissimè in carceratus sit, ad se liberandum occidere custodem innocentem possit? Et primum hic interesse puto; An incarcerato damnum reparabile imminet aut irreparabile: illo casu licitum non est internecione custodis se è carcere liberare Zor. *Comm. ff. de Custod. & exhib. reor. in fin.* Si verò damnum irraeparabile, e. g. si iuxta mortis sententiâ jam dictâ & dies supplicio destinata; tunc iterum

iterum attendendum, an provocatio ad superiorem salva sit in hoc: illo casu provocacionis remedio uti debet; hoc casu si nullum aliud effugiendi remedium superfit, custodem occidere licebit, quod in Custode, qui iniquitatis sententiæ conscius est, admittit Diana *loc. Resol. 45. num. 2.* Ego verò idem ad Custodem ignarum extendendum puto. Quod licet durum videatur, cum delictum iudicis, malè me condemnantis, custodem inscium non afficiat, qui carcera- tum diligenter custodiendo officio sibi commissio saltem fungi- tur. Attamen cum perinde sit, an Iudex injustus ipse me detineat, an per alium, licet ignarum, id faciat, non video, si iudicali casu re- sistere salva conscientia licet, quare non in ministro ipsius idem liceat. Sic hic forte immunis est a scelere; ~~scelerat~~ tamen iudicis iussa exequen- do, non à culpa immunis est. Mihi itaque, cui vitæ meæ conservatio- nem injungit natura, in hunc custodem quoque jus datum censetur, ut si causæ injustitiam antea ipsi querelando exposuerim, & aliter non possim, ipsum occidendo me liberem. Nec aliud exigit ordinatæ cha- ritalis regula, quæ eatenus parcere alteri jubet quatenus mihi non no- ceo. Si peccatum subesse dixeris, hoc non in me tanquam occidente, sed in ipso iudice, custodem in hoc periculum conjiciente erit. Conf. Dr. Lederer. *de Bell. privar. lib. 2. cap. 11. §. 4.* Harpr. *ad §. item Lex Corn. n. 20. de Publ. Judic.* Menoch. *Rem. 1. Recuper. poss. num. 311.* Petr. Theo- doric. *Colleg. Criminali. cap. 4. §. 11. num. 9.* Gutierrez. *lib. 2. Quest. Ca- non. 24. num. 34. & 38.*

III Hucusque quid in vitam alterius quandoque liceat homini, jam quid in suam possit salva conscientia, paucis videbo. Extra dubium autem apud saniores omnes in confesso esse existimo; Præceptum illud de non occidendo, non saltem proximi vitam præstare securam, sed & vitam cuivis suam propriæ dispositioni subtrahere. Quorsum & Rom. LL. latores respexere, qui licet liberum de omnibus rebus arbitri- um Domino cuivis privato reliquerint *l. 21. C. Mand.* ad vitam tamen idem extendere noluerunt, potius dominium in membra ac vitam penitus ademerunt *L. liber homo 13. pr. ff. ad L. Aquil. de quo ele- ganter more suo disserit Anzani Robert. Rerum Judicat. lib. 1. cap. 12.* Et quamvis naturalem in corpus faciendi licentiam indul- sisse videantur *in lib. 9. §. 7. ff. de Pecul.* non tamen ex hoc textu vel licentia legis permissionem infert, vel particula *naturali- ter*, jure naturæ hoc permissum esse involvit. Potius eo in *d. §. 7. col-*

collimat *ſervus*; *Servum licet penitus in Domini potestate fit, adeo, ut eo invito facere nihil possit; non tamen sic constrictum esse, ut non naturalibus viribus sive de facto in corpus suum favere ipsi liceat, vel possit: Hinc si ita damnum naturaliter sibi intulerint servi, & minoris pretii se effecerint, non posse Dominos in peculii computatione hujus damni rationem habere. Vid. Bach. de Action. Disp. 8. tb. 9. p. m. 110.* Hinc alibi malum ejusmodi *ſervum* aestimarunt jura, qui aliquid faceret, quo magis se rebus humanis extraheret *l. 23. §. 3. ff. de Aedil. Edict.* quod si itaque Domini vita ipsius potestati minime subjecta, evidens inde est, nec in foro exteriori nec interiori *αυτοχειρίαν* 113 seu Propricidium excusationem mereri. Absurdi inde fuere Donatistæ, quod genus Martyrii censuerint, se ipsum interficere, quos refert & refellit August. *Hæres. 69. & lib. 1. de Civ. DEL à cap. 17. usque ad 28.* Injustitiam hujus sceleris prolixè demonstrasse non vacat, in omnium libellis id factitatum esse cuius in comperto est. Cui lubet, præter Ethicorū scripta adire poterit *A mef. de Conscient. l. 6. c. 13. q. 6. Dom. à Soto de F. & F. l. 5. Q. 1. Artic. 5. Less. de F. & F. lib. 2. c. 9. Dub. 6. Molin. de F. & F. Tract. 3. D. 9. n. 1.* Id saltem monendum erit, multum hoc passu interesse, an quis directè sui internecionem intendat: An vero hæc præter intentionem & indirecto sequatur. Prius illud illicitum dico: Posterius aliquando & in conscientia meretur excusationem; ubi tamen iterum separandi casus; An certum sit, ex actu suscepto simul 114 agenti mortem imminere; An dubium. Sin hoc, licitè etiam in conscientia Foro agit, quoties vel officii necessitas, vel Salus publica id exigit. Ex hac ratione excusationem merentur Navarchæ, 115 quoties cum navem ab hoste occupatam vident, pulveri pyrio ex mandato Superioris ignem submitunt, quo ita prosternant hostem. Vid. Pufend. *Elem. Jurispr. lib. 2. def. 4. §. 10. Less. de F. & F. d. Dub. 6. n. 32.* Quamvis enim hic navarchæ regulariter cum hoste pereundum, ille tamen hostium ruinam saltem intendit, nec omne medium servandi vitam ipsi sublatum; constitutus enim in inferiori parte navis est: Pulvis pyrius verò partem saltem superiorem tollit, salvâ sæpius parte inferiori: Et quamvis navi integræ ita immineat periculum interitus, tamen in eo, quod ex navi superest, quadantenus vitæ spes superest, cum sæpius una tabula hic navis vicem sustineat: Cum ergo navarcha superioris mandato constrictus sit, ut in

- extrema necessitate constitutus id faciat, & hostem hoc pacto
 116 prosternat, non vulnerata inde videbitur conscientia. Pari modo
 miles, si Principem suum in medio hostium constitutum videat, suc-
 currere poterit, etiam si fortè probabiliter ipsi pereundum, Less.
d. Diss. 6. n. 30. Et excusabitur quoque ille, qui in altissimo loco constitutus
 insilium profilit, ut flagrantissimum ac horrendum illius loci incendi-
 um effugiat; non enim intendit hoc casu, ut se interficiat, sed fugit sal-
 tem præsentissimam mortem, tale medium eligendo, ex quo fortè vi-
 tam conservare possit, Dian. *Resol. Moral. Tom. 8. Tract. 5. Resol. 52. n. 1.*
 Quod ita admitto, si ulla spes aliter effugiendi flammam non super-
 sit, sed mors exinde certissima immineat. Sin verò certum, ex actu
 suscepto simul agenti imminere mortem, eum in conscientia non ex-
 117 culari posse puto. Inde omninò non admittenda est Diana sententia,
 quam habet *d. Resol. 52. n. 2.* Licitum esse militibus, qui se in hostium
 potestatem perventuros esse vident, se in mare projicere, ut hostium
 crudelitatem effugiant. Si enim ea intentione faciant, ut suffocentur,
 ab *Αυτοχρησίας* crimine non penitus sunt immunes. Sanè ab hoste
 ipso non mox imminebat mors, sed dimitti, vel alia ratione iterum
 liberari poterant; peccant ergò mortem certam sibi per aquam infe-
 rendo, saltem ut ab incommodo quòdam temporali se liberare possint.
 118 Hinc longè alia ratio est, si ab hoste quoque certissima mors immi-
 neat; Unde in conscientia excusatos puto milites illos An-
 glicanos, in bello navali nupero satis cruento. Ibi enim cum
 navis quædam Batavorum ad incendium adaptata, navi cuidam
 præcipuæ Anglicanæ juncta esset, ita ut jamjam incendenda
 esset Anglorum navis, milites numero haud pauci, ne pulvere
 pyrio volandi artem certissimo vitæ periculo edocerentur,
 in mare se præcipientes dedere, quorum multi quoque à pi-
 scatoribus liberati, & in vivis conservati. Hic enim apud hos-
 tem nulla spes veniæ, cum nec captivos eos desideraret, sed
 omnibus pari voto pereundum erat; Poterunt ergò hoc me-
 dium conservandæ vitæ licet difficile admodum ac minus fe-
 curum, eligere, ac mari se committere ob spem liberationis,
 quæ in conflictu navali non omninò impossibilis ob copiam pi-
 scatorum aliorumque hominum suis naviculis ob hanc causam
 119 præsentium. E contrario non probandum puto nautarum
 factum, qui cum Turris dimicantes, amplius autem resistere
 non

non valentes, ignem pulveri pyrio injiciunt, ut ita unâ cum navi in aerem projiciantur, ne ipsi vel naves in hostium potestatem veniant. Quamvis enim hosti prædam ita eripiant, & fortè hoc principaliter intendant; attamen ejusmodi medium eligunt, quo ipsis ceruissimè simul moriendum. Melius ergo consulunt suæ conscientiæ, si hosti se dedant, & eventum dispositioni Divinæ committant. Quid verò si ipsis hoc in mandatis dederit Superior; ut si resistere amplius nequeant, ignem pulveri nitrato injiciant? Fortè, ob præceptum Superioris excusati videntur, cum quo publica utilitas concurrat, ne navibus & mercibus captis potentior fiat hostis, cujus tamen potentiam quovis modo imminui publicè interest; Verùm cum mandatum tale Principis hoc saltem involvat, ut civis se occidat, non ut hosti directò noceat, sed lucrum saltem aliquale subtrahat; non puto terminos habiles hic subesse, qui justum tale mandatum efficiant, & hinc agentem in conscientia excusent. Hinc si certum esset, illâ navi ab hoste captâ præsentissimum Reipubl. imminere, damnum, aliud fortè dicendum, quod tamen in unâ navi vix fingi poterit.

Quid verò dicendum tandem de illo, qui cœlestium gaudiorum anticipandorum gratiâ sibi manus infert? Refert hujus rei exemplum Annæus Robert. *lib. 1. Rer. Judicat. l. 12.* in homine quodam, qui in cubiculo suo se suspenderit, cum prius in chartulâ hæc scripsisset verba: Dissolvor ut sim cum Christo, nec vana fides. Attamen nec hunc excusatum optimè censet Anton. Marth de *Crimin. lib. 48. ff. tit. 5. c. 1. n. 10.* sanè expectanda sunt æterna gaudia, non capienda. Et huc utique pertinet B. August. de *Civit. Dei lib. 1. c. 26.* assertum: Neminem sibi debere mortem inferre desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur; quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit. Pariter nec licitam puto *αυτοχειριαν*, ut à turpi factò memet liberare valeam. Exemplis quidem si ferenda decisio, contrarium foret dicendum. Sic apud Procop. *l. 2. de Bell. Persic.* mulieres duz Antiochenæ captâ urbe, ne quid à victoribus turpe paterentur, sese in flumen præcipitarunt. Pariter Euseb. *l. 8. Histor. Eccles. cap. 17.* de nobili & Christianâ muliere refert, eam, cum ad Maxentium Tyrannum se deduci videret, ut libidini ejus proflitaretur, se ipsam interemisse. Verùm cum invitus alioqui

non delinquat, sed se merè passivè habeat; deiicta verò ex animo agentis æstimentur; non peccati rea erit scemina stuprum passa, violenter, si quantum in ipsa est, resisterit violenti stupratori. In vitam ergo suam capropter nil juris habebit; & quamvis excusari mereatur, adeo illicitos concubitus averfando, Vid. Pufendorff. *Elem. Jurispr. lib. 2. def. 4. §. 10.* non tamen inde segura conscientia, si quasi furore correpta in se ipsam scelus committat. Itaque si nullis viribus resistere amplius valeat, DEO ultionem committat, non ipsa in sua viscera sæviat. Optimè quoad hanc
 125 quæstionem Anton. Matth. *d. l. cujus verba hic referri merentur: Quæ visupratur, mente virgo est. mens enim peccat non corpus: Et unde consilium abest, ibi crimen abest. Quid gravius pati potest, quæ alienæ libidini subternere pudorem suum constanter recusat, quam mortem?* Ea verò expectanda potius, quam occupanda: nam mori felle, ne moriari, furor est. Conf. Molin. *de J. & J. Tract. 3. Disp. 9. n. 3.*

126 Homicidii crimen insequitur Adulterium, cæteraque carnis delicta. Maximus dubiorum hic se offert cumulus, præsertim si theoreticas utinam non practicas Jesuitarum speculationes hic in medium producere luberet. Verùm hæc secreta tori sint, nec facilè revelanda, nec scrupulosè inquirenda: ipsis has subtilitates relinquimus Autoribus. Saltem illa, quæ injudiis fortè occurrere possunt, paucis delibabo. Ubi prima occurrit disquirendum, an potestas sæviendi, quam jura Civilia in adulterum patri, & certo casu marito concessere, in F.
 127 C. mereatur excusationem? Si Gentium mores hic in partes citavero, mox apparebit, non solis Romanorum LL. hanc licentiam indulgam esse, sed aliis gentibus idem probatum apparebit. Ipse Ulpianus in *L. 23. pr. ff. ad L. Cornel. de Adulter.* ad LL. Solonis & Draconis provocat. Conf. Cælius Rhodigin. *Leç. Antiqu. lib. 20. c. 25. ante fin.* Covarruv. *de Matrim. P. 2. c. 7. §. 7. n. 1.* inde in LL. XII. Tabb. ex Græcia potissimum petitas hoc retulere Romani. Postea idem juris receptum fuit apud Longobardos, Gothos, Wisigothos. vid. Lindenbrog. *LL. Antiquar. l. 3. tit. 4. & 49.* quod plurimum gentium exemplis probat Joh. Zeithoff. *Tr. de jure occidendi*
 128 *adult. P. 1. §. 22. seqq.* In specie verò Jus Romanum hoc temperamento usum est, ut Patri quidem adulterum cujuscunqve conditionis occidere liceret *l. 22. §. fin. ff. ad L. Jul. de Adulter.*
 modò

modo tamen [1.] in ipso adulterii actu eundem deprehenderit, *l. 23. pr. d. t.* Et quidem [2.] in domo sua vel generi, cum ita major injuria Patri inferatur *d. l. 23. §. 1.* [3.] Filia sit in potestate Patris *l. 20. ff. d. t.* Et [4.] una cum adultero in continenti filiam simul occidat *d. l. 23. §. fin.* quod cautè requisitum à jure videtur, ut parentis nimium calorem eò citius refrenare possit, & dum pietas paterna pro filia sollicita est, adultero quoque eo facilius parcat. Parèem enim severitatem & parèem lenitatem hic desiderat jus Romanum *l. 23. pr. ff. cod.* Marito verò sic demum jus occidendi concessum est, si (1.) Adulter sit vilis persona, seu abjectæ conditionis, cujus exempla proponuntur in *L. marito 24. ff. ad L. Jul. de Adult. & L. Humilem 7. C. de Incest. nupt.* Conf. Anton. *Matth. de Crimin. lib. 48. ff. tit. 3. cap. 3. n. 13.* Farinac. *Quest. 121. n. 64. seq.* (2.) Si maritusprehendat adulterum, ¹²⁹ in domo sua, non verò in domo soceri, *d. L. Marito 24.* quamvis non præcisè necessum sit, ut in domo sua occidat, Farinac. *d. Q. 121. n. 94.* [3.] ut mox uxorem dimittat. *d. l. marito. 24. §. 1.* ne eam retinendo crimen lenocinii contrahat. Ipsam ergo uxorem occidere non poterat, ne Zelotypiâ nimium correptus sine causa acerbius quid in uxorem decerneret, hinc maritica calor ac impetus erat refrenandus *l. 22. §. fin. ff. d. t.* Ad forum autem conscientie si hæc revocentur, illicitam hanc occisionem merito dixerim. Non enim jubet lex adulterum occidere, sed occidenti pœnam remittit ob doloris gravitatem, Anton. *Matth. d. c. 3. in fin.* Jam verò non poterit actus Jure Civili permissus securam præstare conscientiam, si in ipso actu vitium haud leve subsit. Sanè ex iracundia & impetu non facile refrenando impunitum hoc manet homicidium. Ex eo verò nimia vindictæ cupiditas in oculos incurrit, quæ jure Divino non potest non esse peccatum *Jacob. 1. v. 20.* Ad sunt insuper ordinaria ac publicis LL. hoc adulterium vindicandi concessa remedia, quæ si Pater Maritusve negligat, & ipse in corpus adulteri sibi potestatem sumat, utique peccabit. Ut taceam à potestate remotum esse, hominem in tali delicto deprehensum, mox ad gehennam dimittere, & ita pœnitendi tempus adimere, quibus fundamentis communiter hoc Adultericidium in F. C. improbatur. Molina *de F. & F. Tr. 4. D. 7. n. 2.* Petr. Gregor. Tholof. *Syntagm. lib. 36. c. 6. n. 7.* Covarruv. *de Matrim. P. 2. c. 7. §. 7. n. 22.* Joh. de Lugo *de F. & F. D. 10.*

D. 10. sect. 3. n. 52. Less. de F. & F. lib. 2. cap. 9. Dub. 5. n. 16. Valer. Differ. 131 ut. for. Rubr. Adulterium. Differ. 1. n. 2. Eapropter tamen injustæ non sunt LL. nostræ contrarium permittendo; non enim svadetur Adultericidium, nec præcipitur; sed si factum, impunitas saltem datur, quo eò magis adulteri ab hoc scelere sibi caveant, Hinc Paul. Layman. *Theol. Moral. lib. 3. Tr. 3. P. 3. l. 2. n. 4.* benè dicit, tunc LL. Romanas iniquas fore, si necem personarum in adulterio deprehensarum permitterent ad probativè: non verò esse iniquas, si illam tantum permittant negativè, penam homicidii ordinariam non decernendo. Confer. Dn. Lederer. *de jur. Bell. privat. lib. 2. c. 9. §. 8. & seqq.*

132 Deinde uti aliàs in F. C. solis cogitationibus delinquitur, prout ab initio hujus cap. dictum: ita in specie Adulterium committitur. Emphatica hanc ob causam Salvatoris nostri verba sunt *Matth. 5. vers. 28. Quicumq; aspexerit uxorem ad concupiscendam eam, jam adulterium cum ea commisit in corde suo.* DEUS enim non saltem purum corpus ab illicitis congressibus, sed & puram animam à pravis concupiscentiis

133 exigit. Undè omninò verum est, in F. C. etiam cum propriâ uxore aliquem posse committere adulterium, si cogitationibus aliam, quam illicitè amat, personam sibi supponat, & his cogitationibus irreùtus cum uxore suâ tanquam alienâ congregiatur. Fagundez. *ad Decalog. lib. 6. c. 3. n. 2. Rebell. P. 2. de Oblig. Jusit. lib. 3. de Imped. Matrim. Q. 19. Sect. 1. n. 3.* Et hoc ex lumine rationis advertit quoque Senec. *de Const. Sap. c. 7.* quando ita dicit: *Siquis cum uxore sua tanquam aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit.* Atqui verò in exteriori foro hic adulter dici non poterit, cum alienos amores reverà non admiserit. Confer. Dn. Pufendorff. *de F. N. & G. lib. 1. c. 3.*

34 §. 16. in fin. Simili ratione qui cum scemina solutâ coit, quam conjugatam esse certò credit, in conscientia foro adulter est; intentione enim suâ, licèt non factò ipso alieni thori violator est. Ast in foro exteriori non ut adulter, sed ut stuprator saltem puniendus venit. vid. Dn. Præsid. *Dissert. 10. de Fur. Sens. c. 6. n. 54.*

135 An autem in extrema famis vel vitæ necessitate adulterium committere licebit, disquisitionem meretur? Videbatur hoc dicendum argumento eorum, quæ de permissione furti ob famis necessitatem dicta superius; verum utique F. C. conveniens puto, quod jure Romano hac de re statutum *L. Patrem. 43. §. 5. ff. de R. N.* non esse ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam egit.

Quamvis

Quamvis enim durum necessitatis telum sit, & ignoscendum ei, qui sanguinem seu vitam quavis ratione redimere voluerit *l. ff. de Bon. eor. qui mort. sibi consciv.* non tamen manifesto scelere quis vitam suam in conscientia servare potest: Nec argumentum à furto ¹³⁶ tempore necessitatis commissò huc quadrat. Necessitas enim famis id quidem efficere potest, ut usus bonorum fortunæ sit communis; inde tamen nulla corporum communio induci valet. Ut taceam in furto tali divitem suoapte motu obligatum fuisse, ut fame laboranti succurreret; quod cum ipse facere detrectet, non malè alter sibi, quod jure necessitatis debetur, rapit; malè verò corpus suum lasciviæ alienæ offert, ut idem consequatur. Insuper bona fortunæ in nostra dispositione & arbitrio sunt, unde purgari furtum potest, si Domini consensus accesserit: Sed hoc secus in adulterio, ubi potestatem sui corporis non habet homo. Covarruv. *in c. Peccatum. P. 2. §. 1. n. 5.* B. Dn. Brunnemann. *Comment. ad l. 43. n. 8. ff. de R. N. Gutierrez. de Matrim. c. 129. n. 8. Surd. de Aliment. Tit. 7. Q. 16. n. 45.* Hoc tamen negari nequit, in foro exteriori, si de summa necessitate ¹³⁷ constiterit, à pœna ordinaria aliquid remittendum esse; B. Dn. Brunnemann. *d. l. n. 9. Petr. Peck. ad c. 78. de R. J. in 6. Conf. Valer. Differ. utr. for. Rubric. Adulterium. Differ. 2. n. 1.*

De eo constat, in Foro exteriori prohibitum esse, ne super ¹³⁸ Crimine adulterii cum adultero transigeret maritus *L. Transigere. 18. C. de Transact. l. 10. C. ad L. Jul. de Adult.* cujus rei rationes vid. apud Anton Matth. *de Crimin. lib. 48. ff. tit. 19. c. 7. n. 8.* Quanquam posterioribus LL. crimen remitti à marito uxori potuerit, *Nov. 117. c. 8.* quæ gratuita remissio nec jure *ff. incognita l. 29. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adultcr.* Transigere verò, seu pro adulterio remittendo ab adultero aliquid accipere, sub lenociniû crimine interdictum erat, *L. 2. §. 2. ff. d. t.* Ego Adulterium commissum, nam de commit- ¹³⁹ tendo non loquor, in F. C. non saltem gratuito, sed & accepta pecunia remitti posse puto. Gratuita quidem remissio eo minus iniquitatis habet, cum nec in conscientia aliquis ad accusandum obligetur, de quo dicam inferius; Pietatis enim opus facit, gravius quoque delictum proximo suo animitus remittendo. Sed pretium pro remissione accipere, id quidem eo propter illicitum videtur, quia lucrû aliquod ex delicto alieno aucupare, speciem inhonesti habet, imò ut ulterius similia patret scelera, si pretio placari posse ^{offensam}

offensam sentiat, hoc pacto quis allicietur, unde & peccare matrimonium, si non mortaliter tamen venialiter pecuniam accipiendo dicit Valer. *Differ. 2. §. Ex parte tamen.* Ast quia per adulterium revera læsus est maritus, pro omni verò læsione iustissime exigere potest satisfactionem, non video quare hic pecuniam accipere nequeat. Non enim turpiter accipit, quod ob læsionem præcedentem accipit. Nec inde ad adulterium continuandum invitabitur alter; idem enim & ingratis remissione obtineret. Hinc quod conscientia suæ plenissime consulat maritus, omnino disensum suum severe contestabitur, subjecta admonitione seria, ut in posterum ab hoc scelere desistat, uti bene monet Valer. *d. differ. 2. in 141 fin.* Illud quoque An Adulterio, (duplici præprimis,) mitiorem, quam quæ divino jure constituta est, pœnam irrogans statutum excuset Judicem in Conscientia circa condemnationem adulteri? Disquisitionem mereretur; Sed quoniam egregie hanc operam præoccupavit Magnif. Dn. Mev. *ad J. Lub. lib. 4. tit. 6. art. 2. num. 4. 5. 6. 7.* ad hunc Lectorem remitto.

142 Circa Concubinatum quædam ut hic subnectam, operæ præmium non esse videtur, quamvis enim hic permissio aliqua in Jure Rom. adsit, inde tamen nil fulcri accedit conscientia, quasi hæc illæsa concubinam habere liceat. Sanè Divinum Jus coitum omnem extra matrimonium damnat. Nec naturali rationi idem concubinitus convenire videtur; quamvis enim benedictionem Sacerdotalem illa ignoret, non tamen quamvis consuetudinem admittit; Sed illam, quæ sobolis procreationem & educationem intendit. Hæc verò individuum inter Parentes consuetudinem desiderat. Pessimè ea propter conscientia suis consulunt ~~Parricidii~~, qui lubentius Clerico concubinam, quam legitimam uxorem concedunt. De Stupro unicum hoc saltem notasse lubet; An stuprator in conscientia ad dotandam stupratam obligetur? Jure Canon. hæc necessitas dotandi expressè fundata est *cap. 1. & 2. X. de Adult.* In foro tamen interiori stupratorem ad dotem præcisè non obligari statuunt, sed saltem ad id teneri, ut damnum stupratæ reparari, seu ut tantum ipsi det, quantum pluris eget ad invenendum maritum sibi coæqualem. Covarruv. *de Matrim. P. 2. 144 cap. 6. §. 8. num. 9.* Sed cum necessitas dotandi stupratam etiam

etiam Divini Juris sit, *Exod. 26. vers. 16. Deuter. 22. vers. 28.* forte melius consulitur conscientia, si dos integra præstetur, nisi ipsa stuprata parentesve quid volentes remiserint: Habet enim illa dos in se compensationem damni per se incerti, quod cum lege positivâ determinatum sit, etiam conscientiam stringet. Dum verò remissionem personæ stupratæ id efficere dicebam, ut minus dote solvi possit, dubium incidit; An stuprans virginem ab ea remissionem impetrando, sit tu-
 tus in conscientia? Et hoc affirmandum puto, si virgo sui juris fuerit, & non callidis persuasionibus inducta juri suo renunciaverit. Si enim omnia bona fide agantur, nil obstat, quò minus in conscientia restitutioni damni ab alio perpesi renunciare possit. vid. Dd. citati à Valer. *Differ. utr. for. voc. Restitutio. Diff. 11. n. 1.* Sed si virgo illa sub patria potestate fuerit, non solius virginis remissionem, sed & patris necessariam esse, aut huic aliter satis faciendum etiam in Foro conscientia verum puto; quamvis enim hic communiter contrarium placuerit aliis, quos citat & sequitur Valer. *Differ. 11. n. 2.* ob rationem, quod virgo reale damnum senserit per stuprum, non saltem quod deflorata sit, sed & quod difficilius jam maritum sit inventura; Pater verò revera damnum non senserit, sed ex imputatione saltem: Verum nec à Patre abest hic reale damnum, ut enim ignominiam in eum redundantem taceam, certè diutius filia stupratæ alimenta suppeditare tenebitur, cum non æquè commodè eandam possit elocare; insuper plus dotis eidem constituere debet, quo citius ei quærat maritum; itaque hoc nomine debetur ei satisfactio, nisi signis doloris, scil. deprecatione seu veniæ petitione, contentus esse Pater velit, cum in genere integrum damnum, quod ex infamia sequitur, alicui sit compensandum. Lesius *de F. & F. lib. 2. cap. 11. Dub. 19.* Caterum prædictam
 defloratæ remissionem validam puto, si post deflorationem facta, nam
 ex eo sol. quod in stuprum consenserit, hæc remissio non præsumenda. Hinc conscientia incommodam opinionem puto, quam fovet Less. *de F. & F. lib. 2. cap. 10. Dub. 5. n. 9.* Valer. *d. l. Differ. 9.* Steph. à S. Paul. *Theol. Moral. Tract. 1. Disp. 5. Dub. 3.* virgini in stuprum consentienti nullam satisfactionem deberi in F. C. licet ea debeatur in foro exteriori, cum ipsi volenti non fiat injuria. Licet enim hoc admittam in sceminâ se offerente & ad stuprum alliciente, aliud tamen in illa, quæ stuprum petenti consensit, verum esse puto. Nec enim hic consensus commodè fingi potest, nisi blanditiis eum inducta fuerit scemi-

146 na. Nisi enim sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, nõ faciet eam velle in tantum dedecus se se prodere, uti emphaticè loquitur Imp. in *L. un. §. 2. in fin. C. de Rapt. Virg.* Et quamvis levioribus saltem blandimentis opus fuerit ad illam in partes trahendam, attamè stuprator in evidenti culpa est, quod prius pudicitiam illius sollicitaverit, cui si furore amoris percita consenserit, non adeo libera voluntate, quæ ab omni satisfactione immunem præstet stupratorem, peccasse videtur; Postea verò patrato scelere demum advertit, quid commiserit. Tunc ergo si stupri eam pœniteat & satisfactionem non expressè remittat, ad illam obligabitur stuprator.

147 Sufficiant hæc de Adulterio & Stupro. De cæteris Criminibus, quæ in *lib. 48. Digest.* referuntur, nihil addo, cum eorundem injustitia in utroque foro appareat abundè. Saltem de Ambitùs crimine, quod hodie in mores abiisse videtur, hoc subjiendum erit: Annon scil. aliquando salva conscientia oblata pecunia possim officium Civile ambire? Non loquor hic de illa Republ. ubi ordinariè ventum exhibentur officia, quæ in parte præ cæteris eminent Galliarum regnum, de quo tradunt, aliquando Regem viginti annorum spatio ex mercatura & nundinatione illa centum triginta novem milliones percepisse, vid. *Histoire des Derniers troubles de France lib. 3.* cujus verba refert Thomas Lanf. *de Leg. Reg. 103.* Sed extra hunc casum publicæ permissionis quid justum sit, inquiri. Et hic omninò contra conscientiam videtur, non expectare vocationem, sed præripere, nec solo virtutis merito, sed pretio potius officium ambire, quæ de materia bene differit Henr. Zef. *Comment. ad ff. ad L. Jul. Ambitios n. 2.* Damhouder. *Prax. Crimin. cap. 31. num. 3.* Verum quia in ejusmodi questionibus ad seculi mores respiciendum sæpius, ubi non semper in distribuendis officiis bona fide agunt illi, quibus à Principe hæc cura commissa, sed affectu præpostero ranam magis amant ac Dianam, & in indignos officiis sæpius præficiunt, putarem aliquando oblata pecunia

148 idem officium ambire, in conscientia non esse penitus illicitum. Sequentia tamen præsupponenda erunt: Scil. indignum illum esse, ut alioqui id officium destinatus, vel non posse eum sine periculo publicæ salutis eodem officio fungi. E contrario ambientis merita non saltem, sed & virtutes excellere, ut sine dubio maxima utilitate publico possit in hoc officii genere inservire, precibus verò solis promovèri

veri nequeat, poterit præsertim in Republ. patria, ad quam nativitatis jure juvandam obstringitur, pretio oblato ad munus sibi conveniens aspirare. In quo consentire videtur Tiber. Decian. *Prax. Crim. lib. 8. cap. 26. num. 4. & 9.* ubi si quis moribus suis & virtutibus fretus sit, & ex utilitate Reipubl. esset, excusari largitionem dicit. Et hic quadrat sententia Valer. *cit. loc. voc. Simonia. Differ. 5. num. 1.* quando dicitur non esse Simoniam, si Collator recipiens pecuniam sibi oblatam, non fuit eâ potissimum motus, quia is, in quem fuit collatum, erat dignus & hinc in F. C. qui taliter beneficium acquisivit, non obligari ad huic beneficio renunciandum. Cum tamen quisque sibi sapiens ple-
rumque videatur, & ita quoque oblata pecunia ad dignitates adspic-
raret, non malè legibus publicis in genere prohibitum est, pecuniam pro officio dare, unde Imp. in *l. fin. C. Ad l. Jul. repetund.* solenni sanctione caverunt, electi ut ad honores jurato deponant, se nihil dedisse, vel duros pro administratione, quam sortiti. Adde ad *b. quest. latius* Dn. Zigler *Dicass. Concl. 2. & concl. 4. §. 7. seqq.*

Hac occasione nec illud ex L. Julia repetundarum omittendum
erit : Annon Ministri Principis salva conscientia possint honorarium
aliquod accipere ab illis, quibus coram Principe negotia certa sunt ex-
pedienda? Jure Codicis expressè cautum, ab illis qui desideria sua ex-
plicari Principi cupient, & à quopiam Ministrorum sibi ferri suffragium
postulaverint, non saltem quid accipi, sed & quod promissum, exigi ju-
stè posse, *L. un. pr. C. de Suffrag.* Damnat hanc legem Zoes. *ad ff. ad*
L. Jul. ambit. num. 4. eandemque in gratiam Aulicorum tantum la-
tam esse, post *Duaren. l. 2. Disp. cap. 21.* dicit, ea propter quod inscri-
pta sit Ruffinio legum & Judiciorum venditori improbissimo : hinc
alios melioris cerebri, hanc legem omissam esse malle asserit. Ve-
rùm si sanus illius legis eruatur sensus, nil fortè vitii suberit. Cer-
tum enim est, non agere hanc legem de honoribus per suffragia mercan-
dis sed de Desideriis saltem privatorum Principi explicandis, uti be-
ne explicat Jacob. Gothofred. in *Comment. Cod. Theodos. ad l. 2. post*
prin. Si cert. petat. Unde ipse Zoes. *loc. cit.* non malè *d. l. un. de Sus-*
frag. explicari posse putat, si quid solvatur pro suffragio, ad obtinen-
dum illud, quod ex mera Principis liberalitate dependet ; non verò
pro obtinendis causis justitiæ aut administrationis. Et hac ratione
illa *lex. un.* non mutata est per *Nouell. 8. cap. 7.* ubi ad-
ministratores jurare debent, se nihil penitus suffragii occasione

promisſiſſe: Loquitur enim hæc Novella manifeſte de illis, qui certas ad-
 155 ministrationes impetrabant, non qui beneficium Principis ex mera gra-
 tia profectum deſiderabant. Puto ergò non violare conſcientiam,
 ſuam Principis miniſtrum, ſi non pro impetranda juſticia, (hæc enim
 gratis ſine ullo redhoſtimenti reſpectu impetranda, adeò ut & in bo-
 na cauſa judici, ut pro me judicet, quid ſine crimine accipere haud
 liceat per l. 2. §. ſin. ff. de Condi. ob turp. cauſ.) ſed pro conſequendo
 beneficio Principis, ad quod in gratiam ſupplicantis ſpecialeſ ope-
 ram impendit Miniſter, ille honorarium aliquod acceperit. Nec
 enim turpè eſt, ſollicitudinem alterius mei gratiâ impenſam munu-
 ſculo quodam pensare, & ita gratitudinem meam teſtari: Quod ſi
 156 ergò juſtè offertur quis diceret injuſtè acceptari, vel conſcientiam
 inde lædi, ſi modo alioqvi nihil fraudis concurrat, Placet enim hæc in
 re temperatum judicium Jacob. Gothofred. in Comment. Cod. Theod. d. l. 2.
 in ſin. quod ſequentibus verbis exprimit; *Neque hodie hæc Conſtitutio
 inutilis aut adeò abroganda, ſi modo fumi venditores hinc arceas,
 & modus aliquis & juſtus hæc in reponatur, & Reipubl. periculum
 abſit; ne alioquin Princeps hoc obtentu obſideantur, venaliſque
 eorum gratia proſuſ fiat, neque quicquam jam juſtitiæ, ſed omnia
 pecuniæ pervia relinquantur. His ceſſantibus cum Aulicis ſuffra-
 gantibus, quorum pollucibilis opera fuit ad vicem remunerandam
 honorarii genus aliquod inuideatur? horumq, benevolentia libera-
 litate aliqua non proteſtetur* Conf. etiam Dn. Zigler. Dic. Concl. 7.
 §. 23. 24. ac Dn. Tabor in ſpecial. Tractat. ad l. un. C. de Suffrag. per
 tot.

157 Reſtat ut de accuſatione Criminum quædam, quâ F. C. ſpectant,
 coronidis loco ſubnectam. Et quidem quod accuſationem Crimi-
 num attinet, diſputatur, an quis in F. C. obligatus ſit ſeiſum deſer-
 re judici & delictum commiſſum propria ſponte fateri? Et hoc ne-
 gandum exiſtimo cum Dn. Puſendorf. Elem. Jurispr. lib. 1. Def. 12.
 §. 23. Quamvis enim ratione damni, quod proximo illatum, unus
 quiſque obligatus ſit, ut ſe ad ſatiſfactionem offerat, ſi ſciat, cui da-
 mnum intulerit; Non tamen pariter obligatus eſt, ut ſe ad poenam
 publ. ſeu ſupplicium offerat; cum delictum ſemel in Republ. ad-
 158 miſſum hæc delatione infectum fieri nequeat. Quod ſi verò judex
 juſtis ſuſpicionibus motus inquisitionem contra aliquem formave-
 rit, annon tunc ſalvâ conſcientiâ ulterius negare licebit delictum?
 Diſtin-

Distinguunt hic, an iudex iudicè seu debito Processus ordine servato interrogaverit, an secus : ut hoc casu, cum Iudex officio secundum LL. præscripta non fungatur, respondere non teneatur ; illo verò casu obligetur veritatem fateri, etiamsi capite plectendus esset Less. *d. f. & f. lib. 2. cap. 31. Dub. 3. num. 12.* ex ratione, quia iudex ob publ. interesse justam terrogandi causam habet, cui unusquisque in cōscientia ob dispositionem legis obstrictus est respondere ; quamvis ergo amor servandæ vitæ magnus sit, non tamen manifesto mendacio vitam liberare in conscientia justum est. Sed an quis alterum 159 accusare tenebitur in conscientia ? Et hoc negandum puto cum communi Dd. ScholaZœf. *ad ff. de Acusat num. 17. Fagundez. ad Decal. lib. 8. cap. 49. num. 5.* Quamvis enim interfit publicè, ne delicta maneant impunita *l. 51. ff. ad L. Aquil.* non tamen præcisè quisque privatorum ad accusandum erit obligatus, sed excusabitur, si commiseratione ductus & spe melioris frugis accusationem intermiserit. Hinc & nostro jure cautum, ut nemò invitus agere vel accusare compellatur, *L. un. C. ut nemo invit. L. fin. C. de Usur. pupill. Conf. Carpz. Prax. Crim. P. 3. Q. 104. num. 50. seqq.* Quod si tamen melior spes non superfit, sed peccare non desinat delinquens, crimenque illud in detrimentum Reipubl. vergat, tenetur in conscientia hoc iudici denunciare. Valer. *Differ. Utr. for. Verb. Denunciatio. Differ. 3.* Quod in 160 omnibus delictis committendis verum puto, dum enim exinde damnum vel in Reipubl. vel in proximum redundare videt, præcavere illud tenetur, oportune negotium denunciando. *Qui enim non repellit à Socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit,* teste Ambrosio, cujus verba recitantur in *c. 7. caus. 23. q. 3.* Antequam ta- 161 men hac casu iudici negotium denunciatur, non peccabit privatam præmittendo admonitionem, si modò non sit periculum in mora & in delinquente aliqua spes emendationis superfit. Valer. *d. l. Differ. 1.* Fagundez. *d. l. c. 49. num. 7.* Quod si tamen quis accusare malit, poterit hoc salvâ conscientia facere ; nihil eum habet in se accusatio legitima quod conscientia adversetur, si non privata vindictæ cupiditate, sed animo impediendi delicta & promovendi salutem publicam suscipiatur. *Culpandus enim ille, qui privata vindictæ studio ardens, id unicè propositum habet, ut adversarium vitâ, bonis, fortunisque omnibus exertat : non culpandus, qui hominem nocentem Reipubl. studio aut ipsius emendandi gratiâ ad tribunal trahit.*

159² sunt verba Anton. Matth. *de Crim. lib. 48. ff. Tit. 13. c. 1. num. 12.* Et hoc casu ne quidem necessarium est, ut ob delictum jam tum commissum præcedat accusationem amica admonitio, cum enim ut Reipubl. læsæ satisfiat, hæc accusatione intendam, præcipue hoc verò admonitione privata obtinere nequeam, illam ut accusationi præmittam, non obligabor. Less. *l. 2. c. 30. Dub. 2. Steph. à S. Paul. Theol. Moral. Traç. 2. Diss. 6. Dub. 2. n. 15.*

159³ Circa pœnas hæc intentioni nostræ responsura se offert quæstio. An quis in F. C. obligatus sit ad pœnam, etiam si non sit condemnatus? Distingunt hic aliqui, an pœna ipso jure dictata sit, an arbitrio judicis commissæ, ut ad hanc in conscientia teneatur nemo ante condemnationem; bene tamè quoad illam; unde concludunt: Pœnâ ipso jure indictâ per LL. exterioris locum sibi vindicare in foro interiori. And. Tiracvell. *ad L. Si unquam C. de Revoc. donat. Verb. Revertatur n. 236. &* ab hoc

164 citati. Sed cum vix infligatur ita à jure pœna, ut non prius declaratoria ad minimum præcedat sententia, cum vel minima circumstantia movere judicem possit, ne in pœna infligenda strictum jus sequatur, non puto ante sententiam aliquem in conscientia ad pœnam obligatum esse, quatenus scil. pœna mera est, nec restitutionem damni continet, quod prolixè probat Covarruv. *de Matrim. Part. 2. cap. 6. §. 8. num. 12. Gomez. ad §. Sic itaque, num. 6. F. de Ad. Dõmin. à Soto l. 1.*

165 *de F. & F. Q. 8. Arr. 4.* Hoc verò dubium videtur, quod Covarruv. *d. l. 1. §. secundo.* ne quidem post latam sententiam delinquentem ad solutionem pœnæ in foro conscientia obligari sed saltem ad id teneri, ne judici per executionem exigenti pœnam resistat. Nam executio judicis non invehit obligationem delinquentis ad pœnam, sed sententia. Dubium enim nullum est, ex sententia legitime latâ etiam in F. C. oriri obligationem. Quod si ergo obligatio conscientia post sententiam adest non poterit hæc sine effectu esse, sed sine dubio tale vinculum erit, quo quis in conscientia necessariò obstringitur ad præstandum id, ad quod per sententiam condemnatus erat. Tenebitur ergo etiam ante executionem, in quo consentit Soto *de F. & F. Q. Artic. 5.*

166 *de F. & F. Q. 8. Arr. 4.* Hoc in pœna conventionali locum habere vult Less. *de F. & F. lib. 2. cap. 20. Dub. 15. num. 136. Fagundez. ad Decal. l. 6. cap. 7. num. 11. in fin.* quod scil. nec pœna conventionalis debeatur, ante sententiam. Verùm hoc minimè admittendum; Si enim, qui ex contractu obligatus est, etiam ante condemnationem ad solvendum

tene-

tenebitur, non video, quare aliud de pœna conventionali dicendum, nam & hæc jure contractus debetur, seu vi conventionis; ergo mox ubi illi, cujus nomine pœna adjecta non satisfactum, etiam in conscientia commissa erit pœna, Valer. *Differ. utr. for. Uoc. Pana Diff. 2. num. 2. &c.*

Sed mittere *Delicta*, tanquam Modorum acqvirendi Involuntariorum primum, festinatio jubet: jamqve subungere brevissimis modum alterum, qui est ex negligentia, *Usucapionem* scilicet. Hanc vero involuntarium acqvirendi modum dixi, non idèò, quod omnis omnino voluntas hîc absit, (nam fictam subesse inferius patebit,) sed quod ad ipsam acqvisionem hanc specialis Domini voluntas non concurrat: unde ad modos, quibus invito Domino res transfertur, eam quoque refert Lessius *lib. 2. cap. 6. num. 2.* Cæterum circa eam potissima quoad Consc. Forum quæstio est, an ipsa in hîc quoque sit justa, ne ea conscientia ac æquitati adversa magis quam congrua censenda sit? Et multa quidem sunt, quæ suspectam eam reddere possunt, partim quod iniquum sit, rem nobis semel quæsitam sine facto nostro transmitti debere ad alium, *l. id quod nostrum 11. ff. de R. J.* Affectus enim in domini translatione utrinque requiritur *l. 55. ff. de O & A.* nudum vero tempus introducendi vel tollendi obligationem modus non. *l. 44. §. 1. v. Placet ff. d. t.* partim quod etiam ipsi Imp. Justiniano *impium præsidium* aliquando dicatur. *Nov. 9. pr.* partim deniqve quod quilibet adstringatur in Conscientia, ut, si rem alienam esse sciat, quantum in se est, efficiat ut, in veri Domini potestatem redeat. *Less. d. l. 2. cap. 14. dub. 1.* Enimverò, nondum hæc tanti sunt, ut plane probent, quod volunt. Etenim evidens illud est, modum acqvirendi Lege positiva determinatum, si nullum morale vitium contineat, etiam in conscientia justum esse. Habet enim in Civilia subditorum negotia id juris Majestas, ut circumscribere illa hoc effectu possit, quo, si quis secundum illius juris regulas actum gerat, res licite transferatur in alium, & possessor securus inde fit etiam in conscientia. Covarruv. *ad c. Possessor de R. J. in 6. pag. 3. pr. num. 2. vers. secundo loco.* Idque tunc obtinebit præcipue, si publica simul utilitas concurrat, quæ in Usucapionis materia satis aperte patet. *pr. Inst. de Usuc. l. 1. ff. eod. ubi publicè interest, ne dominia rerum sint in incerto.* Quid enim turbarum oriretur in Rep. si post tantum temporis revocare res possessas bona fide liceret? *De Pufendorf. de J. N. & G. l. 4. c. 12. §. 5.*
Ne

Ne dicam publicè quoque referre, Cives in custodiendis rebus suis non esse negligentes, quod cum hîc occurrat in primis, dum non inquisivit in res suas accuratius, cujus res usucapta est ab alio, justè poterit Princeps in pœnam illius eam assignare ei, qui bona fide iustoque titulo eam quæsierat. Add Hug. de Roy. *de eo quod justum est l. 3. tit. 4.* Nec ad eò hîc deest factum Domini, quod quidem supra dicebatur.

171 Nam diutino tempore qui non inquirat in res suas, tacitè easdem pro derelicto quasi habere censetur. *Vid. Dn. Boecler ad Grot. lib. 2. cap. 4. num. 1* quo pertinet responsum Pauli JCu in *lib. 28 ff. de V. S.* ubi vix esse dicit. *ut alienare non videatur, qui patitur usucapi.* Ad Dn. Ziegler. *ad Grot. d. cap. 4. num. 1.* Neque impiùm præsidium dici meretur, dum non fit locupletior possessor damno prioris Domini, quod foret contra *l. 206. de R. J.* Sed rem bonâ fide iustoque titulo quæsitam saltem ex Legis solenni & iusta dispositione retinet. Add. *Mært. de Jusfit. LL. Roman. lib. 2. cap. 30* Neque tandem violatur Conscientiæ regula, quod res sua Domino sit reddenda: cum illa saltem tamdiu vera sit, dum Dominus manet, & seipsam Dominio non reddit indignum. *Henning ad Grot. d. cap. 4. num. 1. pag. 397.* Addantur ad dicta fusius *Molin. Tract. 2. Disp. 61.* *Layman. de F. & J. lib. 3. tit. 1. cap. 8. quæ 2. & 4.* *Clariff. Dn. Conring. in tract. de finib. Imperii cap. 19.* *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Ex. 43. tit. 2.* *Dn. Tabor partit. Element. p. 2. tit. 22.*

172 Observandum tamen est, justam videri in F. C. usucapionem saltem eatenus quatenus Juris Canonici dispositione est temperata per *c. fin. X. de præscript.* Postquam enim hodiè Principibus placuit, dimisso Juris Civ. rigore Jus Canon. hîc sequi, patet non aliter eam locum habere, quam ex recepto hoc novo Jure statutum est. Ex quo apparet, licet non possit imputari quicquam possessori, qui in perpetuâ bonâ fide fuit, quod rem non restituerit Domino vero, cum non potuerit scire, rem esse alienâ, si tamen durâte usucapione mala fides supervenerit, in C. F. tutius esse obligationē statuere ad restituendum, contra Juris Civilis constitutionem in *l. 2. pr. pro cent. l. un. C. d. usuc. transform.* Sed quid si completa sit usucapio? tunc etiam si scientia, cujus res fuerit, supervenerit, justè videtur res retineri. Cum enim semel ex justa Legis dispositione quæsitâ fuerit legitime, non est amplius aliena, sed possidentis propria: unde ex accedente nunc scientia, rem olim fuisse alterius, nulla potest esse ad restitutionem obligatio. *Vid. Covaruv. ad d. 3.*

Pos-

Possessor. p. 3. §. 2. n. 1. Distingvendum quidem aliis videtur, 173
 titulo oneroso an lucrativo rem ceperit usucapiens, ut illo
 casu absolvendus sit à restitutione, non vero hoc casu. Ve-
 rum non videtur opus esse hac distinctione, cum utroque
 casu, si bona fides modo adsit, publica LL. autoritas pugnet pro
 usucapione; unde id saltem attendendum, requiri, ut possessor
 opinionis suæ certus sit, qua licite se posse rem retinere arbitretur.
 Si quis enim hujus opinionis sit, ut existimet salva
 Conscientia se rem retinere non posse, is procul dubio peccaret,
 si nihilominus retineret *Zœf. Comm. ff. de Usuc. n. 67.*
in fin. quod facit pium JCi Pomponii monitum, illum,
 qui non putat sibi per LL. licere capere, etiamsi erret,
 tamen non videri bona fide possidere l. 32. §. 1. ff. de
 Usuc. Quâ occasione id lubet subjicere: An dubitans de jure 174
 suæ possessionis in Conscientia tutus sit? Ubi de Dubio quidem
 possessionem antecedente dubium non puto, quin vitiet usucapio-
 nem & eam reddat illicitam; cum dubitans rem occupans ex-
 ponat se periculo detinendi rem alienam. Andr. à Matre
 DEI tr. 12. c. 3. punct. 9. §. 2. n. 114. Molin. tr. 2. Disp. 63.
 n. 3. *Zœf. d. n. 59* Quod si vero dubium supervenerit, ubi
 antea legitime quæsitæ possessio, nec illud dubium, diligentissi-
 mâ licet adhibitâ inquisitione, (ad quam mox obligatum esse, ubi
 dubitare quis incipit, tradit Lessius d. l. 2. c. 6. dub. 3. n. 12.)
 removeri potuerit, tunc videtur interesse, in quam partem
 dubitans inclinât magis. Si magis alienam crediderit, malæ fidei
 possessor erit: si suam magis, non laesa inde Conscientia, aut inducta m.
 f. credi poterit Vid. *Excell. Dn. Præles de J. Sens. dissert. 10. c. 4. n. 77.*
 Repetenda tamen quoad posterius membrum erit recepta *Dubin C.F. 175*
 distinctio inter dubitationem theoreticam & practicam: de quâ distinc-
 tione vid. *Fachin. 1. Controvers. c. 75.* Azor. *Inst. Mor. p. 3. l. 1. c. 18. vers. in*
 hac Controversia. Hillig. *in Dower. c. 17. lit. A.* ut, si illa adsit e.g. *an Au-*
thoris hæc res fuerit, maneat altera illa & prior distinctio, scilicet in quam
 partem dubitans inclinât: in hac verò, *an scilicet sine peccato res retineri*
 possit, non tranquilla sit Conscientia, etiamsi magis inclinât in præ-
 sumtionem proprietatis, cum talis dubitatio semper nociva sit consci-
 entia, qua quis hæret, an citra peccatum quid facere possit. Covarruv.
ad d. c. Possessor. p. 2. §. 3. n. 5.

SED HIC TERMINUS ESTO

Et quidem non capitū solum hujus, sed ipsius quoque Disputationis. Licet enim fatear, debere id me dictæ mihi methodo, ut *Judiciorum* materiam nunc subjungam, & post de *Contrariis* quoque F. C. quædam subnectam; excusationem tamen spero me meriturum, si gravissimis rationibus coactus, labori hinc subtraham humeros, & Judicium prius tuum, *Lector Benevole*, de eo, quod exantlavi hætenus expectem, quam tibi pandam reliqua.

Ad laudem enim abunde, ad vituperitum vero scriptam jam esse nimium.

S. D. G.



CLARISSIMO VIRO
CHRISTIANO Ehrenfriedt
CHARISIO,

J. U. DOCTORANDO, AC SENATORI STRALSUNDENSIVM DIGNISSIMO,

Amico suo Singulari.

S.

FAmam vereri multos, paucos conscientiam, seculi docet Genius. Quippe comparatum ita cum mortalibus est, ut unusquisque, quo loco haberi inter suos cupiat, eò famulante famâ anxius contendat. Nil quidem inde vitii, sed laude potius dignum, honestè famam anhelasse, cum hujus prodigos & sacer Codex averferur: At verò famam conscientiae jacturâ quævisisse, hoc scelus est, bonis omnibus detestandum. Uti enim alioqui, quis sis, interest; non quis habearis; Ita, quâ fide, quâ conscientia quisque suarum actionum suscipiat arbitrium, non quæ vana vulgi vox aliquem prosequatur, attendendum: Demulcet quidem fama blandiloqua Clientum suorum aures, sed pronos alioqui in devia rapit, facile: Atqui verò hic trahenti famæ suus erat ponendus obex, quem ultra non progredetur; videlicet AD ARAM USQUE; vel Ulpiano monitore; Quomque Religio suggerit. Ast pauci hos sibi ponunt limites, plerosque pudet esse pios, qui conscientia parum moti, vani vanissimæ famæ existunt aucupatores. Tu, CHARISII Clarissime, ex quo Juri excolendo mancipasti nomen, honestissimam ambiisti famam. Hanc verò ut obtineres legitimè, improbo labore, summâque contentione, Optimi Parentis docta vestigia exactè premens, juris nostri pelagus tranasti, tandemque portum assecutus es feliciter.

Z 2

Famam

Famam inde optimam Tibi conciliaſti, quam & adeò fa-
 ventem expertus es, ut non ſaltem Summos utriusque ju-
 ris honores Tibi prono adfectu decreverit Facultas no-
 ſtra; ſed & Ampliſſimo Ordini Senatorio, & in hoc illis,
 qui dicundo juri præſunt, Te ex Academia, rariori qui-
 dem exemplo, majori tamen Tuo merito, adſcriptum,
 cupierit ſplendidiffima Civitas Straleſundum. Quò ve-
 rò, famam Te non ſaltem, ſed & Conſcientiam vereri,
 & jura non ad vulgi opinionem, ſed ad Conſcientiæ Tri-
 bunal revocata didiciſſe, probatum extaret publicè, ſolen-
 ni hac de Conſcientiæ Foro Diſſertatione effeciſti. Quid
 famæ laudiſve hoc non proletarium thema pro more Tuo
 doctiſſimè enucleando, mercare, res ipſa præconio inſi-
 gni loquitur. Applaudet bonus quilibet, & vel Momi
 viperinus auſus hic tandem deſinet ſibilare. Unanimi
 voto dignum Curiâ, dignum Judiciis, ſed longè majora,
 meritum Te prædicabunt omnes. Ego, Nobiliſſime,
 CHARISI, pro meo, quem in comperto habes, in Te
 adfectu, precor, ut præſentes honorum primitiæ, quas fe-
 lici augurio in Republ. literariâ pariter ac Civili eodem
 tempore capeſſis, certiſſimos majorum dignitatum, quas
 jam tum mereris, Tibi ferant ſucceſſus. Eveniet hoc, ſi
 Foro publico dirigendo, ex Conſcientiæ Foro trutinam
 adaptaveris. Ita enim DEO Conſcientiam, famam verò
 bonis omnibus ſervabis illibatam, Vale.

I

*Omni Studio***SAMUEL STRYKIUS D.**

DISSERTATIO
DE
CONSCIENTIA
ADVOCATI,

QUAM EX
AUTORITATE ET CONSENSU MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS IN ACADEMIA
VIADRINA

PRÆSIDE
DN. SAMUELE STRYKIO, Jcto,
COM. PAL. CÆS. ET ANTECESS.
CELEBERRIMO,

Dn. Patrono & Doctore suo aternùm devenerando,
In Auditorio Jctorum'

Ad Diem 21. April. Anno M DC LXXVII.
placido Eruditorum Examine sistit

AUTOR

EPHRAIM NAZIUS,

Cöslino-Pomeranus.

Cum privilegiis.

Denuo edita M DC LXXXIII.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Sumptibus JEREMIAE Schrey & HENR. JOH. Meyer.

Vol. II. Disp. XIII.

*Summe Reverendis, Generosissimis, Magnificis & Excel-
lentissimis Dominis,*

**DN. ERNESTO à Krockowen/
Sereniss. & Potentissimi Electoris Brandenburgici Consi-
liario Regiminis eminentissimo, Dicafterii citerioris Pome-
raniae Praesidi Splendidissimo, Ordinis Johannitici Equiti & De-
signato Commendatori zu Bittersheim/Domino
uff Plawenthin/ Dsefen/ &c.**

**DN. GEORGIO CASP. à Flemmingen/
Potentissimi Electoris Brandenburgici Consiliario Regi-
minis citerioris Pomeraniae splendidissimo, Consisto-
riique Ecclesiastici Directori gravissimo, Do-
mino uff Hoff/ &c.**

**DN. SEBAST. BRUNNEMANNO,
Jcto celeberrimo, Potentissimi Electoris Brandenburgici
Consiliario Regiminis Pomeranici gravissimo, Eccle-
siaeque Collegiatae, quae Colbergae est, Cano-
nico dignissimo,**

*Dominis suis Benignissimis, Mœcenatibus Optimis, maxi-
mis, submississimo Honoris & observantia cultu æviternum prose-
quendis, cum devotâ Studiorum suorum commendatione
hanc Dissertatiunculam consecratum sit*

devotissimus cliens,

EPHRAIM NAZIUS.



PRÆFATIO.

Quemadmodum tenera res est Conscientia hominis, ita si vel leviter illam tangas, vulnus accipit multis emplastris non sanabile; sed quòd animam & corpus truculentissimis quasi tormentis & mille cruciatibus torquet. Si turpi enim aliquo scelere turpiter illam sauciaveris, eam requiem invidet instar latrantis canis nocte dieq; molesta Tibi. Quare Tyrannus ille conclave suum Speculis penitus circumdedit, quoniam à quovis tyrannidis suæ præmium, hoc est, repentinum eumque infelicissimum vitæ suæ exitum, dictitante ita conscientia, speravit timuitque, uti refert B. Dn. *Harsbdrffer part. 7. der Jämmerlichen Mord-Geschichte/ Hist. CLXVI.* Imò quamvis interdum quasi dormire videatur, non attendens facta tua; surgit tamen iterum & duplicato tremore non secus ac dirissimus Carnifex Te sæviori manu apprehendit. E contrario, tametsi res tenera sit *Conscientia*, si illam illasam serves, nihilque agas, quod vulneret illam; sed omnes Actiones tuas juxta Dictamen rectæ rationis piè, justè & prudenter instituas, securus es ab hoste & moribus illis plusquam serpentinis conscientia. Hæc illasam murus aheneus est, lætitiæque animi parit, auget, conservat: hac non sauciata securè ambulas, sedes, dormis: hac non contaminata, nulla pallefcis culpa; sed tranquillo planè es animo. Et cum

Conscientiam nostram vel turpiter agendo vel omitendo de facili lædere possimus; (quid enim turpes actiones aliud sunt, quàm illæ spinæ aculeique tam acriter pungentes & vulnerantes?) tota verò vita imprimis Advocati, nil nisi praxis sit, in quâ facilè aliquid, quod est contra Conscientiam, agere vel omittere possit Advocatus; cum tamen juxta *Cic.* quemvis in omni vitâ suâ nec transversum unguem a rectâ conscientiâ oporteat discedere, nisi conscientiam vulnerare velit, hunc laborem de Conscientiâ Advocati in me suscepi, visurus, sed per compendium tantum, quid salvâ conscientiâ possit Causarum Patronus, quid non possit. Prolixiorem equidem hæc materia meretur discussionem, quàm ut Academico Exercitio tractari ex merito possit; suffecerit tamen Præcipua quædam Conscientiam Advocati tangentia levi quodam penicillo adumbrasse. Qui conatus ut cedat in Divini Numinis gloriam, mei proximique commodum & salutem, Numen divinum supplex oro. In Cujus nomine, uti ad omnia consilia omnesque Actus progrediendum *L. 2. pr. C. de off. præf. prætor. Afr.* ita in eodem Exercitium præsens ordimur feliciter!

CAPUT I.

De

Conscientia Advocati ratione sui
Officii & suæ Personæ.

S U M M A R I A.

Quid sit Conscientia. n. 1.
Quat. hic de Conscientia agatur.
n. 2. seqq.

An dubia & scrupulosa sint proprie
Conscientia. n. 5.

Quid sit Advocatus. n. 6. seq.

Quomodo differat Advocatus à Pro-
curatore. n. 9.

Quale Advocati Officium. numer. 10.
seqq.

An quis salvâ conscientia hoc munere
fungi queat? n. 14.

Exemplum Christi. n. 15. seq.

Opprobria Advocatorum. numer. 17.
seq.

DEUS precipit ut alter alteri suscur-
rat. n. 19. seqq.

An Advocatus non rogatus se ad pa-
trocinium offerre possit? num. 22.
seqq.

Quisnam personam Advocati salvâ
conscientiâ gerere possit? numer.
26.

Quenam atas ad Advocatum requi-
ratur. n. 27. seqq.

An Juvenis salvâ conscientia patroci-
nari possit? n. 30. seqq.

Quisnam sexus ad Advocationem re-
quiratur? n. 32. seq.

An Advocatio natura feminarum re-
pugnet & earum patrocinium sit
contra Jus natura. numer. 34.
seqq.

~~Quisnam hoc officio famina non fungan-
tur. n. 38.~~

An in casu necessitatis licitè patroci-
nentur? n. 39. seqq.

An Hermaphroditus salvâ conscien-
tia causas agat? numer. 42.
seqq.

An cæcus possit patrocinari Jur. Civ.
n. 45. seq.

Quid in foro conscientia ratione cæci
statuendum. n. 47. seq.

An surdus & mutus. n. 48. & 49.

An ob capitale crimen damnatus &
Judeus in foro civili rectè possulet?
n. 50. seqq.

Quid de hisce statuendum in foro Con-
scientia. n. 53.

An Legitimus salvâ conscientiâ pa-
trocinetur? n. 54. seqq.

Affirmatur & limitatur hoc. n. 57.
& 58.

An infamis vel legitimatus salva conscientia det petenti consilium? numer. 59.

An excommunicatus ritè postulet. numer. 60.

Quid de pastore dicendum? numer. 61. seqq.

Interna Advocati qualitates, quarum prima est Pietas. n. 66.

An Atheus possit esse Advocatus & an detur Atheus speculativè talis. numer. 67.

An Heretici Advocatura fungi possint. n. 68.

An soli Romano-Catholici. numer. 69.

Secunda qualitas interna est ut sit conscientiosus. n. 70. seqq.

Tertia qualitas est Eruditio. num. 73. seqq.

Quare Reges Hispania Advocatis migrationem in Indiam prohibuerint. n. 77. seqq.

Externarum Advocati qualitatum prima est, conveniens vestitus. numer. 80.

Mox Gallia & Italia circa vestitum Advocatorum. n. 81.

Quid in foro conscientie de Advocatorum vestitu tenendum. n. 82.

Secunda affabilitas. n. 83.

Tertia, Eloquentia. n. 84.

Mos dicendi Romanorum qualis. numer. 85. seqq.

Mos insatiabilium Advocatorum. numer. 88.



Acturi de Conscientia Advocati, parum solliciti erimus de incunabulis variisque significationibus Vocabulorum, profetaria enim hæc sunt & nihil aliud, quam circa corticem versari & nucleum non velle. Adeat tamen, cui volupe est, de priori Vocabulo *Dissertat. Inaugur. de Foro Conscientie.* Clariss. Dn. Charissii sub Præsido Magnif. Dn. nostri Præsidis habitam, ubi hæc *cap. 1. per tot.* sufficienter explanata; de posteriori Bouric. *de Offic. Advocati c. 1.* In præsentiarum notasse sufficiat, quod Conscientia nihil aliud sit, quam Regula æqui & iniqui indicans creaturæ rationali, quid fugiendum quidve adpetendum sit, juxta Cornejum *in suâ Theol. Moral. Tom. 1. Tr. 8. Disp. 2. Dub. 1.* citante illum R. P. Steph. à S. Paulo *in Theol. Moral. Tr. 1. Disp. 2. Dub. 1. n. 1.* vel iudicium intellectus circa actiones morales, discutans, quid bonum quidque malum sit, & idè agendum vel omittendum. Dn. Pufendorff illustre illud decus Doctrinæ moralis, *de J. N. & G. l. 1. c. 3. §. 4.* Laymann. *in Theol. Moral. lib. 1. Tr. 1. c. 2. n. 1.* Gibalinus *in suâ Scientiâ Canon. & Hieropolit. Tom. 1. l. 3. c. 7. qu. 2. n. 1.*

Non

Non autem hic agemus de Conscientia, quatenus est dictamen practicum de factis, sed faciendis, quod nimirum Actiones morales semper antecedit, quò in primis pertinet Dn. Pufendorff. *cit. loc.* Conscientiæ distinctio in Antecedentem & Consequentem. Neque intelligimus hic errorneam, dubiam sive scrupulosam illam; sed rectam, quæ bonum bonum & malum malum judicat, cum si Conscientiam in rigore sumere velimus, neque dubia neque scrupulosa propriè conscientia sit dicenda, quia neutra præscribit, quid hic & nunc determinatè sit agendum vel omittendum; sed ambigua hæret inter utrumque. Steph. à S. Paulo in *Theol. Moral. Tr. 1. Diss. 2. Dub. 1. n. 3.* B. Dn. Schröterus, *Antecessor Jenensis in Fasc. cas. Conf. p. m. 12.* De Probabili *cap. 4.* hujus Dissert. commodus erit dicendi locus. Et hæc de priori Vocabulo.

6

Advocatum describimus, quod sit Conscientiosus Vir, qui desiderium amici sui (nam principio, quando jure confertum manus ibant, amicos, qui autoritate consilioque juvarent, advocare solebant, uti testatur R. P. Adamus Conzenius *lib. 7. Politicorum. c. 24. §. 1.*) in jure apud eum, qui Jurisdictioni præest (hinc qui privatim alterum consilio juvat, non dicitur propriè Advocatus. Johann. Azorius *Instit. Moral. Tom. 2. part. 3. lib. 13. c. 29.*) exponit vel alterius desiderio contradicit *L. 1. §. 2. ff. de postul. Conf. L. 14. C. de Advocat. div. Judiciar.* Bouric. *de Off. Adv. c. 7.* Joh. Emer. à Rosbach. *Process. Civ. Tit. 18. n. 1.* nam postulare hodiè pro advocare sumitur *L. 2. §. tot. tit. C. de postul.* Dum Conscientiosum illum diximus *σιδεσθηλον* dixisse videbimur, quippe adversari sibi credit Vulgus, Advocatum esse, & esse Conscientiosum. In proverbium enim abiit: *Advocaten haben kein Gewissen/ oder haben ein weit Gewissen.* Verum descripsimus hic Advocatum, qualis esse debet, non qualis interdum esse solet, ut adeò sine conscientia sint, qui Advocatum omnem Conscientiæ expertem pronunciant. Græcè dicitur *ἠδύκλητος*. Döring. in *sua Biblioth. Juris sub voce Advocatus* *§. 64.* & Advocatus idem significat ac accersitus, rogatus; quamvis hodiè pauci accersitionem expectent; quod an salvà fiat conscientia inferius ostendendum.

Differt tamen Advocatus à Procuratore, sicut causa principalis ab instrumentali v. g. Scriba à calamo; tametsi enim Procurator in causis agendis etiam quam maximè sit occupatus, quicquid tamen operatur, ex instructione Advocati fit, utpote, qui vicem animæ hic gerit; cum Procurator ministerium corporis sui saltim exhibet Advocato, Scripta ejus Judici offerendo & terminis Judiciales observando. Alias differentias vid.

apud

apud Döring. *sub voc. Adv. ab. Adfert. 84. usq. ad Adfert. 86. exclus.* Bouric. *de Off. Adv. c. 2. circa fin.* Agricol. *de Off. bon. Adv. c. 9. 10. & 12.* Anton. Matthæi *Tr. de Judiciis Disput. 3. §. 48.* Magnif. Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 7. th. 3.* Et tantum etiam de posteriori Vocabulo.

- 10 Nunc ut in ipsum Advocati Officium inquiramus, operæ pretium est, quod sanè maximè est honorabile, dicitur enim illustri dignitas *L. Restituenda 6. §. 2. C. de Adv. div. Judic. & ipse Advocatus Nobilissimus L. Providendum 7. C. de Postul. Clarissimus & Spectabilis, L. Laudabile pr. C. de Adv. div. Judic.* vid. Cassaneus *in Catalog. gloriæ mundi 7. part. considerat,*
- 11 28. Necessarium est *Dn. Struvius d. l. th. 4.* ideoque præmiis afficiendum *d. l. Magon. Cyn. Adv. p. 2. c. 6. n. 18.* hincque nostris moribus nullum personale munus subire coguntur Perez. *in C. h. t. n. 4.* Dantur enim homines tam pusilli tremulique ingenii, ut se ipsos defendere nequeant, quare ut hi non relinquantur indefensi, Advocatis indigent, quoniam aliàs eruditi tantum Jus suum consequerentur; imperiti autem paterentur injurias,
- 12 quod utique Juri naturæ quam maximè adversatur. Neque apud Nos, uti in Polonia, moris est, ut quilibet sine Advocato ipse suam causam exponat. Tholosan. *in Syntagm. Jur. Univ. lib. 49. c. 6. n. 17.* Utile est, quia non minus provident Advocati humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent *L. 14. C. de Adv. div. Judicior.* Nam sicuti milites sagati hostilitatem sclopetis & bombardis, ita togati ~~salutem & defensionem~~ validissimis argumentorum, ut ita loquar, globulis expugnant.

- 14 Quare non ambigendum, an quis salvâ Conscientiâ hoc munere fungi queat, est enim de genere defensionis, quæ est Juris naturalis præceptivi: est ejusmodi Officium, quod sui natura peccatum non implicat,
- 15 ergo licitum. Joh. Bapt. Caccialup. *Tr. de Off. Adv. qu. 1. n. 2.* Præterea Christus ipse hoc munere fungitur, ergo nihil habet turpitudinis; sic enim Apost. Paulus *ad Hebr. eos c. 7. v. 25.* dicit. Quis est qui condemnet, Christus is est, qui mortuus est, imò verò, qui etiam excitatus est, qui est ad dextram DEI & qui postulat NB. pro nobis. Porro: Quod si quis peccaverit, Advocatum apud Patrem, habemus JESUM Christum, *Job. 1. c. 2. v. 1.* ut proinde frustra Advocaturam relinquere voluerit Joh. Pet. Ala, uti ipse *Tr. de Adv. & Causid. Christian. p. 2. Exhort. 3.* ait, se ingenti stupore percussus, cum aliquando legisset, subulcum quendam multum elaborasse, ut porcos ageret in suile, & tandem indignatum exclamâsse: *Eat is tandem in hoc stabulum, sicuti Procuratores & Advocati descendunt in infernum,*

& com.

Et continuo gregatim omnes introivisse; locutus est enim ut subulcus, hoc est, insulsè & ineptè. De cætero pius & eruditus Advocatus agat, quod dicat recta ratio, Vulgique maledicentiam flocci faciat.

Multa quidem sunt, quæ in opprobrium Advocatorum allegari solent; Felices olim Urbes sine Causidicis fuisse, Columella testatur. Vilissima capita, forensia pecora ac togatos vultures eos vocat Apulej. *lib. 10. Metamorph.* Plura eorum Epitheta qui nosse desiderat, adeat Zafium *ad L. 2. §. post hoc quoq; Tubero verb. Nec obtinuit ff. de Orig. Jur. Tiraquell. de Nobilit. c. 29. n. 7. seq.* Verùm cum nobis de Conscientia Advocati quaestio sit, & an Officium Advocaturæ ejus repugnet Conscientiæ, parùm attendimus malevolorum iniquas in Nobilem Advocatorum Ordinem censuras. Quippe quid in Conscientia justum honestumve, non ex vulgi opinione, sed ex rectæ rationis dictamine, quatenus hoc ex naturali ac Divino morali jure informatum, decidendum. Scilicet DEO & proximo ut inserviamus, conscientiam nostram nos constringere in aprico est; qui ergo in eo statu degit, quò utrumque expedire possit, ille in Conscientia securus erit. Atqui verò Advocati munus tale esse, negabit nemo, nisi cui ignotum est Advocati Officium. Nihil gratius DEO contingit, quàm si Justitia non tantùm Divina sed & humana inter homines promoveatur, nec contra jus fasque alter lædatur. Pariter præcepit DEUS, ut alter alteri succurrat, & sicubi eum lædi viderit, suppetias ferat, ob quam causam familiaritatem quandam inter homines constitutam voluit Natura *per L. 3. ff. de I. & I.* omnia verò hæc per Advocaturam saluberrimè expedire, res ipsa testatur. Imò salva res est, modò personarum vitia à re ipsa separaveris.

Nullus sanè datur Ordo inter homines, qui non maximis personarum Ordini adscriptarum sceleribus sit inquinatus, quod vel ipse Sacer Ordo testari valeret. Verùm sicine Theologia damnanda venit, quoniam tot hæretici tot dogmatum monstra producunt, quæ non solum fidei simul ac concordie Christianæ venena, sed ipsissimum Atheismum etiam sapiant? Sicine Medicinam reprehendere fas est, quia suos habet Corruptores & Circumforaneos, qui huc & illuc circumrepentes incautos homines fictitiis emplastris & oleo miserè decipiunt? Minimè gentium! Nil inde dignitati Ordinis decedit; nec res ipsa unquam personæ vitio illicita redditur aut conscientie adversa. Ut taceam, Advocatos bonos meliorem ducere vitam, quàm Religiosos & Prædicatores juxta Camill. Borell. *Summar. Decif. tot. arb. Christ. lib. 1. Tit. 65. num. 20.* Franc. Vivium *Decif. 123. n. 24.*

Cavalcan. *P. 1. D. 33. num. 21. Rebuff. de Privileg. Scholaſt. privileg. 4. poſt pr.*

- 22** Reſultat autem ex dictis alia Conſcientiam tangens controverſia : An ſc. Advocatus, cum videat ſe honeſto deſungi Officio, ſalvâ Conſcientiâ ſe ad Patrocinium offerre poſſit, an verò rogatus demum ſuccurrere debeat ? Ipſum ſanè nomen Advocatum monet, ſe non niſi ad auxilium vocatum venire debere; imò aliàs in Jure noſtro culpæ annumeratur, alienæ ſe immiſcere rei *per L. Culpa 36. ff. de R. l. c. Non eſt 19. de R. l. in 6.* E contrario alter alterius utilitatem ſuoſte motu promovere debet, impellente ad hoc naturali ſe invicem juvandi ſtudio, quo homines, tanquam
- 23** animalia ſocialia, ſibi conſtrictos voluit Natura. Dicerem ergò, Conſcientiæ examen Advocatum ex bonitate intentionis ſuæ inſtituere debere. Si ſe offerat animo lucrum ex illa cauſa percipiendi, peccat in conſcientia; ſi ſe offerat animo damnum & injuriam à proximo avertendi, licitè agit;
- 24** Sed quid ſi ſimul lucrum ſperet? Nec ſpem hanc improbandam putamus, quia lucrum hoc licitum & LL. permiſſum, modò ad utilitatem proximi principaliter reſpiciat; nemo enim in conſcientia proximo, cui facultates ſuppetunt, gratis inſervire tenetur; nam quæ unius obligatio eſt ad officia, illa alterius eſt ad remunerationem. Deinde hic attendendum, an ille, cui patrocinium offert Advocatus, alium jam ſibi elegerit Advocatum, quem conſulere velit; tali caſu, niſi ipſe plane gratis patrocinium præſtare velit, ſe offerre nequit, cum utilitatem, quam alter Advocatus ex cauſa
- 25** habere potuiſſet, ipſi ſtudio intervertat. Hinc concludunt Dd. tunc Advocatum ſe licitè offerre Clienti, quoties ipſum in periculo viderit conſtitutum. Döring. *in Bibliothec. ICi. ſub voc. Advocatus Aſſert. 30.* (quamvis ille ibi Advocatum pro Proteſſore capiat) nullum verò ibi periculum, ubi alium Advocatum conſulendi & copia & voluntas adefit.
- 26** Sequitur nunc de Perſona Advocati, ſcil. quisnam hanc ſalvâ Conſcientiâ gerere poſſit; ubi tanquam generale Axioma tenendum, quòd Quilibet poſtulare poſſit, qui non prohibeatur vel ob ætatem vel ob ſexum vel ob caſum *L. 1. §. 3. & 5. de poſtul.* Eſt enim poſtulare de genere permiſſorum, adeoque cuilibet licet, niſi ſpeciali lege aliter cautum. Juſta igitur
- 27** (1.) ad Advocaturam ætas requiritur, ita, ut ob infirmum judicium Minor 17. annis tam pro ſe, quam pro aliis poſtulare nequeat *L. 1. §. invidiam. ff. de poſtul. Dn. Struvius in Syntagm. Jur. Civil. Exerc. 7. th. 14. Roſbach. Proceſſ. Civ. tit. 18. n. 3.* Quemadmodum enim de Medico juniore Germani dicunt: Ein junger Arzt iſt der Kranken Kirchhoff; idem etiam di-

endum de Advocato juniore, quod nimirum sit ipsa pestis, imò mors clientum; quamvis senior Advocatus etiam non semper obtineat causam; sed à juniore, qui noviter ex studii fornace eductus, uti Specul. tit. de Advocatus §. fin. n. 3. loquitur; sæpe se devinci patiatur, utpote qui seniore magis gloriæ cupidus, magis etiam studet ad obtinendam causam. Si verò 18. ætatis annum ingressus, quamvis sit minor 25. annis, Advocaturam rectè exercet. B. Dn. Eckolt ad tit. ff. de postul. §. 8. Procurator verò esse non potest, quia majus præjudicium in judicio versatur Procuratoris, utpote, qui litem alienam in se suscipit, litisque Dominum se reddit L. 22. C. de Procurat. quam Advocati, qui desiderium alterius Judici saltim expenit.

Quid verò hinc per conscientiam liceat, paucis videndum: Et breviter dicimus: In Conscientia non tam ætatem, quam judicium Advocati respiciendum esse. Sunt multi mento juvenes, sed mente senes; Exerit enim se sapius ante annos prudentia, negotiorum gerendorum Moderatrix. Hanc ergò si adverterit Juvenis, per Conscientiam ipsi advocandi munus subire licebit, quamvis annorum 17. nondum sit. Sin verò judicii sui imbecillitatem observaverit, debet se ab hoc munere abstinere, etiam si 18. annis major sit. Jus enim Civile anno 18. postulandi licentiam concedens, non mox cujusvis Juvenis in forum intempestivo patrocinandi pruritu profluentis Conscientiam reddit securam; sed præsupponit aptitudinem ingenii, quæ si defecerit, ex solâ ætate parum pro Conscientia capiet præsidii.

(2.) Ad Advocaturam requiritur legitimus sexus, qui masculinus est, feminino excluso, quia Advocatura est munus publicum ac civile, quod Viris non mulieribus competit L. 2. de R. I. L. Aliorum 18. ff. de postul. Jodoc. Damhouder in Praxi rer. civil. c. 129. n. 1. ita quidem, ut nec pro liberis propriis in judicio admittantur ad postulandum L. Liberto 31. §. 6. ff. de neg. gest. imò moribus Saxon. ne quidem pro se postulare possint, juxta tradita. Carpz. p. 1. C. 1. Decif. 30. sed illis Curator ad litem detur B. Dn. Eckolt. cit. loc. §. 8. Causam dedit Carfania, sive ut in aliquibus exemplaribus legitur, Caja Afrania vel Calphurnia, improbißima fœmina, quæ admodum invecunde postulans Magistratum inquietavit d. l. 1. §. 5. ff. de postul.

Quicquid tamen sit, si seposito Jure Civili rem penitus consideres, Advocatio sane Naturæ fœmininæ non ad eò repugnat, neq; contrariatur ita Jurinaturæ, ut eandem fœminæ salvâ Conscientiâ quandoq; exercere

non possint. Inquis: At Advocatura est munus virile. Resp. quid tum? do instantiam: Et Imperium est munus virile, ergo femina salvâ Conscientiâ imperare non potest, cùm eximîæ illæ Reginæ, MARIA ac ELISABETHA in Anglia, MARIA in Scotia, ANNA Regina in Gallia, CHRISTINA in Suedia & AMALIA Landgrafina in Hassia sat feliciter imperaverint. Manet igitur, nemini Virtutem esse præclusam, sed omnes nullâ vel censis vel sexus ratione habita admittere Senec. *XIIX. de Benef.* Nam quod addit Magon. *Cynosur. Advocat. p. 2. c. 2. n. 13.* & Camill. Borellus *de Mag. edit. l. 1. c. 7. n. 47.* Judicem mulieris venustate vel facundiâ amore capi corrumpiq; posse, id nullius est momenti & tantummodo fit per accidens. Porro inquis: Feminae sunt imbecillis animi & iracundi, faciliusq; succumbunt perturbationibus, & à voluptate vel dolore superantur quàm viri, quod testatur ipse Aristoteles *lib. 9. de hist. animal. c. 10.* & Plato *lib. 6. de LL.* Wendelinus *de Philosophia Moral. lib. 1. de recta vita c. 3. qu. 25.* quibus defectibus tamen Advocatus carere debet. Resp. Hoc non provenire ex defectu Naturæ femininæ; sed quoniam extra consuetudinem rerum gravium tractandarum sunt positæ. Dn. D. Becmann. *Medit. Polit. Dissert. 6. §. 3.*

38 Si igitur consuetudo vigeret Feminas ad postulandum admittens, omninò id salvâ Conscientiâ possent. Non enim postulare prohibentur, quia non habent iudicium, sed quia receptum moribus est, ut Advocaturâ, tanquam Civili Officio, non fungantur *L. 12. ff. de Judic. §. ub. quisque ag. l. conv. deb.* Ut ut enim Legibus Civilibus ipsis hoc interdictum; hæc verò Conscientiam stringant feminæ; casus tamen necessitatis, uti in genere Juri Civ. derogat, ita & hoc passu Conscientiam feminæ securam reddat, præsertim si accedat arbitrium Magistratûs. Ne dicam nunc, quòd sola Carfania ceteris hoc in passu præjudicare non possit, quia non omnes sunt ita impudentes, uti Carfania fuit. Hoc solum notabo, quòd Advocatura se habeat per modum defensionis, quæ est juris naturalis atq; cuivis licita, ut proinde Advocatio tam strictè pro virili tantum Officio æstimari non possit. Deinde si Feminae salvâ Conscientiâ nullatenus postulare possent, neq; pro se rectè postularent, quod tamen est contra *L. Liberto 31. §. 6. ff. de neg. gest.* vid. Dn. Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Exerc. 7. tb. 14.* neque in sua causa excipiendo comparerent, quod iterum est contra *L. 4. C. de Procurat.* Si igitur casus necessitatis contingeret, ubi alius haberi non posset, etiã hodie femina salvâ Conscientiâ patrocinaretur.

Sed

Sed quid de Hermaphrodito dicendum, an & ille salvâ conscientia 42
 Advocati munere fungi potest? Et antequam hic respondeam, dicendum,
 quòd Androgynus illius sexus æstimandus sit, qui in illo prævaleat *L. 10. ff.
 de Stat. bom.* Quomodo prævalentia sexus cognoscatur, docet Hier. Gi-
 gas in *Tr. de Crim. l. s. Majest. lib. 3. qu. 16. Sect. 15.* Paulus Zachias, *quest.
 Medico-legal. lib. 7. tit. 1. qu. 8. n. 2. & seq. & n. 18.* citante illum Dn. Præf. in *Tr.
 de Jur. Sens. Diss. 1. c. 1. n. 59. ubi cit. loc. n. 26.* Dn. Præf. hanc rem consilio 43
 Medicorum oculari inspectione accuratè inquirentium committit. In du-
 bio tamen pro Masculo habetur, & feudorum est capax. B. Dn. Eckolt. *ad
 tit. ff. de Stat. bom. §. 2.* Ex jam igitur adductis patet responsio, nimirum 44
 tunc Hermaphroditum Advocatum esse posse, si virilis sexus in eo præva-
 leat juxta dispositionem Juris civilis, quamvis aliàs, si consuetudo feminas
 ad hoc officium admitteret, etiam salvâ conscientia postulare posset, si in
 illo prævaleret Sexus femininus, uti ex præcedentibus liquet; naturalem
 enim prohibitionem hic non video.

(3.) Denique ad Advocaturam requiritur, ut non quis casu prohi- 45
 beatur, hoc est, ut non adsit (1.) defectus naturalis respectu necessariorum
 sensuum v. g. cæcitas utriusq; luminis, quia cæcus insignia Magistratûs
 videre & revereri non potest *L. 1. §. 5. ff. de postul.* qualia insignia erant latus
 clavus, toga prætexta, Sella currulis, lampadum certus numerus, fascæ,
 tradente Dn. Præfide *d. Tr. de Jur. Sens. Dissert. 2. c. 4. n. 13.* Hinc Brutus
 Publium cæcum, quò de mentio fit in *L. 1. §. 5. ff. de postul.* cum postulare vel-
 let, aversâ sellâ destituit, hoc est, prout id Dn. Præf. *d. l. n. 15.* declarat,
 faciem avertit vel terga vertit, quasi eum ob cæcitatē intueri dignatus
 non fuerit. Si verò cæcus pro se postulare velit, cæcitas ipsi non nocet, 46
 quoniam in *d. l. 1. §. 5.* cæcus inter illos refertur, qui pro aliis postulare pro-
 hibentur, ergò sequitur à contrario sensu, quod pro se ipso postulare omni-
 no possit. Sebast. Vant. *de Nullit. Proceß. Rubr. de Nullitate ex inhabilita-
 te n. 17.* Blas. Michalor *de cæc. & surd. c. 14. n. 10.* Ceterum si cæcus mo-
 dò oculis intellectûs benè cernat, quid justum, quid iniqum sit, utut ocu-
 lis corporeis destituatur, illum ab Advocationis munere non exclude-
 rem, quoniam Advocatus magis animo, quàm corpore laborat. Inspi- 47
 ciendum ergò quoad Conscientiam foret, an negotium tale sit, quod citra
 oculorum beneficium percipere posset cæcus, ut in hoc & patrocini-
 um ipsi per conscientiam præstare liceat. Sane exempla penè multa adfunt
 cæcorum memoriâ pariter ac judicio ad admirationem usq; pollentium,

quibus patrocinandī licentiam nulla ratio naturalis interdicīt, & hinc si fecerit, contra conscientiam non aget cœcus.

48 Alia verò ratio in surdo est, qui prorsus non audit, nam huic Advocaturam Ulpianus *L. 1. §. 3. ff. de postul.* interdicīt, quia decretum Prætoris non potest audire. Quamvis enim nemo tam surdus sit, qui penitus non audiat, si qui supra cerebrum illius loquatur *L. Discretis 10. C. Qui Testam.* habet hoc tamen difficultates & incommoditates suas, præsertim si surditas sit à natura. Surdus enim Advocatus tam se, quàm Clientes suos maximis periculis involvere potest *d. l. 1. §. 3. ff. de postul. D. Thom. 2. 2. quæst.*

49 71. art. 1. Quod si verò alicubi moris sit, ut Advocati in scriptis & non ore tenus desideria litigantium exponant, motum aut surdum ex accidenti talem Advocati munere fungi posse, constituto interim Procuratore, qui actus judiciales exerceat, optimè statuit Dn. Præses *d. Tr. de Jur. Sens. Disfert. 4. c. 4. num. 10.*

50 (2) Requiritur, ut non adsit defectus moralis, id est, Prohibitio legis v. gr. ut quis propter capitale crimen insigni infamiâ non laboret, ob quod id vel damnatus sit *L. 1. §. 6. ff. de postul. vel excommunicatus. Azorius Instit. Moral. Tom. 2. part. 3. lib. 13. c. 29.* Infamis enim non potest esse Advocatus, quia Advocatio dignitas est, à dignitatibus verò infames excluduntur *L. 2. C. de dignitat.* Quare etiam Judæos contra Christianos non postulare ob dignitatem Advocaturæ posse, Dd. communiter colligunt, licet infames & Judæi Procuratores esse possint *L. fin. C. de postul.* Ad quos etiam referuntur illi, qui immodicâ avaritiâ æstuant, & nimiâ habendi cupiditate rapiuntur; hi enim quoniam pro quovis & in quacunque causa postulant, sibi malæ famæ nomen comparant, quos omnino rejiciendos esse, statuit Joh. Damhoud. *in Pr. rer. civil. c. 129. n. 8.*

52 Sed hæc iterum ex dispositione civili ita se habent, quæ si in genere & extra considerationem Reipubl. consideres, in Conscientia nihil concludunt. Certe delictum nullum tantum est, nec ulla tanta infamia, quæ ab humanitatis officiis alteri præstandis eximat condemnatum aut infamatum. Supponamus enim, omni beneficio ac favore indignum, ob admissa in Societatem civilem crimina, esse hominem ejusmodi; inde tamen non liberatus ipse erit, quò minùs aliis in Reipubl. bene faciat & patrocinando, si alii defint, utilitatem aliorum promoveat. Unde dicendum putamus, Advocatum ab officio penitus remotum, in Conscientiâ sua teneri patrocinium causæ recipere, si vel Magistratus id mandet, vel necessitas aliorumque Advocatorum inopia hoc exigat, quia Nemo ex delicto suo

suo vacationem consequi debet aut immunitatem. Aliud autem dicendum esset, si propria sponte amplius patrocinari vellet.

Quæritur, an Legitimus salvâ Conscientiâ Advocatus esse possit? 54
 Videtur, quòd non, si rigorem dignitatis attendere, & præcisè ob maculam aliquem ab hoc officio excludere velimus. Legitimus enim sive per subsequens matrimonium sive per Rescriptum Principis revera retinet maculam, adeò, ut nec DEUS facere possit, ut Spurius non sit Spurius, quia hoc non cadit sub Objectum Divinæ vel humanæ potentix; sed si hinc 55
 fit aliqua legitimatio vel per Patrem vel per Principem, tunc illa non tollit ipsam maculam, sed impedit tantummodò effectum maculæ, ita nimium, ut æquali jure honoreq; cum aliis ex honesto thoro natis fruatur legitimatus, præsertim si sectetur artem illiberalem. Germani dicunt: 56
Das er kan in Guld und Gevercke kommen. Ergo stante causâ scilicet maculâ, stat effectus sc. Prohibitio Advocaturæ. Quicquid tamen sit, 57
 in foro Conscientiæ pariter & civili ejusmodi legitimum censere admittendum, præsertim si sit bonorum morum; deinde sufficit in foro civili, quòd tantummodò effectus maculæ sit sublatus. Limitandum tamen 58
 hoc est, ut hoc procedat, nisi in quibusdam judiciis & ille penitus ab Advocatura excludatur, quemadmodum in *Ord. Cam. Imp. part. 1. Tit. 18. pr.* *Von Personen der Advocaten und Procuratoren/* expresse cautum, *Das die Advocaten rechter/ natürlicher und ehrlicher Geburt seyn sollen/* ibi enim ejusmodi legitimatus salvâ Conscientiâ ob prohibitionem legis, quæ ut civilis sit, in Conscientiâ obligat, patrocinari non potest vid. B. Dn. Schröterus in *Fasc. Cas. Consc. p. m. 15.* Addatur ad hanc quæst. etiam Agricola *de Off. bon. Advoc. c. 17.*

An verò salvâ Conscientiâ infamis vel legitimatus Clientibus consilium dare possit, quam Cautelam Cœpolla, primus ille Cautelarum Collector, Advocatis advocare prohibitis *Tr. Cautelarum caut. 156.* suppeditat, quod idem est, ac advocare, nunc non disputo. Vid. B. Dn. Brunnem. *ad L. 1. C. de postul.* Consilium dare sanè res est ex humanitate profecta, quod nemini denegandum, nisi ex speciali ratione per LL. Reipubl. libertas consulendi restricta. Vid. Fagundez in *Præcept. Decalog. Tom. 2. lib. 8. c. 38. n. 1.* An verò excommunicatus rite postulet, vid. Diana *Resolut. Moral. Tom. 5. Tr. 1. Resolut. 113. §. 1. p. 74.* cujus Decisio etiam ex superioribus capi potest.

Obiter hic quæritur, an etiam Pastor aliquis salvâ Conscientiâ patrocinari possit? Videtur, quòd non, quia ipse tam arduo officio tot sc.
 ani-

animas custodiendo, fungitur, cui vix sufficere potest; si igitur proprium Officium derelinquat immiscens se alieno, omnino peccat contra Conscientiam, culpamq̄ contrahit *L. culpa 36. ff. de R. I. vid. tot. tit. x. Ne Cleric. Secul. negot. se immisc.* Veruntamen sciendum, bifariam aliquem à munere repelli posse, scil. vel propter impotentiam vel propter indecentiam; & impotentiam aliquem planè excludere; indecentiam verò, quia illud, quod indecens nunc est, per necessitatem condecens fieri potest, certo casu admittere. Si igitur necessitas ingruat, Sacerdotes etiam pro Ecclesiis, pro se suisq̄ usq̄ ad quartum gradum patrocinari possunt *Auth. Licentiam C. de Episc. & Cler. L. petitionem 13. de Adv. div. Judicior. c. clerici & c. cum Sacerdotes X. de postulat. D. Thom. 2. 2. quæst. 71. art. 1. Armilla verb. Advocatus num. 5. Sylvester verb. Advocatus num. 2. Fagundez. in Præcept. Decalog. Tom. 2. lib. 8. c. 38. num. 2. Azorius Instit. Moral. Tom. 2. part. 3. lib. 13. c. 29. quamvis aliàs Advocatura ipsis admodum sit indecens. Dom. Soto de J. & J. lib. 2. qu. 8. art. 2. Laymann. Theol. Moral. lib. 3. Tr. 4. c. 26. n. 10.*

64 Quid verò, si alius defecerit Advocatus, & Ministro Ecclesiæ in sua fuorumque causa postulandum sit, damnum verò inde sit passura Ecclesia? Et puto Advocatione etiam in sua causa abstinendum esse. Quamvis enim & contra Ecclesiam defensio licita; Advocatio verò defensionis species sit; Ubi tamen Ecclesia ipsa Ministrum non lædit, sed tertius aliquis, contra hunc verò cum damno & periculo Ecclesiæ se defendere velit Minister, peccabit gravissimè, privatum ac temporale commodum irreparabili Ecclesiæ detrimento anteponens. Porro & scandali ratio hîc habenda Ministro Ecclesiæ, quamvis enim officium suum ille non negligat, si tamen aliorum litibus promovendis sæpius pro tribunali contra *L. 17. C. de Episc. & Cler.* appareat, exemplo Auditoribus suis nocet, quod ipsi per 65 Conscientiam cavendum. Ceterum & Ludimoderatores & Custodes seu ædituos ab advocando & patrocinando repellendos esse, ex constitutionibus Saxonis probat Carpzov. *Jurispr. Eccles. lib. 1. def. 89.* quamvis his tantum per Conscientiam liceat, in quantum officii ratio non refragatur.

66 Restat sãm, ut quædam de Qualitatibus Advocati tam internis quam externis dicamus. Primaria igitur Qualitas Advocati est, ut sit pius & religiosus, Agricola *de Off. bon. Advocat. c. 21. pr.* ne verum sit illud commune Advocatorum opprobrium: *Die Juristen sind böse Christen: Pietas enim grata est DEO Cic. 1. de Legibus* & sicuti ad omnia, ita vel maxime

Advo-

Advocato utilis est, promissionem habens hujus & futuræ vitæ. Nisi enim Advocatus de DEO, statuendo scilicet DEUM esse in Cœlo, qui omnia dicta attendat, cordisque viscera scrutetur, quem nunquam fallere possit, etiamsi homines fallat, & Religione benè sentiat, non est in numerum Advocatorum recipiendus *L. fin. C. de postul.* quia ejusmodi, excusò Divini Numinis metu, totam tantummodò Rempubl. conturbaret, Bouric. *de Off. Adv. c. 3.* Quare Atheus, scilicet **practice talis**, (nam Atheum speculative talem in rerum natura non dari puto, quoniam nulla est anima, quæ ratiocinari potest, in cuius Conscientia non loquatur DEUS) Advocatus esse non potest, quia non DEO, multò minus ergò hominibus fidem servat. Pietate autem adversus DEUM sublata, fides & socialis ille amor tollitur. Imo nec Hæretici Advocaturâ fungî possunt *Constit. Frider. Imper. de Stat. & consuetud. S. Credentes Collat. v. Constit. fin.* quod tamen in Belgio alibiqve non adeo stricte observatur. Quare Advocatum, qui non est Christianus, *L. Nemo is. de Episc. audient.* etiam recipiens punitur *L. ult. C. de postul.* Non autem soli Romano-Catholici patrocinari possunt *L. fin. C. de postul.* sed etiam Protestantes ex Imperii *Constit. in Cam. Imper.* Nam hæc in Imperio ex Transactione Passaviensi, præcipue verò ex Instrumento Pacis paria cum Romano-Catholicis Jura competunt, unde & Adfessorum munere in Camera funguntur, vid. Dn. de Monzambano *c. 5. §. 20. p. m. 91.*

Secunda Qualitas est, ut sit Conscientiosus, nihilque agat fucate vel false, quod DEUM vel Proximum lædere possit; sed si actio ipsi suscipienda, illam deligat, quam Conscientiam veram & justam judicat, quia Justitia causæ securitatem affert Conscientiæ, Injustitia tormenta ac laniatus. *ὁ πᾶν Hugo Grotius de I. B. & P. Proleg. n. 20.* Conscientiæ enim dictamen est, nihil dici fierive debere, quod verum non sit, quodve damnum possit inferre proximo. Magnif. Dn. Zieglerus in *Dicass. Conclus. 35. §. 44.* Obque id præditus homo nobilissimâ animâ, (inde dignitas hominis præ brutis) quæ insigni lumine circa cognoscendas & dijudicandas res pollet Dn. Pufendorf. *de I. N. & G. lib. 1. c. 3. §. 1.* Imò si Actionem movendam prius in Conscientiæ foro examinarem, minorem litium segetem haberemus, uti piissimus Germaniæ Papinianus, B. Dn. Brunnemannus *Process. civ. 1. n. 12.* admodum graviter statuit. Unde Christianis litigaturis de bono, Christiano & conscientioso, non litigioso sibi providere Advocato s'vadet Parthen. litig. qui alias vero nomine est Jurgo-Valentin. Winther/ Decus illud quondam Jurisprudentiæ in patria

- tria mea, *lib. 1. c. 3. n. 41.* quia dici solet, cum litigatoribus melius agi, si habeant bonum & conscientiosum Advocatum, quam bonum Judicem.
- 72 Joh. Pet. Ala *Tr. de Advocat. & Causid. Christ. p. 1. qu. 44.* Sit ergo, ut totam Conscientiam Advocati in compendium redigam, Advocatus verax in sermone, cautus in consilio, fidelis in patrocinio, justus in judicio. Döring. *sub voc. Advocat. Assert. 332.*
- 73 Tertia qualitas est, ut sit eruditus *L. Nemini 11. §. C. de Advocat. div. Judicior.* hinc debent antea examinari *Auth. Hodie §. Patroni C. de Judic.* quamvis hodie in plerisque locis non à Doctoribus, sed à numero aucupatoribus, nec in scientia, nec de quinquenni studio; sed in marsupio quid possint, examinentur, uti testatur Jodoc. Damhoud. *in Prax. rer. civil. c. 129. n. 30.* Eruditio autem indefesso studio acquiritur, si scil. per quinquennium Juris studio operam navaverit *L. Jubemus. 3. §. Nec de cetero 4. L. petitiones 5. §. nec de cetero. 4. cum §. sequ. C. de Adv. div. Judic. Azorius Instit. Moral. Tom. 2. part. 3. lib. 13. c. 29. quod & Constitutione Regia art. 8. à Ludov. XII. in Gallia cautum esse anno 1512. Döring. sub voce Advocat. Assert. 190.* testatur; quamvis id ita rigorosè non observetur, si ipsius
- 74 eruditio aliàs sit spectata *L. Nemini 11. §. non aliter. 1. C. de Advocat. div. Judicior.* Unde & à quibusdam Principibus hoc quinquennium in quadriennium mutatum esse hodiernum, refert Zæsius *ad ff. tit. de postul. num. 3.* Eruditus autem non debet vulgari, sed eminenti modo esse, quia non sufficit, morem illius Judicii, in quo versatur, longo usu quodammodo assecutum; in reliquis verò, præsertim si de facti jurisve questione dis-
- 75 rendum, penitus rudem esse. Quare laudabilis est mos Saxonum, qui neminem ad Advocaturam admittunt, nisi qui publicum eruditionis suæ testimonium à Juris Professoribus exhibere possit *Tit. 3. der Process- und Gerichts-Ordnung. §. Besonders aber wollen wir zc. Carpz. ad P. 1. Constit. Elect. 1. Def. 18.* ubi tale præjudicium producit: Da er nun auch seine Testimonien, daß er auch Universitäten gewesen und Jura studiret/ von seinen Præceptoribus, so er gehöret/ zu den Acten bringen/ und Er also auch seine Person genugsam geschickt machen würde/ so wäre Beflagter zc. Addatur Fibig. *Process. Civ. c. 2. §. 1.* Qualia Testimonia, Francofurtenses nostri Juris Antistites sedulis Legum Cultoribus abituris, qui antea nomen suum apud amplissimam Facultatem professi sunt, tradere velle, præterlapsò annò, salutariter constituerunt. Quamvis non quolibet Testimonium morum vel studiorum ex Academia reportasse sufficiat, uti testatur Mevius *Part. 1. Decis. 189.*

Hinc

Hinc patet, quā Conscientiā inepti quidam Fratres ignorantia pa- 76
 atrocinentur, ut sanè verissimum sit, quod habet Eberhard. à Weihe *de*
Van. glor. mund. p. 36. inquiens: *Sicuti in Comædiis larvæ, ita pro 7Ctis Le-*
gulei, pro militibus latrones, pro Politicis Nebulones, pro Oratoribus Procuro-
ratores, Rabule, pro Historicis pueri, pro Advocatis Scribæ & Opifices exhiben-
tur. Sed hinc illa lacruma: hinc in Veteratum illud odium: hinc male-
 dicentia illa adversus Advocatos; Ejusmodi enim Socii non possunt non
 DEUM & Proximum gravissimè lædere, quia illud profiteri cupiunt, quod
 nunquam didicerunt: Hi imperiti terræ filii id agunt, ut quilibet, etiam 77
 bonus Advocatus viris Principibus & Plebejis malè audiat; quare enim
 aliàs quondam Regès Hispaniæ Doctoribus Juris & Advocatis migratio-
 nem in Indiam publico Edicto vetuissent, nisi malas præsumptiones
 à toto hoc ordine concepissent. vid. Carpzov. *Jurispr. For. P. 1. Con-*
sist. 1. Def. 18.

Fingit admodum facetè Trajan. Boccalin. *in Relat. ex Parnaß. Cent. 1.*
Relat. 83. Doctores & Advocatos apud Apollinem de abolendo hoc Edi-
 cto Hispanico multis aliquando precibus instituisse, ostendendo ipsi digni-
 tatem, utilitatem, necessitatem & difficultatem Studii Juridici; quibus ta-
 men, sicuti Versio germanica ex Italico fonte sonat, iratus respondit: Er 78
 könnte sich nicht genug verwundern/ daß sie in seiner Gegenwart vor-
 geben dürfften/ wie sie so grosse Mühe und Unkosten auff die freye Kün-
 ste wenderen/ da doch das Delphische Edict männiglich bekand wäre/ in
 welchem das Studium Juris nicht für eine freye Kunst/ sondern für ein
 Handwerck wäre erkannt worden/ dadurch die Menschen/ als mit einer
 sonderlichen Straff/ zu martern und zu plagen/ dabey weder Freude
 noch Ergegligkeit zu gewarten/ auch kein sonderlicher Verstand erso-
 dert würde/ und daß alle die jenigen/ so sich darauff legten/ solches aus
 Geiz und schänden Gewinßes wegen thäten/ den Bauch mit Thalern/
 wie die Sau mit Eicheln zu füllen: dann ob schon solche Leute nicht gar
 hohes Verstandes sind/ wie zu andern Studiis ersodert wird/ so können
 sie doch leichtlich grosse Advocaten werden/ wann sie nur gute Ochsen-
 Köpffe und starcke Esels-Rücken haben/ damit sie alle Arbeit ausstehen/
 und den Karren wacker in den Roth schieben können. Hæc ille.

Verum tota res clara erit, si modò boni & eruditi Advocati discer- 79
 nantur ab impudentibus & indoctis Rabulis, von den Zungendreschern/
 dictis à rabie, morbò caninò, germ. wann die Hunde toll sind; hi omni-
 nò tanquam rabiosi canes in homines irruunt, illos lacerant, & imraa-
 nibus

nibus lãtrãtibũs Dicasteria & Curias implent; quibus nihil inhumanius est, utpote, qui eloquentiam a natura ad salutem hominum datam & conservationem, ad perniciem convertunt. Cic. *lib. 2. Off.* quod tamen de omnibus dicere velle, longè absurdum erit. Hæc de Qualitatibus internis.

- 80 Restat, ut etiam breviter aliquid de Qualitatibus Advocati externis afferamus. Ubi (1.) requiritur, ut sit convenienter vestitus. Sicuti enim avem ex pennis, ita Virum ex vestibus disjudicamus. Præterea Advocati dicuntur Sacerdotes *L. 1. ff. de I. & I. Sacerdotes* autem benè vestiti esse debent *L. Sancimus 21. C. de SS. Eccles.* Hinc Juven-
Satyr. 7.

— — — — — purpura vendit
Causidicum, vendunt Amethystina, convenit illis
Et strepitu & facie majoris vivere census
Ut redeant veteres. Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.

Quamvis sola vestis, si desit scientia, Advocatum non faciat. *Just. Ordeop. Tr. Cautel. criminal. Caut. 5.* siquidem nihil risibilius est ruditate splendide vestitã. Olim verò Togati dicebantur Advocati à toga, veste

- § 1 talari *L. pen. C. de postul.* De more Gallie cisalpinæ & Italie Advocati vestibus nigris utuntur, quia, sicut niger color invariabilis, ita & Advocatorum mens immutabilis esse debet, *Döring. sub voc. Adv. Assert. 510.*
§ 2 Agricola *de Off. bon. Adv. c. 23.* Parthen. *litig. l. 2. c. 7. n. 27.* Quid circa Vestitum Advocato in Conscientia observandum, specialem non meretur discussionem, communia enim cum reliquis hominibus præcepta sunt Advocatis, ut vestitu utantur ad honestatem magis, quam luxuriam spectantes.

- § 3 (2.) Requiritur, ut affabilis & amicabile sit, morosus enim Advocatus difficulter Clientes inveniet. (3.) Ut si eloquens, quò lingua molliter fluenti & verè gloriosa *L. 14. C. de Adv. div. Judicior.* animum Judicis penetret. Quodsi verò nimis phaleratã suadã utatur, veritatem plus contegit, quam detegit; & Judex loquaci Advocato silentium potest imponere. *Paris de Puteo Tr. de Syndicatu sub rubr. de Excess. Advocator.*
§ 4 n. 7. Unde mos dicendi Romanorum, in quo Cicero tunc temporis excellabat, non adeò placet Lancelot. *Polit. Tr. de Off. Advocat. c. 11. n. 8.* quia Orator ut sic, non semper solidissimis argumentis utitur; sed eò unice allaborat, ut Auditorem sepius verborum tantummodo lenociniis moveat.

Caven-

Cavendum autem sedulo est conscientioso Advocato, ne verbositate studeat; sed potius laconice dicat, nam de ejusmodi verbosis Germani dicere solent: **Wer nicht groß thun kan/ der muß groß sprechen.** Digna 86 & huc apprimè facientia verba sunt, quæ Parthen. litig. lib. 1. c. 9. n. 11. ex *Vigiliæ Prefat.* des Richter: Büchleins profert: Es pfleget auch gemeinlich also zugehen/ wann Oratorn für Rechts-Gelehrten gebraucht/ die größten Schwäger und Streit-Köpfe für die besten Juristen gehalten werden. Solche Gefellen wissen das Recht zu drehen/ wie man es haben wil/ wissen böse Sachen zu verblümen und gut zu machen/ mögen kein gewiß Recht leiden/ ziehen alles fürseztlich in Zweifel/ disputiren allezeit/ seyn im Schließen ungewiß. Es kan Ihr einer mehr verwirren/ als ihrer zehen schliessen mögen. Rühmen sich/ daß keine Verschreibung so starck/ dadurch sie nicht ein Loch machen können/ welcher unbesonnenen Nede wegen sie billich in das engste Loch/ so verhanden/ damit sie kein anders machen könnten/ gesteckt würden.

Et sanè, plerumque ubi verborum flumen est, ibi mentis vix gutta esse solet, quibus verbis Theocritum Anaximenem nimis verbosum aliquando reprehendisse Agricola *de Off. bon. Adv. c. 5.* ex Philomene refert. Seu uti Itatorum sonat proverbium: La più trista Kuota del carro sempre cigola, germ. Das schlimmste Rad am Wagen knarret am meisten. vid. Christian. Bessel. *in Auri fabr. Fortune, præcept. 23. c. f.* Quare ut olim Romani prolixitatem Advocatorum abbreviarent, certis clepsydris utebantur, quæ ita dictæ, quòd per aquæ stillicidium tempus distingeretur, quibus exhaustis, nil quicquam amplius dicere licebat, unde originem 87 habet phrasis latina: Ad clepsydram perorare. vid. Dn. Ziegler. *Lumen illud Jctorum Wittebergense, in Dicask. Concl. 28. S. 5.*

Verum hoc non diximus, ac si nimis parcere debeant linguæ, quod communiter facere solent, quando non satis pecuniæ à Clientibus acceperunt; tunc enim langvet ipsorum facundia, quoties jubentur pro Cliente 88 loqui, nec sententiæ sequuntur, nec penè cohærent verba, ut Judices eloquentem hominem credant non naturali vitio, sed causæ infirmitate labascere, Barclai *in Euphorm. part. 1.* sed eo fine hæc adduximus, ut discrimen inter eloquentiam & loquentiam ostenderemus.

CAPUT II.

De

Conscientia Advocati ratione
Clientis.

S U M M A R I A.

- P**atronus & Clientis unde dicantur. num. 1.
- Quid secundum Agricol. olim fuerit jus clientelare. n. 2.
- Quid Advocato circa susceptionem clientium observandum. n. 3.
- An fures, latrones &c. salvâ Conscientia defendere queat. numer. 4. & seqq.
- Quid, si sint notoriè tales. n. 7.
- Responsio ad L. 6. C. de defens. civit. numer. 8.
- Mos Rabularum circa susceptionem clientum. n. 9.
- Cientes nimis litigiosi taxantur. numer. 10.
- Advocatus primum Partes amico modo componere debet. n. 11.
- An clienti certam victoriam promittere possit. n. 12.
- Quo Processu causam expedire debeat. n. 13.
- Quidam Advocato ratione clientis principaliter fugiendum & observandum. n. 14.
- Utrum Salarium licitè accipiat? numer. 15.
- Affirmatur. n. 16. & seqq.
- Resp. ad Negat. n. 19. & seqq.
- Forum Conscientiæ circa hoc excutitur. n. 22. & seqq.
- An etiam aliquid ultra Taxam accipere possit. n. 24. & seqq.
- An licitè de quota litis paciscatur? n. 29. & seqq.
- An pactum ad numerum foliorum valeat. n. 32.
- Quid de Palmario ipsi tenendum. n. 33. & 34.
- Quid si transigant clientes. numer. 35. & seqq.
- Quid, si Clientis illo anno, in quo cum ipso pactum inicit de annua mercede, nullas causas habeat. n. 38. & seqq.
- Publicum circa Advocatorum Salarium remedium. n. 46.
- An Pauperi gratis teneatur patrocinari? n. 45.
- Quinam Pauperes dicendi. n. 47. & seqq.
- Pauperes tenentur jurare de Paupertate. n. 50. & seqq.
- Affirmatur questio. n. 53. & seqq.

Ampli.

Ampliat. n. 55.

Limitatur. n. 56.

Mos Italiae & Neomarchia circa Pauperes. n. 57.

An pro nudo consilio Advocatus licitè aliquid accipiat? numer. 58. & seqq.

An pro secunda Instantia pro eodem Salario patrocinari teneatur? numer. 63.

Quid, si propriam causam oraveris? n. 64. & 65.

Defensurus Clientem causam in scriptis à Cliente postere debet. numer. 66.

Quid ipsi circa dilationes observandum. n. 67.

Non debet sibi crumena Clientis Judicis favorem procurare. n. 68.

Quomodo Clienti suscitanti responsionem respondere debeat. n. 69.

Advocatus tenetur ad compensationem damni per culpam. n. 70.

Debet tantum respondere ad ea, quae sunt Juris. n. 71.

Non debet pravaricari. n. 72. seqq.

Quid, si ex causa injusta Proximo imminet grave damnum. n. 76.

An Clienti injustè ad mortem condemnato fugam consulere possit? numer. 77.

Affirmatur. n. 78.

Quid de justè condemnato dicendum. n. 79.

Debet celeriter Processum ad finem perducere. n. 80.

Quae actio ipsi competat pro Salario. n. 81. & 82.

Quid, si succubueris in causa. n. 83. & seq.

An deneganti Salarium acta denegare possit. n. 85. & 86.

ADvocatus respectu Clientis etiam dicitur Patronus, quasi Pater, & Clientis respectu Patroni quasi Colens, quia ille Clientem paternè defendere, hic verò illum pro tutela præstanda & præstita colere debet; qui cultus tamen non ex obsequio, sed ex defensione promanat. Neque præcis temporibus Jus clientelare aliud, quàm Advocationis munus fuisse, quòd nimirum ob favorem egentium introductum est, quibus permissum erat ex Patriciis Patronos eligere, qui ipsis consulendo & postulando præsent, notat Agricola *de Off. bon. Adv. c. 1.* quamvis Bodinus *de Republ. lib. 1. c. 7.* illud Jus ad Principes potius Personas referat, de quo videntur Jurispublici Dd.

Tota igitur Advocatio, quæ est ipsa Advocati actio, Calvin. *Lexic. Jur.* consistit in eo, ut Clientes habeat, quos defendat, tam in causis civilibus, quàm criminalibus. Ubi tamen Conscientiam suam rectè attendat Advocatus, necesse est, ne scil. quemvis recipiat, qui patrocinium suum desiderat; sed antea secum perpendat, quisnam & qualis ille; an bonus,

4 nus, an malus, an pupillus, vidua, miserabilis, dives, an pauper sit: hęc enim neglectō, nunquam Conscientiam puram servabit. Qua occasione quæritur, an Advocatus etiam salvâ Conscientiâ latrones, fures &c. defendere queat? Et videtur dicendum, quod non, quia *L. per omnes 6. C. de defens. civit.* quam Legem Dd. valde urgent, quos allegat Tiraquell. *de panis temper. caus. 49. n. 30.* & Dn. Struvius in *Synagm. Jur. Civil. Exerc. 7. th. 7.* expresse dicitur: *Removeant patrocina que favorem reis & auxilium scelerosis impariando maturari scelera fecerunt.*

5 Verum contrariâ sententia nobis fixa sedet ex his rationibus, quia defensio est Juris naturalis, ergo nemini deneganda, præsertim, cum Reus ad controversiâ in factō consistentis articulos respondere tenetur, & postea defensione vult uti, Dn. Brunnem. *ad h. l. in Comment. ad C.* ibique allegatus Christin. *dec. 87. n. 3.* ita, ut Dd. exinde colligant, neque Diabolo eam denegandam esse. Præterea dantur sæpe tam simplices Rei; qui propter inopinatos carceres & subitanam statûs mutationem ut plurimum ita consternati esse solent, ut de defensione ipsi cogitare non possint, ergo defensor ipsis dandus est. Vid. Odesop. *Tr. Cautel. crim. tit. 1. caut. 1. n. 5.* Deinde à minori ad majus sic argumentor: Quodcunque licitum est in foro Conscientiæ in re minori, illud etiam in foro Conscientiæ licitum est in re majori; atque licitum est patrocinium in causa civili, v. g. pecuniaria, tanquam minori; ergo licitum etiam est in causa criminali, tanquam majori, ubi non de tritico legato vel glande legenda, sed sanguine humano agitur. Quamobrem salvâ Conscientiâ Advocatus ejusmodi delinquentes defendit; non quidem, ut in totum poenæ eximantur; sed ut tali aut tali poena afficiantur, qualem ipsi meretur delictum, seu ut verbo dicam: Hoc sine delinquenti datur Advocatus, ne innocens rapiatur ad supplicium, vel nocens non graviori, quam meruit, poenâ afficiatur. Vid. Herm. Busenbaum in *Medull. Theol. Moral. lib. 4. c. 3. dub. 3. p. 462.* Gail. *lib. 2. de pac. publ. c. 10. n. 1. & sequ.* Clar. *lib. 5. sent. 5. fin. quest. 28.* Ummius in *Process. Disput. 2. th. 7. n. 38.* Non autem opus est, ut delinquens Advocato ante torturam *ad Largam*, uti loquuntur Dd. ponatur; licet enim in totum defensio reo tolli non possit, defendendi tamen modus restringi potest & limitari. Conf. Dn. Brunn. *cit. loc.* qui etiam notorie criminoso patrocinium, nisi adparent calumniosè & protelandis causis id peti, non denegandum putat. Carpz. *Prax. Crim. quest. 115. n. 90. & sequ.* Magon. *Cynof. Advocat. c. 6. n. 20. & sequ.* Dn. Schröterus in *Fasc. cas. Conf. c. 4. p. m. 26.*

Ad

Ad Legem oppositam respondet Balthasar Gomez de Amescua *Tr. 8 de potestate in se ipsum lib. 1. c. 19. n. 4.* scil. illam non loqui de Advocatorum patrocinio denegando; sed de iis, qui patrandò sceleri autoritate sua, receptatione & auxilio patrocinium præstiterunt, & minis aliisque artibus illicitis reis impunitatem quærere solent, ut quidam Potentes, qui perditorum hominum operâ utuntur, quos per fas & nefas defendere volunt. Hæc ille. Hinc Cic. *lib. 2. de Off.* non religioni contrarium habendum est, nocentem aliquando & nefarium, impiumque defendere, vult hæc multitudo, patitur consuetudo, fert & humanitas. Judicis est, semper in causis verum sequi, Patroni nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere.

Qui verò sunt de ordine Rabularum, sine delectu Clientes recipiunt, per fas & nefas illos defensuri. Hi inquit, salvificum illud dictum *Matth. 11. v. 28.* in pessimum sensum, horrendum dictum! detorquentes: Venite ad me Omnes (Clientuli), qui laboratis (id est, malas causas habetis) & onerati (id e. locupletes) estis, & ego reficiam (decipiam) Vos. *Berlich. part. 1. Concl. 9. n. 62.* Hi sunt illi, qui causas differunt & producunt longissime, cum tamen expediat & Reipubl. & Clientibus paucas lites bene agere, quam multas malè defendere. Quamvis etiam negandum non sit, dari quosdam Clientes, qui sapius de asini umbra rixantur, suis divitiis freti, ut pauperibus tantummodo negotia faceant, vel aliàs litium sunt amatores; quibus tamen sæpe accidit, quod duobus illis Nobilibus litigaturis pœnè accidisset, qui in unum eundemq; Advocatum præter spem inciderant, ubi prioris causam quidem suscepit Advocatus; ultimò advenientem autem, cum & ipsius causam bene explorasset, excusans se multitudine causarum & temporis penuriâ, his commendatiis ad alium Patronum ablegavit: *Lieber Herr Doctor und Bruder/ ich schieße dir hiemit eine feiste Gans/ sihe/ daß du sie wohl berupffest/ ich wil der meinen auch ihrer Federn nicht schonen.* *Lud. Dunte in Cas. Consc. c. 10. quæst. 89.* Sed quis tamen hic in culpa? Si Advocati ejusmodi rixosis non patrocinarentur, etiam illi non litigarent. Bene igitur videat Advocatus, quem defendat, aliàs vel millies Conscientiam vulnerabit.

Quod si verò tanti res sit, ut mereatur Processum, Conscientiæ suæ quam maxime consulit, si amicò potius modò litem componat, svadendo scil. transactionem, si causa sit dubia, *Herm. Busenbaum. in Medul. Theolog. Moral. cit. loc. p. 463.* vel ostendendo Clienti varia litis incommoda,

Bouric. *de Off. Adv. c. 5. p. 18. & 19.* Fibig. *Process. civil. c. 2. Membr. 3. §. 4.* Conf. Pufendorff. *de J. N. & G. lib. 5. c. 13. §. 3.* quæ incommoda graphice & exacte describit Olorinus in *Etographia Mundi part. 4. fol. 175.* quàm si molestissimo illo Processûs remedio utatur, quia Processus, uti bellum, est res dubii eventus *L. quod debetur 51. ff. de pecul.* nec propterea Clienti indubitata semper victoriâ salvâ Conscientiâ promitti potest, juxta illud Ovidii:

Non est in Medico, semper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Vid. Justus Oldefop. *Tr. Caut. crim. tit. 1. caut. 5. n. 9.* Parth. *litig. l. 2. c. 7. n. 31.* siquidem ipse Iustus Paulus *L. quaesitum. 78. §. cum Vir. 6. de Legat. 3.* ait: *Ego apud fidei Commissarium Praetorem petebam, nec obtinui.* Unde patescit, quàm graviter vulnerent Conscientiam suam quidam Rabulæ, qui Clientibus suis statim sub initio litis causæ triumphum juratò promittunt, additâ detestabili execratione: *Der Teufel hole mich, wenn ihe nicht solt den Proceß gewinnen.* Nam profectò idem est, ac si Medicus ægotanti juratò promitteret sanitatem, quod tamen est folius DEI, ficuti etiam victoriâ causæ non est penes Advocatum, sed penes Judicem. Quod si tamen nihilominus Cliens, spreto omnibus monitis, litigare velit, (siquidem reperiuntur quidam, quibus litigare quotidianum est opificium) instruat Processum, si qualitas causæ non resistat; non tamen ordinariò, sed quantum potest, summariò causam expediat, quem ultimum, si modò vellent Principes & Status Imperii, omnibus causis ventilandis sufficere, ordinario sive solenni neglecto, pie & eruditè ostendit B. Dn. Brunn. *Process. Civil. c. 1. n. 27. & sequ.*

Ut verò Conscientia Advocati ratione clientis liquidior pateat, hæc duo ab ipso requirimus, scil. ut fugiat Avaritiam & sectetur Fidelitatem. Et quoniam ante omnia Advocati sibi de Salario pro præstandâ operâ prospicere solent, nunc disquirendum veniet, utrum illud salvâ conscientiâ accipere possint à clientibus; Negativa forsan probari posset ex his fundamentis, quoniam alterum defendere est opus misericordiæ, quod gratis debetur. Huic etiam adsentitur tam Sacer, nim. Non accipies personam, nec munera, quia munera excoscant oculos sapientum & commutant NB. verba justorum. *Deut. c. 16. v. 19.* Ignis devorabit tanquam macula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Hioh. c. 15. v. 34.* quam unus Codex, v. g. *Lucrum & pecuniam negligere debent, nec orare*
ob

ob turpe compendium stipemque deformem; sed ob laudem *L. Quisquis* 6. §. 5. *C. de postul.* nullibique minus liberalitas, quam in iudiciis exerceri debet, quoniam ibi per se suum cuiusq; tribuendum est. Deinde Scientia Juris à DEO est, ergo pecuniâ æstimari non poterit. Verùm affirmati- 16
va verior est, ex hoc fundamento, quia omne illud, quod hominis proprium bonum, sicuti Scientia Juris proprium bonum est Advocati, citra injuriam vendi potest. Unde in *can. non licet* 71. q. 3. & *can. non sanè* 14. q. 2. §. 6. dicitur, licere Advocato vendere justum patrocinium; ubi tamen verbum vendere, non importat mercedem & pretium in præstitæ operæ compensationem, (Jurisprudentia nostra enim non est quæstuar-
ria) sed grati animi potius declarationem. Add. *Dn. Zutterbach in Fr. Synopt. ad tit. ff. Locat. §. 1. n. 9.* Bachov. ad *Treit. Vol. 1. disp. 29. tb. 2. lit. g.* Non nescimus equidem, apud præcos Romanos gratuito Advocos 17
causas egisse, uti patet ex *L. Cincia*, teste *Tacit. lib. 11. Annal. in pr.* & *Ovi-
dio Eleg. 1.*

Turpe reos emtâ miseros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

Certissimum tamen est quoque, Neroñem Imperatorem Anno 54. 18
post Christum natum regnantem Advocatis Salaria constituisse, uti refert *Svetonius* in ejus vita c. 17. ergò licitè vendunt patrocinia *L. 1. §. ait Præ-
tor. ff. de postul. L. 1. C. de suffrag. L. Si quis de Togatis 9. C. de Adv. div. Ju-
dicior. & debetur illis Salarium, etiamsi nihil conventum sit L. 1. §. in ho-
noriariis ff. de var. & extraord.* Quod honorarium tunc temporis etiam
pro una causa usque ad 100. aureos, qui sunt 250. aurei vel coronati no-
stræ pecuniæ, referente *Döring. sub voc. Adv. Assert. 619.* augeri potuit *d. l. 1. §. 12. de extraord. cognit.*

Resp. igitur ad primam Objectionem neg. defensionem alterius hoc 19
in passu simpliciter esse Opus misericordiæ; sed degenerare quandoque
tantum in illud, si v. g. egeno Advocatus patrocinetur, ergo adhuc mea
adfertio firmo stat talo, Advocatum nimirum Advocationem salva Con-
scientia posse vendere. Ad illud, quod nimirum Scientia Juris sit à DEO, 20
resp. concedendo hanc quidem esse à DEO, verùm non per habitum in-
fufum, sed acquisitum, qui habitus acquisitus cum non gratis hîc acquirat-
tur, igitur illud, quod per habitum illum efficitur, non semper etiam gra-
tis est reddendum. Vel respondeo per instantiam: Omnes res sunt à
DEO, ergo omnes res gratis sunt reddendæ; Jejunâ sanè consequentia!

- Et idem de Sacerdotibus dicendum foret, qui itidem pro docenda Doctrina Christiana, quæ utique est à DEO, Salarium accipiunt; ergo & isti graviter peccant, cum tamen Sacer Codex innuat, quod illi, qui sacris operantur, ex sacrificio vivere, qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivere debeant *1. ad Corinth. c. 9. v. 13. & 14.* Imò defenderem, Advocatum etiam ditissimum salvâ Conscientiâ pro suo patrocinio Salarium accipere posse, quia Jus naturale non præcipit, ut cuilibet gratis serviamus, etiamsi Pactolus largissimè nobis fluat. Add Sanchez. *Tom. 1. Consil. Moral. lib. 2. c. 3. dub. 4. n. 2. & dub. 5. n. 1. & seqq.*
- 22 Id tamen omninò secundum conscientiam adferendum esse puto, omnia, quæ nobis à DEO concessa, quibus nos sine gravi damno carere possumus, proximo gratis communicanda esse, si hîc necessitatè summâ illis opus habeat nec ob inopiam refundere quicquam possit. Id enim humanitatis leges exigunt, imò civiles quoque LL. adprobant, ut, quod tibi non nocet, alteri verò prodest, ad id Tu obligeris *L. 2. §. 5. ff. de aqu. & aqu. pluvi. arcend.* Advocatus ergò, si viderit aliquem injuriam pati, cui bona non suppetunt, quibus Patronum causæ sibi conducatur, omninò ipsi succurrere, eundemque, ne per inopiam sub justissimo succumbat clypeo, defendere gratis per conscientiam tenetur, uti inferius de Advocato
- 23 pauperis dicam. Ceteræ Objectiones tantum eò tendunt, ut non supra modum munera & Salaria accipiant, excoriantes quasi Clientes; sed rationem habeant qualitatis causæ & litigantium. Dôm. à Soto *de J. & J. l. 5. quest. 8. art. 4.* nihilq; ultra Taxam Judiciorum accipiant; ibi enim taxatio Salarii perinde se habet, ac frumenti pretium lege taxatum, ultra quod aliquid accipere injustitiæ crimen est. Quod si tamen clientis causa manifestò requireret majorem operam, quam ratione officii deberet Advocatus v. g. si duceret noctes infomnes, ut citius, quàm aliàs deberet, clientis causam expediret, licitè majus pretium, quàm taxatum est, recipere potest. Conf. Rebellus. *part. 2. de Obligat. Justit. lib. 18. quest. 20. num. 5.* quoniam aliàs sanè cliens cum jacturâ Advocati fieret locupletior & Advocatus aliis inservièndo seipsum consumeret, quale Emblemata, Candelam scil. ardentem cum hac inscriptione: Aliis inservièndo consumor, sibi elegit Dux ille Lüneburgensis, nomine Ernestus, Rhokier *lib. 8. 1b. Polit. c. 19.* Justa autem & legitima Salaria nequaquam improbantur, ita, ut Salaria etiam nimis magna; à sponte offerente & bonis abundante salvâ Conscientiâ accipi & retineri posse, statuatur Döring. *sub voc. Advocat. Assert. 620. Conf. L. 1. §. 5. de extraord. cogmi.* Addo, modò
- finità

finitá lite fiat & modò donantem moneat, sibi hoc indebitè solvi, adeoque 25
 prius recuset donationem illam nimis liberaliter factam acceptare. Si
 tamen donans nihilominus instaret ipsique hanc liberalitatem quasi ob-
 truderet, illam acceptare & retinere salvá Conscientia Advocatum posse,
 præsertim si illam per metum vel fraudem non extorserit, nullus dubito.
 Conf. Rebellus *Part. 2. de Obligat. lib. 18. quest. 8. n. 3.* Et hinc etiam ultra 26
 Salarium munuscula ad esum & potum, Germ. *Geschencf in die Küche*
 accipi ab Advocato posse, statuunt Molina *Tom. 1. de Jus. disp. 88. vers.*
primum est. Lessius *de J. & J. Tom. 1. lib. 2. c. 14. n. 72.* Hagundez. *in Præcept.*
Decalog. Tom. 2. lib. 8. c. 27. n. 9. quæ aliás Xenia vocantur *in L. Solent. 6. §. ult.*
ff. de Offic. Proconsf. quem textum tamen, uti quidem communiter volunt,
non de Xeniiis Judicibus, sed Magistratibus in Provincias missis à Provin-
cialibus illius loci oblatis agere, docet Dn. Præses Tr. de Jur. Sensf. Dissert.
6. c. 4. n. 41. Nec refert, donantem finem exoptatum expediendi nego-
 tii non adsequi. Veig. *lib. 2. Cas. 98.* quàmvis tutius agere ab hisce absti- 27
 nentem existimet Dn. Ziegler. *in Dicast. Concl. 20. §. 35.* cum etiam è mini-
 mis inordinata affectio atque adeò Conscientiæ corruptio faciliè suboriri
 possit; imò impossibile sit, ut dona accipiens non aliquo adfectu in do-
 nantem moveatur & proinde non semper agat, quod justum est, idem *in*
Dicast. Dissert. prælim. n. 16. licet tanti non sint lepus, cuniculus, capo, ca-
 prea, perdix, pavo, lucius, murena, salmo aut varia vinorum genera, ut
 Advocatus probus hisce corrumpi deberet. vid. Carpzov. *Pr. Crim. P. 2.*
quest. 93. n. 61. Nonnulli Dd. tn. ut Boër. *Decif. 153. n. 4.* Prosper. Farinac.
Oper. Crim. quest. 111. n. 250. in fin. pro modicis eduliis hæc recensita ven-
 ditant, adeoque licite accipi posse statuunt; Verùm totam hanc rem cu- 28
 jusvis Advocati conscientiæ, qui ex qualitate personæ offerentis, quanti-
 tatem eduliorum faciliè æstimabit, committendam esse, censeo. Vid. Dn.
 Præses *d. Tr. cit. loc. n. 46.*

Quoniam verò, cum clientes, uti ingeniosus Barclajus loquitur *in*
Euphorm. part. 1. prolixam mali seriem dolentibus verbis & ipsis penè ge-
 mitibus in conspectum dant, nec pro re moveri solent, sed cum medium
 ejus, quod ex lite clientis consequuntur, promittunt, tunc demum alle-
 vare oculos, mulcere animum, dolorisque ultionem promittere solent,
 quaritur, An Advocatus salvá Conscientiá cum cliente de quotá litis pa-
 cifisci queat? Et resp. ejusmodi paciscentem mortale & conscientiam gra- 29
 vissimè vulnerans peccatum committere, quia hac ratione efficit se re-
 demtorem litis, perq̃ fas & nefas studet, ut ab adversario reportet vi-

- storiam & promisso tandem præmio fruatur. Azorius *Instit. Moral. Tom. 2. part. 3. lib. 13. c. 29. Add. L. 53. ff. de pact. l. 15. C. de Procurat. l. 5. C. de possul. Dn. Struvius, in Syntagm. Jur. civ. Exerc. 6. lb. 44. Paris de Puteo, Tr. de Syndicat. sub Rubr. de Excess. Advocat. n. 17. unde piraticam ejusmodi pactiorem vocat Quintil. lib. 12. declam. c. 7. vid. Speckhan. *Quest. Jur. cent. 2. Class. 4. q. est. 45.* Imò audaçter adsero, hoc pactum labe peccati non carere, etiãsi fiat cum probo Advocato in causa justa, quamvis id licitum esse statuatur Diana in *Resolut. Moral. Tom. 6. Tr. 3. Resolut. 170. §. 8.* Negantiumq; opinionem solum in foro exteriori; non autem in foro conscientie, ubi DEUS videt veritatem & pactum inter advocatum & Clientem, procedere adserat. De hoc enim pacto nunquam aliquid boni præsumi potest; sed semper avarum Advocati animum indicat, cum tamen quæstus & avaritia sint quasi duæ lacunæ, è quibus omnes injuriæ & maleficia defluunt. Eodem modo necq; pactum ad numerum foliorum valere potest, quia hac conventionem datur occasio prorumpendi in multiloquium, Speckhan. *quest. Jur. cent. 1. quest. 34.* quamvis Advocatorum scripta in Camera non æstimentur ad foliorum quantitatem; sed ad eorum bonitatem, uti testatur Walther. *de privileg. Dd. c. 18. quest. 85.* quod & sub Tit. von der Advocaten und Procuratoren Befoldung/ *Ordinat. Pomer. expresse cautum.**
- 33 De Palmario, dicto à Palmâ, signo Victorie, quo de mentio fit in *L. 1. §. Si cui cautum 12. ff. de extr. cognit. & describitur, quod sit Donum vel munus, quod Advocatis à clientibus suis Victorie causâ, extraordinaria gratitudine & liberalitate exhibetur, Dn. Lauterbach in Diss. de Palmari. Adv. c. 2. th. 4. n. 1.* sciendum, Advocatum illud salvâ Conscientiâ à cliente sponte offerente accipere lite finitâ posse, quia metus calumnie lite jam sopitâ non amplius subest. B. Dn. Brunn. *Tr. de Cession. action. c. 2. n. 49. & 56. Lugo de 7. & 7. disp. 41. Sect. 1. n. 13.* licet salvâ Conscientiâ peti vel efflagitari non possit, quoniam contra juramentum sub initio Advocaturæ prælitum ageret & clientem liberâ donandi voluntate privare conaretur Advocatus. Est enim Palmarii datio donatio simplex, ex sola liberalitate profecta & neutiquam remuneratoria, proindeq; præsupponit animum donandi liberum.
- 34 Quod si verò ante coeptam litem vel lite pendente, ubi cliens jam Advocato omnia causæ Secreta patefecit, in casum victorie, palmarium quoddam à cliente ipsi promittatur, melius consulit sue conscientie, præsertim si juraverit, se legitimum Salarium nullis pactiõibus adaugere velle, si nihil accipiat, quia per ejusmodi promissionem palmarii facile

concessio suboriri potest; omnia enim cliens, (qui quidem promittendo Palmarium, graviter etiam in Conscientia peccat, cum per hoc quasi Advocatum ad injustè agendum adlicit,) daturus præsumitur, ne in causa succumbat. Joh. de Lugo *de J. & J. Diss. 41. Sect. 1. n. 12.* Sanchetz. *Consl. Moral. lib. 6. c. 7. dub. 9. n. 1.* Conf. B. Dn. Brunn. *ad L. 1. §. 12. ff. de extr. cognit.*

De eo autem quàm maximè disceptari solet, an Advocatus, Partibus inter se transigentibus, nihilominus Salarium salvâ Conscientiâ petere possit; tamen enim Partes per transactionem melius sibi consulant, remittentes aliquid de jure suo, ut evitent maximas aliàs liti molestias & executionis moram & difficultatem, juxta illud commune Germanorum proverbium: *Ein magrer Vergleich ist besser als eine feiste Urtheil*; distinguunt tamen Dd. an Advocatus consenserit in transactionem, an dissenserit. Priori modo nihil, posteriori deberi ipsi Salarium, si modò Clientem docere possit, se fuisse victurum, eò, quòd omnia fundamenta victoriæ præmeditatus fuerit, statuunt, Anton. Matthæi. *Tr. de Judic. Diss. 3. §. 42.* Pet. Ala. *de bon. Adv. & Causid. Christian. quest. 20.* Per ipsum enim non stat, quò minus suo officio fungatur per *L. 38. §. 1. ff. Locat.* Et hoc procedit in multis aliis casibus, v. g. cum ob mala bellica, vel propter advenientem infirmitatem postulare nequit, datum Salarium non tenetur restituere, si interea Clientem alio Advocato uti oporteat Gail. *1. Obs. 44. n. 12.* Carpz. *L. 1. C. 1. Def. 34. P. 2. C. 51. Def. 12. n. 4. & seqq.* Conf. Dn. Lauterbach. *ad Tit. ff. Locat. §. 2. n. 7.* Walther. *de privileg. Dd. p. 111. & 114.* Joan. Wamesius *Tom. 2. Consilior. Canon. Conf. 272. n. 34.* Imò debetur ipsi totius anni Salarium, licet statim sub initio anni ipsi renunciatum. Mevius. *Part. 3. Decis. 144.* & Hæredes, utut sint extranei, mortuo intra annum Patre, totius anni stipendium rectè petunt ob dignitatem & probitatem hujus scientiæ; siquidem tam larga interpretatione ad amorem studiorum excitare ingenia par est. Vid. Rebellus *part. 2. de Obligat. Jus. lib. 14. quest. 14. n. 8.* Jacob Schultes. *pract. qu. lib. 1. quest. 5.* Thom. Maulius *Tr. de Locat. tit. 6. n. 77.* Rauchbar. *quest. 25. lib. 1.* Gail. *1. Obs. 44. n. 12.* Besold. *Thesaur. Pract. voc. Besoldung.* Struv. *in Syn-tagm. Jur. civil. Exerc. 7. tb. 11.*

Sic si contingat, Clientem nullas causas in illo anno habere, in quo cum Cliente de certa annua mercede pactum iniit, salvâ Conscientia petiti Salarium ob naturalem illam obligationem, quâ semel Advocatus Clienti, & Cliens Advocato obstrictus est. Neq; interest, an operâ Advocati ad actum secundum, uti Philosophi loqui amant, traducatur, vel actualem illam, ut ita dicam, operationem; sufficit enim, illam in actu primo vel

poten-

potentia proxima fuisse, quæ hæcenus Advocatum etiam libertate sua privavit, ne pro aliis fortean contra Clientem patrocinari potuerit. Diana tamen *Tom. 6. Tr. 3. Resolut. 171. §. 3. p. 213.* mediâ hic viâ incedit, scil. non integrè hoc casu solvendum, sed juxta arbitrium boni Viri diminuendum esse Salarium, quia illos labores, quos aliàs sustinisset, in illo anno non sustinuit. Si verò Advocatus libentius laboraret, quàm otia retur, nihil ipsi de Salario minuendum esse, postea concedit, quæ sententia etiam æquitate non caret. Quamvis putem, eò præcipuè, sicuti antea monui, in Conscientia respiciendum esse, an Advocatus occasione hujus Processus, pro quo Salarium pactus erat, aliis Clientibus patrocinium denegare necessum habuerit; sic enim sive transactum, sive illo anno in causa nihil actum, Salarium debetur Advocato integrum in compensationem illius damni, quod ex denegato aliis Clientibus patrocinio sensit. Quod si verò tale quid Advocato non contigerit, utpote, si rarior ad eum sit confusus Clientum, iniquè exigeret, pro quo nullam operam præstitit; quamvis, si sponte quid offerat Clientis, non injustè idem caperet Patronus.

De cætero Parthen. litig. *lib. 2. c. 7. n. 5.* publicum malitiæ Advocatoriaræ remedium esse opinatur, si Advocatis Salarium ex publico constitueretur Judicis arbitrio, ad quod omnes litigaturi conferrent, ut adeo nihil acciperet ab ipso Cliente; quod consilium sanè contemnendum non esset, si illi pondus Autoritatis suæ Principes & Status Imperii addere vellent, quia sic multorum litigantium patrimonia non ita exurgerentur.

Advocati sanè minimè conscientiosi, togati illi Vultures & Harpyz, hic in utramq; aurem dormient, & de Clientum Bonis parùm erunt solliciti. Hi enim solum decipiunt, lites procrastinant, quia sciunt, suam operam ex mora & tempore æstimari, uti loquitur Barclajus in *Argenid. lib. 3* literas obliterant, sigilla fugillant, & nisi hoc liceret, so möchte der Teuffel ein Jurist seyn/ uti inquit Autor *discurs. vdm Justitien. Werck. p. 94.*

Hæc verò, quæ dicta sunt, procedunt, si Clientes tantum in Bonis habeant, ut Salaria præstare possint; quid verò, si pauper Clientis sit, an non gratis tunc Advocato patrocinium suscipiendum? Et antequam hic aliquid respondeam, dispiciendum, quisnam pauper vel inops dicendus, quæ duos, inopem scil. & pauperem inter se differre, tradit Agricola *de Off. bon. Adv. c. 8.* ita, ut inops ille dicatur, qui extrema paupertate laboret, & nihil planè in Bonis habeat; pauper verò, qui parùm habeat. Notandum hic etiam, sano sensu ad pauperes referri posse Viduas, non solum naturaliter tales, quibus scil. morte naturali rebus humanis Maritus exemptus; verum

rum etiam civiliter tales, quæ quidem Maritos adhuc habent, sed inutiles, veluti, qui sunt ab hostibus capti vel ad triremes damnati, die auff die Baalen geschmiedet sind &c. hi enim pro civiliter mortuis habentur. Speidelius *Specul. Var. Observ. voc. Wittwen. Bouric. de Off. Adv. c. 14.* Totum verò hoc paupertatis negotium communiter arbitrio Judicis relinquitur, Lud- 49
 vvel. *Exerc. 3. tb. 12. lit. b. Dietherr. in Addit. ad Befold. Thes. Pract. voc. Bluts*
 arm. Et hinc pauperes in multis locis prius de paupertate jurare tenen- 50
 tur, antequam ipsis aperiatur processus, germ. *Eh sie sich in das Armen-*
Recht begeben können. vid. Dn. Svwendendörf. *in Not. ad Fibig. Process. c. 2.* 51
§. 15. p. 49. quale juramentum etiam in Patria mea, & præsertim in Dicasterio
 hisce formalibus à pauperibus exigitur: Sie sollen schweren einan Eyd/zu
 Gott und auff das heilige Evangelium/das sie also arm seyn/ auch an
 fahrenden und liegenden Haab und Gütern oder Schulden nicht vermög-
 en in der Cangeley die Brieffe/ deren sie zu ihren Sachen benöthiget/ zu
 bezahlen/ noch die Advocaten und Procuratorn zu belohnen/das sie auch
 umb Leistung willen dieses Eydes ihrer Güter und Haabe nichts veräuf-
 fert/oder andern übergeben/ und so sie im Rechten obliegen/ oder sonst zu
 Vermögen kommen/ alsdann jedem nach seiner Gebühr/ erbarlich Be-
 zahlung thun wollen/ alles ungefährlich. vid. *Pomerische Hoff-Gerichts-*
Ord. von der armen Partheyen Eyd. p. m. 76. Non sufficit autem, ut ju- 52
 rent de paupertate; sed inquirendum etiam est, quomodo, an adversis for-
 tunæ casibus, an verò propriâ culpâ ac luxu ad hanc paupertatem redacti
 sint, quia damnum, quod quis suâ culpâ sentit, non sentire videtur *L. 203. ff.*
de R. I. & aliâs multi locupletarentur cum jactura Advocatorum, quod est
 contra *L. 206. ff. de R. I.*

Dicimus igitur, ut ad motam quæstionem revertamur, omninò Ad- 53
 vocatum ad pauperis patrocinium ex Conscientia teneri, qui pauper legi-
 time probatus est, etiamsi juraverit, se nunquam gratis patrocinaturum,
 Gail. *1. Obs. 43. p. 16.* idq; non solum ob prædictas leges civiles, ubi *Ord. Cam.*
Imper. part. 1. tit. 19. §. 11. auff das auch *Ord. Pomer. Tit. von der Advocaten und*
Procuratoren Befoldung. §. 11. auff das auch Arme &c. hoc expresse cau-
 tum, & Advocatus sub poena privationis Advocacionis Judici jubenti, ut
 sit Advocatus pauperis, parere tenetur, per *L. Providendum. 7. C. de postul.*
Caccialup. Tr. de Off. Adv. c. 3. quæst. 3. n. 5. Mynsing. Cent. 4. Observ. 32. Gail. 1.
Obs. 43. Et Jus Divinum, quod Pauperum curam nobis maxime commen-
 dat *Proverb. 14. v. 31. Esai. 1.* Sed etiam per jus naturæ & vim Conscientiæ,
 quoniam vita socialis, amicitiaq; illa naturalis hoc exigit, ut subveniamus 54

Proximo nostro summâ inopiâ laboranti, cui aliter subveniri non potest, juxta generale illud in Moralibus principium: Quod tibi vis fieri, alteri feceris. Sicuti igitur Advocatus in extrema necessitate constitutus vult, ut ipsi aliquis subveniat, ita & alios illi juvare convenit, aliàs peccat mortaliter. Diana Tom. 4. Tr. 7. Resolut. 9. §. 2. p. 279. Covarruvias. Tom. 2. Pract. quæst. c. 6. n. 4. Azorius Infit. Moral. Tom. 2. part. 3. lib. 13. c. 29. Dn. Schröterus in Fasc. Cas. Consc. c. 1. p. m. 22. Magon. in Cynof. Adv. c. 10. n. 13.

- 55 Et huc referuntur etiam Medici, Chirurghi & Pharmacopolæ, qui itidem Pauperibus consilio, operâ & re gratis adesse debent. Idem Diana. cit. loc. Speckhan. quæst. Jur. cent. 1. quæst. 33. n. 11. Gail. 1. Obs. Observ. 43. n. 13. aliàs sunt homicidæ, si possint & non velint; nam inops, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certè potest. Cic. lib. 2. Off. Si verò ad pingviorem sortem redierit inops, etiam summa postulat æquitas, ut gratum se exhibeat Advocato, quod & in cit. jur. am. paupert. Dicast. Pomer. verbis
- 56 *fin.* pauperibus inculcatur. Limit. modò hoc fieri possit sine notabili suo incommodo, Herm. Busenbaum. in Medul. Theol. Moral. lib. 4. c. 3. dub. 3. p. 462. add. Speckhan. Cent. 2. Class. 4. quæst. 46. n. 6. & modò ipse aliquo modò superfluum suo statui habeat, i. e. modò præter illam operam, quæ illi necessaria est ad statum suum sustentandum, aliquid temporis vel industriæ superfit ipsi, nam charitas bene ordinata incipit à se ipsa. L. Praes. 6. C. de serv. & aqu. quamvis etiam in extrema necessitate de tempore & industria necessaria ad statum suum Advocatum teneri succurrere adferant Dom. à Soto lib. 5. de LS. 1. quæst. 8. ars. 1. Filliucius. Tom. 2. Tr. 40. c. 10. n. 287. & 288. Armilla verb. Advocatus. n. 10. ex hac ratione, quia ille, qui superfluum habet, tenetur in gravi necessitate proximi opem ferre proximo de superfluo, in extrema verò aut gravissima de necessariis ad suum statum, quod etiam ordo charitatis postulat, & juri naturali quàm maxime est conveniens. Cordub. lib. 1. quæst. 97. 26. Sanchetz Consilior. Moral. Tom. 1. lib. 1. c. 5. dub. 5. n. 28.
- 57 Neutiquam verò opinari debent Advocati, quando Pauperibus patrocinantur, qui penitus exsiccati nihil succi evaporare possunt, ex adverso crassos Divites se ita agitare posse; ut eò plus exsudent, uti facete loquitur Parthen. litig. lib. 22. p. m. 28. hoc enim nihil aliud esset, quàm furari aliquid Diviti, & Pauperi præstare stipem. Et hæc de patrocinio quoad pauperes.
- 58 Obiter notet, laudabilem esse morem in Italia, ubi quotannis Advocatus Pauperum eligitur, narrante Magon. in Cyn. Adv. c. 58. fol. 591. pr. quod etiam in multis Germaniæ Dicasteriis observatur; sicut & Camera Electoralis Neomarchiæ Advocatum Pauperum alit.

Nunc liceat quærerere, utrum Advocatus pro consilio vel patrocinio dato sine labore, quia illud habet in promptu & memoriter, salvâ Conscientiâ quid à Cliente possit accipere? Possent sanè dici, quod non, quia illud est de jure innocivo; non enim hic opus habet, ut studeat vel evolvat prius libros; sed tenet jam tum memoriâ consilium communicandum, quare igitur non vellet Advocatus hoc gratis proximo suo dare, quod accipienti est utile & danti non molestum? Cic. *lib. 1. Off.* Verum enim verò, quamvis facile largiar, nunc in momento illum, quò consilium illud petitur, non laborare; laborasse tamen eum tot annos, & sudasse in Astrææ castris magnis suorum sumtibus, nemo inficias ibit, ergò non solum præsentis, sed etiam præteriti laboris ratio est habenda. Conf. Caccialup. *Tr. de Off. Adv. c. 3. n. 8.* Et haberet alioquin præmium, qui literis hæctenus & librorum evolutioni negligenter incubuit præ illo, qui ad solidam Juris notitiam comparandam nocturna diurnaq; manu libros versavit. Huic enim, cum in promptu habeat, quod consulat, honorarium adimeretur, & ignavo illi socio, de libris hæctenus securo, pro molestia in libris evolvendis tribueretur; adeoq; prodesset fuisse ignavum, noceret fuisse diligentem, quod Juri naturæ utiq; contrarium est. Aliud dicendum esse putat Sanchez. *Consil. Moral. Tom. 1. lib. 2. c. 3. dub. 5. n. 8.* si consilium Cliens petat ad pacandam conscientiam, quoniam enim ibi consilium concernit salutem animæ Clientis, gratis esse dandum asserit, v. g. ut exemplum addam, si Cliens consuleret Advocatum, an nihilominus salvâ Conscientiâ Testamentum revocare possit ex ratione Juris civilis, quia hominis voluntas est ambulatoria usq; ad extremum vitæ halitum *L. 32. de donat. int. vir.* ut ut de non revocando jurasset; quod ego quidem cujuslibet Advocati Conscientiæ relinquo.

Sed ulterius quæritur, quoniam nunc de Salario nobis sermo est, an etiam Advocatus in secunda instantia pro eodem Salario patrocinari teneatur, quod ipsi promissum est in prima? Ad quod disting. respondeo; aut appellatur à Sententia interlocutoria, aut definitiva: Si à priori, tenetur pro eodem pretio causam persequi, quia manet idem judicium, si à posteriori, quia diversum est judicium, non item, nisi promiserit hoc pro eodem pretio usq; ad sententiam definitivam. Add. Carpz. *P. 1. C. 1. D. 24.* Chilian. *Rönig in Proceß. p. 166.* An Advocatus, si suammet ipse oraverit causam, salvâ Conscientiâ Salariū ab Adversario accipere possit, vid. iterum Carpz. *P. 1. C. 31. def. 12. & 13.* Gail. *1. Observ. 151. n. 16.* Struv. *in Syntagm. Jur. civil. Exerc. 7. lib. 11.* Et præsupponendum hic est, causam Advocati justam esse, & ei iniuste ab Adversario rei restitutionem denegari: quod si igitur iniqum non

est, ut victus victori expensas, quas in alium Advocatum facere compulsus fuit, refundat; nihil vetat, quò minus Advocatus ipse, qui temerariæ lite ab altero vexatus, repetat impensas, præsertim, si hac occasione aliis operam præstare non potuerit. Non enim temeritate alterius, quâ ad litigandum profuit, Advocatus lucro, quod honestè sibi querere poterat, est privandus.

Restat, ut aliquid de ipso defensionis modo dicamus, ubi secundum
 66 requisitum Advocati ratione clientis, nim. fidelitas, poterit applicari. Et hic conscientiosus Advocatus sibi quam maximè consulit, si totam litem materiam in scriptis à cliente poscat, ut eò consideratius in causæ merita inquirere possit, *Oldefop. Tr. caut. Crim. tit. 1. caut. §. n. 8.* nec semper credat Clienti dicenti; optimam enim illum Advocatum esse censeo, qui est incredulus, quoniam cliens ad colorandam suam causam, ut eò libentius Patronum inveniatur, optima quæcunque dicit & Justitiam causæ suæ in proprio eorebello sibi fingit; hoc factò fideliter deinde in termino compareat, frequentes illas dilationes omittat *L. Properandum. 13. §. sillo C. de Judic. L. Quisquis 6. §. præterea C. de postul. nisi habeat legitima impedimenta, Germ. Chshafften/* (quæ vox ut obiter moneam, notante Dn. Becmano *in Medit. Polit. Dissert. 6. §. 2.* descendit à voce *Gei* quæ juxta dialectum Franconicam significat legem) quia Juri naturæ equidem conformes sunt dilationes in judicio, sed jus naturæ non vult, ut in infinitum petantur. Dn. Zieglerus *in Dicast. Concl. 28. §. 11.* aliàs grave damnum dat parti adversæ, quod restituere tenetur, *Busenbaum in Medul. Theol. Moral. lib. 4. c. 3. dub. 3. p. 466.*

Hoc potius agat Advocatus, ut omnia, quæ ad obtinendam sententiam salvo Jure & salvâ conscientia potest, secundum ordinem & statuta
 68 Judiciorum, in quibus litigat, adducat; ubi tamen neutiquam sibi crumennâ clientis favorem Judicis comparare debet, quia hoc non potest non vulnerare conscientiam. Suppeditat hic equidem *Capolla Tr. Cautel. cautelam. 157.* Advocato, quâ nolente volente Judice sibi favorem Judicis possit procurare; verùm utrum illa salvâ conscientia possit practicari, alii inquirent; mihi quidem ista suspecta valde videtur, licet non ita temerè reprehenderim, si Advocatus non semper Judicem severis illis rationibus, sed blanditiis interdum etiam ejus gratiam promereri studeat.

69 Porro neq; clientem falsa respondere docere debet, sed intrepidè clienti dicere: *Si sic respondebis, perdes causam, si aliter, perdes animam.* Quod si vero cliens Advocati consilio, vel latâ culpâ, imò levî, si Advocatus se periculosissimum & diligentissimum professus est, patiatur damnum vel tristitiam

fem calculum fortiatur, etiam in conscientia tenetur ad compensationem 70
damni, Steph. à S. Paulo *Theol. Moral. Tr. 4. disp. 7. dub. g. n. 44.* Lessius *de J. & J. lib. 7. c. 7. dub. 7. n. 31.* Pet. Anton. Lazar. *Canon. & pract. quest. Sect. 3. quest. g. n. 26.* Paul. Comitol. *Respons. Moral. lib. 4. quest. 44.* Filliucius *Tom. 2. Tr. 40. in octavo. precept. Decal. c. 10. m. 295.* Rebellus *part. 2. de Obligat. Justit. lib. 1. de contract. in gen. quest. 10. n. 7.* Dannhæverus *in Theolog. conscient. Tom. 1. part. 1. Sect. 2. art. 1. p. 91.* Conf. Dn. Zouterbach *ad tit. ff. commod. S. 4. n. 7.* Neq; ipse respondere debet ad ea, quæ sunt facti, hæc enim melius scire Cliens præsumitur, quàm Advocatus, Advocatus enim regulariter tantum respondet 71
ad ea, quæ sunt juris, Chilian Rönig *in Process. p. 167.* Hinc multò minus clientem instruere potest, quid in facto respondere debeat, quid non, sed bonam fidem agnoscere debet Advocatus pariter ac cliens, ne mendacius & falsiloquus causæ victoriam cum manifesto conscientie vulnere reportent.

Quicquid verò agit Advocatus, fideliter agat & non prævaricetur, 72
seu, uti Propheta *1. Reg. 18. v. 21. & 26.* loquitur, utroq; pede claudicat; crimen enim falsi committit *L. 38. S. 9. ff. de pæn. L. 1. S. 10 qui ff. ad L. Cornel. de fals. & contra Jus naturæ; fidem & veritatem peccat, FagundeZ in Precept. Decalog. Tom. 2. lib. 8. c. 38. m. 17.* Sanchez. *Tom. 2. Consil. Moral. lib. 6. c. 6. dub. 1. n. 2.* etiamsi loquatur quæ vera sunt Dn. Bejerus *in Disp. de Prævaricat. c. 4. n. 3.* Sicuti enim Sacerdotes Secreta suæ Conscientiæ commissa non debent revelare, ita nec Advocati tanquam Justitiæ Sacerdotes Clientum suorum causas prodere. Vid. Andr. à Matre DEI *in Theolog. Moral. de J. & J. Tr. 13. de Restit. c. 4. Punet. 6. S. 1. n. 75.* Chilian Rönig *in Process. p. 166.* ita quidem, ut 74
nec sine crimine prævaricationis didicitis clientis sui secretis, injustam causam foventis animadvertens ad adversarium, justiorum causam foventem, transire possit, etiamsi à Cliente sit dimissus, Ummius *in Process. disp. 11. 16. 8. n. 39.* Dn. Struvius *in Synt. Ag. Jur. civ. Exerc. 7. 16. 10.* quia hoc in casu didicita Secreta vel contra eundem vel pro secundâ parte, quam postremò suscepit defendendam, allegabit, aut silentio involvet; tertium non datur, igitur utroq; modo peccat; priori modo quidem, ut Prævaricator, posteriori, tanquam malus Advocatus, quia non allegat id, quod facit ad victoriam sui clientis. vid. Lancel. Polit. *de Off. Adv. c. 8. n. 10.* Dn. Præses *Dissert. de Credent. Revelat. c. 2. n. 36.* ubi tamen distingvendum esse putat, an Controversia consistat in jure, an in facto, ut priori tantum, non posteriori casu prævaricationis crimen committatur. Eadem ratio est, si modò con- 75
siliium alicui dederit, nam quoniam etiam ad consilium ritè dandum secreta

- causæ manifestamus, salvâ conscientiâ Advocatus alterius partes deinde tueri non potest, quia didicit jam secreta prioris, quem si defendere nolit, penitus absteineat. causa. Dn. Bejerus *d. Diss. de Prævaricat. c. 2. n. 12.* Quorsum referuntur etiam illi Advocati, qui juvenes Advocatos habent, qui pro forma tuentur Adversarium, cum tamen revera Patronus Actoris omnia regat & disponat. Plura vide *in Dissert. de Credent. Revelat. cit. loc.*
- 76 Possè tamen Advocatum secreta causæ prodere parti adversæ, si iniquam partis suæ causam animadvertat, & gravissimum damnum Adversario imminuat, ex jure charitatis, optime volunt Lessius *de I. & I. lib. 2. c. 31. dubitat. 8.* Fagundez *in Præcept. Decalog. Tom. 2. lib. 8. c. 38.* Pet. Anton. Lazar. *Canon. & pract. quæst. Sect. 2. quæst. 16. n. 5. & 10.* etiamsi juraverit, se servaturum Secreta, nam ipsa promissio secreti non videtur obligare, nisi hac conditione, (si non noceat) Herm. Busenbaum. *in Medul. Theol. Moral. lib. 3. Tr. 2. dub. 5. num. 4.*
- 77 Verùm an è contrario fides Advocati eò usq; etiam se extendere debeat, ut Clienti suo injustè ad mortem condemnato fugam ex carcere consequere, & auxilium ad eam præbere possit, altioris est indaginis. Clientem equidem talem salvâ Conscientiâ etiam cum occisione innocentium custodum, modò prius de injusticiâ causæ admoniti & de dimissione rogati, præfractè tamen dimittere noluerint. Vid. Dn. Charisius. *Diss. de For. Consc. c. 6. n. 108. seqq.* si aliter elabendi via non suppetit, fugere posse, certissimum est, quoniam amor illè naturalis in se ipsum hoc non aliter admittit. Si enim innocens se non defendit, cum potest se defendere, Propricida est, & non suam animam solum, verùm etiam DEUM graviter lædit, quia illud ipsum, quod solum possidet precariò & non patrimonialiter, (vitam intellige,) in præjudicium concedentis perdit. Dn. Simon. *in Not. ad Guilielm. Grotii Enchiridion de princip. Jur. natural. c. 7. §. 3.* Imo perjurium non committit, si à Judice, præstito antea juramentò de redeundo, dimissus sit, sed potius redeundo ad carcerem gravissimè peccat. Didac. Covarruvias. *Tom. 2. Var. Resolut. lib. 1. c. 2. n. 7. 10. & 11.* De Advocato vero dici posset, quod ita Magistratùs Autoritatem valdè læderet, quia ipsi subtraheret illum, quem aliàs morti destinaverat, adeoq; faceret sententiam semel latam elusoriam, quod
- 78 sanè maximus Magistratùs est contemptus. Verùm respondetur, hæc omnia procedere, si Advocatus ut sic, publicus esset Minister Justitiæ; quoniam vero partem privatam tantum juvat, ipsi vido verti non potest, si agat, quod est re sui Clientis, adeoq; ipsi consultat, ut tanquam innocens & certo injustè condemnatus, quia in mundo non aliud remedium salvandi vitam

vitam occurrit, fugâ sibi consulat; & hoc ita probare cupio: quia Advocatus omne illud potest facere, quod non lædit suam Conscientiam; atqui innocentem aliquem ex ipsissimis mortis faucibus eripere non lædit Conscientiam, quod sanè est in confesso, ergò etiam Advocatus salvâ conscientia innocenti fugam suadere potest. Deinde, quod est argumentum Lessii, fas est fugere innocenti, quod etiam nos *n. 77.* diximus, igitur etiam persuasio ad fugam est licita, quia unum alterum præsupponit. Imò quod majus est, potest Advocatus ejusmodi condemnato instrumenta ad effringendum etiam ostium carceris porrigere ex hac ratione, quia potest ipsi fugam, tanquam finem consulere, ergò etiam media ad finem ducentia suppeditare; modò tamen, sicuti Lessius vult, ipsi non sit expresse prohibitum illud peragere, quia aliàs difficile foret ipsi, contra stimulum calcitrare, & deinde, modò non exterius fores effringat, & ipse rumpat vincula, quod soli condemnato licet. Vid. Lessius *de I. & I. lib. 2. c. 31. dubitat. 6.* Diana *Tom. 6. Tr. 1. Resolut. 108. §. 2. p. 70.* Busenbaum. *in Medul. Theol. Moral. lib. 4. c. 3. dub. 7. art. 2.* Tabiena *voc. Accusatio. n. 10.* Sanchez. *Tom. 2. Consil. Moral. lib. 6. c. 4. dub. 10. n. 1.* qui etiam Judicem, si certò noverit incarceratum innocentem; juxta allegata tamen & probata nocentem, dimittere teneri adserit. *Tom. 2. Consil. Moral. lib. 6. c. 1. dub. 19. n. 1.* Quamvis ego prædictas Lessii limitationes non adeo attendendas existimem, si notoria sit injustitia; nec enim prohibitio me in Conscientia securum reddere potest, si possim scelus impedire, & non faciam. Et si delinquenti ipsi vincula frangere fas est, non video, quare non per alium idem expediri possit. Sed in omnibus ejusmodi casibus cavebit sibi Advocatus, ne justitiam vel injustitiam causæ ex suo judicet ingenio, affectibus & amore erga Clientem haud rarò fascinato.

Quod si verò incarceratus certò justè condemnatus sit, contra Conscientiam, consulendo fugam, & rumpendo ostium & vincula, Advocatus ageret, quoniam sic ne quidem incarceratus salvâ Conscientia fugere potest. vid. Covarruv. *cit. loc. n. 8.* Et frustra est sanè Sanchez. *Tom. 2. Consil. Moral. lib. 6. c. 4. dub. 7. n. 2.* dicendo: Justè condemnatus non damnatur ad manendum in carcere, nec ad agendum aliquid, ex quo mors ei subsequatur, sed tantùm ad patienter sustinendum mortem sibi illatam, ergo licet ipsi ex carcere fugere. Bene, si ad mortem sibi illatam sustinendam damnatus est, damnatus quoq; erit ad manendum in carcere, quia mortem non potest sustinere, si aufugiat. Et si hæc propositio vera esset: Nemo tenetur ad agendum aliquid, ex quo mors ei subsequatur, verùm etiam esset, furem justè ad suspendium condemnatum, neq; scalam patibuli ascendere; hunc
vel

vel illum facinorosum capite plectendum, neq; collo erecto sedere damnatum posse, quia tam ex ascensione scalæ, quam extensione colli, saltem per consequentiam, mors sequitur, quod absurdum fat est. Sed transeant hæc.

80 Fidelitatem porrò suam Clienti probabit Advocatus, si Processum, quantum fieri potest, celeriter ad finem perducatur, ut Cliens jure suo potiat, quam celeritatem judiciorum tam in judicando, quam postulando Gvicciardinus, citante Trajan. Boccalin; in *Relat. ex Parnass. Cent. 3. Relat. 20.* etiam apud Turcas servari refert & laudat. Conf. Speidelius in *Specul. var. Observ. sub voc. Process.* Hinc, ut idem perficiat conscientiosus noster Advocatus, omnes ipsi ambages fugiendæ sunt, quæ Processum retardare possunt; alias enim Clientes intelligent, nihil minus Advocatos, quam prædones savire, nisi quod lentius cædant, uti argute loquitur Barclaj. in *Euphorm. part. 1.* Quid etiam opus est, ut articulatum & lentè discerpantur illi, qui semel perire possunt? ita nascuntur tantummodo ex una lite plures, quarum litium novarum quidem lis principalis Mater: Advocatus tamen Pater est. Parthen. litig. lib. 1. c. 9. n. 14. Et optime huc quadrat, quod habet Plaut. in *Pœnul. Act. 3. Scen. 1. At si ad prandium me in eadem vos dixissem ducere, vinceretis cervum cursu, vel grillatorem gradu, nunc vos, quia mihi Advocatos dixi & testes ducere, podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.* Eò igitur & animum & calamum dirigat Advocatus, ut totius negotii tam Clienti lætiferum, non lethiferum, quam sibi ipsi honorificum exitum acceleret; & sic Conscientiæ suæ ratione sui Clientis ex affe satisfacit.

81 Quoniam verò, uti n. 16. & sequ. hujus capituli diximus, non semper tenetur Advocatus gratis patrocinari, videndum postremo, qualis actio ipsi ad consequendum pro omni sua opera Salarium (dico Salarium, honestior enim vox est Salarium, quam mercedis. Dietherr. ad *Besold. Thesaur. Pract. voc. Besoldung.*) competat; Ubi sciendum, ipsi non competere actionem locati, quia hæc tantum locum habet in artibus illiberalibus per *L. 1. §. idè autem. ff. Si mens. fals. mod. dix. solviturq;* hoc Salarium Advocato non tanquam merces, sed tanquam *arridwegv*; deinde vel propterea actio locati hic non invenit locum, quia Advocatura etiam in vivo imponi potest per

82 *L. 1. §. ait Prætor. ff. de postul.* Datur igitur ipsi ad consequendum Salarium actio pro salario. *L. 1. §. 10. de var. & extr. cognit. Struvius. in Syntagm. Jur. civ. Exerc. 7. tb. 11. Barbosa. lib. 7. c. 3. axiom. 3. Biccus. in Aureis Sect. 4. tb. 111. lit. ff. in fin.* & hac actione, si Cliens fortean advena sit, etiam in loco iudicii, si sibi inveniatur, & non in loco domicilii, ubi alias regulariter sortitur forum, illum convenire potest. Speidel. in *Specul. var. Observ. voc. Advocaton.*

Necq;

Necq̄ interest, Advocatum in causa succubuisse, *L. Sed an ultrò 10. S. 1. de neg. gest.* quia sufficit, egisse illum in causa, sicuti bonum virum decet, etsi negotium non habuerit optatum effectum. Imò si Martiali credendum, plus debetur Advocato victo, quam vincenti *lib. 8. Epigram. 27.* ubi ad Sextum scribit:

*Egi, Sexte, Tuam pactus duo millia causam,
Misti nummos quot mihi? mille quid est?
Narrasti nihil, inquis; & à Te perditæ causa est,
Tantò plus debes Sexte, quòd erubui.*

Quamvis ipsa æquitatis ratio eò deducere debeat Advocatū, ut, si Clientem in causa succumbentem, gravissimum ex hac lite damnum contrahere viderit, non ad eò rigide Salarium exigat, præsertim, si ipsum aliis opibus parum instructum viderit; alias verò Advocatum salvâ Conscientiâ Acta tam diu retinere posse, si Clientem dolosè denegare velle Salarium animadvertat, donec ipsi solvatur Salarium, omninò statuerem, nisi, quod Carpovius rectè monet *P. 1. C. 31. Decis. 23.* Reipublicæ intersit, Acta exhiberi.

CAPUT III.

De

Conscientia Advocati ratione Adversarii.

S U M M A R I A.

Introitus capituli. n. 1.

Quanam ab Advocato ratione Adversarii potissimum requirantur, quorum primum. n. 2.

An Advocatus contra suum Principem postulare possit. n. 3.

An contra Magistratum. n. 4.

An contra Parentes in propria causa. n. 5.

An in aliena causa. n. 6. seqq.

An in capitali causa. n. 11.

Vol. II. Disp. XIII.

Illustratur hoc. n. 12.

An contra amicum. n. 13.

An contra inimicum. n. 14.

An Advocatus Fisci contra Fiscum, numer. 15.

An Vasallus contra Dominum feudi. n. 16.

An contra injuriantem? n. 17. seqq.

An jussu Magistratus postulare possit contra eum, quem certò novit innocentem? n. 24.

F

Quid

Quid ipsi ante exordium Processus observandum. n. 25. seq.

Quid in ipso Processu. n. 27.

Rabule hic taxantur. n. 28.

An Advocato conviciari liceat. n. 29.

An liceat ipsi turpitudinem adversarii allegare. n. 33. seqq.

An liceat ipsi mentiri in causa justâ. n. 40.

An DEUS circa hoc mendacium dispensare possit. n. 41.

An omne peccatum sit mortale. num. 42. seqq.

An liceat ipsi adversarium incivilem irridere. n. 45. seq.

Quid ipsi faciendum, si adversarium certo sciat pejeraturum? n. 50. seq.

Secundum requisitum Advocati ratione Adversarii. n. 52. seq.

Utrum in justa causa liceat ipsi dolo uti? n. 54. seqq.

Negatur. n. 58.

Quid intelligant per dolum. num. 59. seq.

Resp. ad Affirmat. n. 61. seqq.

Quid de Advocatorum cautelis sentiendum. n. 64. seqq.

An cavere ad Advocatum pertineat. n. 67. seqq.

Quomodo cautelis uti debeat. n. 71.

Cui præcipue cavere debeat. n. 72.

An possit simulare. n. 73. seqq.

Refutatur Pufendorffius. n. 77. seqq.

An Reus juridice interrogatus verum delictum possit negare. 79. seqq.

Distinguitur inter simulationes. 93.

An Adversarii informationes licite possit accipere. n. 94. seqq.

Non debet Adversarium doli nescium decipere. n. 96. seqq.

Non debet litem differre appellando. n. 99.

Appellatio est Theriaca contra injusta Sententia venenum. n. 100.

UT exorfam pertexamus telam, quemadmodum in antecedenti capite vidimus ex parte, pro quibus personis patrocinium suscipiendū, nunc ordo tractationis requirit, ut inquiramus etiam, contra quas personas salvâ Conscientia postulare licitum; ubi, quò Conscientiam immaculatam conservet Advocatus ratione Adversarij, duo requirimus ab ipso, nimirum *Civilitatem* (quam latè intelligo) & *Sinceritatem*. De priori videri poterit *tot. Tit. 4. ff. de in jus voc. item tit. 2. C. eod.* Nos ex his quoad Conscientiam quædam delibabimus. Et cum quilibet Subditus respectu Principis se pure habeat passivè, Principe enim in suo territorio nullus est superior, Subditocq; nulla nisi Obsequii relicta gloria, facillè adparet, Advocatum contra Principem patrocinari non posse; ne dicam nunc, sanctâ semper Principis personam subdito videri debere; quem verò in Jus vocamus, illum plerumq; injusticiæ arguimus, utpote, qui Jus nostrum nobis denegare cupit, quod nobis debetur, quod Principis Personam, sunt enim

Prinç

Principes Dii) valde læderet, quia ab his nil nisi iustum præsumendum. Sicuti verò bonus Princeps non solet se iustitiæ subtrahere, & Subditis defensionem denegare; defensio verò per Advocatum expedienda: Ita bono Advocato convenit Principis permissionem prius impetrare, antequam se patrocínio causæ committat. Contra hodiernos verò Magistratus, quoniam hi superiorem agnoscunt, salvâ conscientia, ne quis iure suo excidat, postulare posse, extra controversiam est. vid. Dn. Eckolt *ad Tit. ff. de in jus voc. §. 5.* Mevius *Part. 1. Decis. 155. n. 6.* Neq; naturalis illa cognatio ita filium arceat à patrocínio, ut in causa propriâ, sine venia etiam Carpz. *Part. 1. C. 2. D. 26.* Anton. Matthæi *Tr. de Judicis Dissut. ult. §. 35.* Parentes in iudicio non convenire possit; quoniam nemo, tenetur pati injuriam, cui iudex est & superior, ad quem lædentem deferre potest. Dissentit Ludov. Dunte *in Cas. Conf. c. 10. Sect. 2. quest. 1.* Si igitur filius iure suo, hoc est defensione, quæ est Juris naturalis utitur, parentibus non facit injuriam, & proinde de intentata actione Parentes etiam conqueri non possunt. Imo certo casu etiam concesserim filium in aliena causa contra parentes salvâ Conscientiâ patrocinari posse, si scil. præsupponamus v. g. filium recens natum à suis parentibus fuisse expositum planeq; neglectum; tamen si enim ibi negari non possit, hos esse filii expositi naturales parentes; generatio tamen sola tantæ efficaciam esse non potest, ut per hanc solam ille respectus inter Parentes & liberos introducatur, quoniam in ipsâ illa generatione parentes suam plerumq; querere solent delectationem eamq; hoc quasi restingvere, ergo aliud Principium hujus respectus concurrat oportet, ex quò illa veneratio suam trahat originem, quod nimirum est bona educatio. Næ enim prolem à parentibus educari ponas, vita socialis plane intelligi nequit, Pufendorfius *de J. N. & G. lib. 6. c. 2. §. 4.* Qui verò infantem exponit, licet non directò, per indirectum tamen interitum sæpe ipsius quarit, apertumq; quasi hostem se declarat, adeoq; naturalem illam obligationem ipse exponens rumpit, quâ aliàs infans utriq; Parentum, si servassent illum, & educassent, obstrictus fuisset. Igitur nullum nunc adest obstaculum, si offeratur ipsi occasio, quæ illum ab hoc arceat officio, si modo absit affectus inordinatus, odiosam illam expositionem ulciscendi. Quod si vero aliàs in aliena causa contra Parentes postulare vellet, adfererem contrarium, quoniam gratus filius accepta illa à teneris beneficia, nunquam memoria elabi pati debet, nisi tamen vel jussu Principis vel Magistratus patrocinium nihilominus suscipere cogatur, & alii Advocati non adsint: Jubente enim Principe, quia postulatio est actus iustitiæ, filium etiam salvâ Conscientiâ in rebus

- criminalibus . ubi ad mortem usq; accusatus Pater est, contra Patrem patrocinari posse, concederem; quemadmodum etiam Judex filium suum sceleratum ad mortem ipse condemnare potest, si Reipubl. interfit, malam
- 12 herbam eradicari. Imò, Carnifex, quod majus esse videtur, per Magistratùs sententiam ad mortem justè condemnatum filium jussu Magistratùs ipse licitè interficere potest, quia utroq; casu postponitur privatus ille respectus & antefertur publicus; quamvis tali casu Principem vel Magistratum melius facere putem, si non cogat Patrem ad ejuscemodi miserabile & flebile munus exequendum, quoniam nihilominus mihi istud videtur esse contra
- 13 naturam, ut ut non sit contra Jus naturæ. Eadem ferè ratio est in amico; nam quamvis nec ille peccet in foro Conscientiæ; qui postulat contra amicum (quomodo enim quis peccaret Jus & Justitiam administrando?) melius tamen facit, si penitus ejuscemodi patrocínio abstineat, quia de facili amicitia & concordia in illo Processus Oceano naufragium pati potest; quamvis ubiq; in Conscientia ad causæ justitiam respiciendum Advocato; Si enim ab amico iniquè lædi viderit alterum, majorem justitiæ, quam amicitiae rationem habebit. Sit enim, quod alias dicitur, amicus Plato, sit
- 14 amicus Aristoteles, magis tamen amica debet esse Justitia. Contra inimicum etiam suum Advocatus salvâ Conscientiâ patrocinari non potest, si vindictam modo quæreret, & parum attenderet, an justè vel injustè Clientis sui causæ consuleret. Et quamvis Justitia inimico resistat, cavendum tamen Advocato, ne in justa quoq; causa adfectibus indulgeat, & ita de-
- 15 linquendi periculo se exponat. Ita neq; Advocatum fisci, nisi in sua fuorumq; causa contra fiscum, Remp. & Patriam salvâ Conscientiâ postulare posse censerem, quoniam faceret contra fidem & amorem fisco, Reip. & Patriæ debitum. Add. *L. 1. C. de Adv. div. Judicior. L. 10. ff. de postul.* Neq; Vassallus contra Dominum feudi in aliena causa, quia jurat, se non velle esse in consilio, in quo agitur, ut Dominus aliquid perdat *c. 1. de form. fidelit.* faceret ergo contra juramentum, & per consequens etiam contra Conscientiam. Vid. *Agricol. de Off. bon. Adv. c. 14.*
- 17 Hoc autem adhuc quæstionis esse puto, an Advocatus salvâ Conscientiâ Clienti suo contra injuriantem patrocinari possit? Et sane hæc actio injuriarum est illa, quæ, uti de se ipso Bouricius *de Off. Adv. c. 9. pr.* ipsius animo ingentem sæpe scrupulum iniecit, cum certum sit, eam ad solam vindictam tendere. *L. Prætor. 7. §. 1. ff. de Injur.* quem hominem Christianum minime decet, quoniam & Christus ipse suis Discipulis *Matthæi c. 5. v. 38. dicit: Cadenti Te in dextram maxillam, alteram quoq; obverte: Generosi potius*

tius & excelsi animi est, alterius maledicta non curare. Dn. Pommerssch. 19
in Not. ad Tit. Instit. §. 12. de Injur. & animus quò nobilior, hòc ad reconcili-
ationem proclivior. Dannhauerus in Theol. Conscient. Tom. 1. Sect. 2. art. 6. §.
5. p. 322. uude & Trajanus Boccalin. in Relat. ex Parnaf. Cent. 1. Relat. 37. hanc
injuriato medelam porrigit, ut scil. bibat ex fonte Lethe, & sic injuriarum
obliviscatur. Et appetitio vindictæ ob injuriam privatam, uti Lessius de I.
& 1. lib. 2. c. 47. Dubitat. 4. n. 27. loquitur, per se non est virtus, cum ex amore
proprii commodi oriatur, unde nemo prnpter hoc laudari solet. Ille autem af-
fectus circa modum executionis, etiamsi sit actus virtutis, tamen hæc virtus est
valde parva, multum habens adjunctum ex amore proprio, à quo & ipsa ad-
plicatur ad moderandum actum punitionis &c. Verum enim vero, cum Jus 20
naturæ dicatur, neminem sive verbis sive factis laudendum, neq; malitiis
hominum indulgendum esse, dilucidè patescit, hominem injuriatum salvâ
Conscientiâ injuriantem convenire, & per consequens etiam Advocatum
in illa actione Clientem juvare posse. Neq; hîc intelligitur etiam privata 21
illa vindicta, quæ utiq; pugnat cum jure naturæ; sed publica, quæ permit-
tentibus Legibus intentatur. Imo neq; hæc actio injuriarum tam institui-
tur ad exercendam etiam vindictam publicam, quam potius ad demon-
strandam innocentiam injuriati. Quare citati illius dicti Matth. sensus hic 22
est: Cædenti injustè te privatam in dexteram maxillam, alteram quoq;
si fortè Magistratus Justitiam Tibi administrare recusat, obverte potius, quam
ut velis indulgere mîcori & vindictæ private, uti id optime explicat Dn. Si-
mon. in Notis ad Hug. Grotium de I. B. & P. lib. 1. c. 2. §. 8. n. 1. Verùm, quan- 23
do unicum verbum tot mille sape thaleris æstimatur, quod nil nisi priva-
tam vindictam sapit, patrocinium in foro Conscientiæ contra injuriantem
vix tolerandum esse, assero. Vid. Dn. Prasfes Tr. de Jur. Sens. Diff. 9. c. 4. n. 32.
& seqv.

Sic etiam quæri posset, an Advocatus salvâ Conscientiâ contra eum 24
 patrocinari jussu Magistratûs possit, qui per testes legitime probatus est ho-
 micida &c. cupiens tamen se defendere per Advocatum, quem certò no-
 vit innocentem? Resp. Neg. quoniam directò mortem innocentis procura-
 ret, quod est intrinsece malum. Inquis: Facit hoc jussu Magistratûs. Resp.
 Impossibilitas moralis est, Magistratum hoc jubere posse. Simili modo quæ-
 sitionem movent, an Judex possit condemnare reum, qui per testes legiti-
 me probatus est criminofus, quem certò tamen novit innocentem, vel
 quod eodem recidit, an Judex teneatur judicare secundum Conscientiam
 vel secundum Acta, quam eruditè admodum resolutam videtis apud Dn.

Zieglerum in *Dicast. Concl. 35. per tot. Less. de I. & I. lib. 2. c. 29. Dubitat. 10. Lud. Dunte in Cas. Conf. c. 16. Sect. 3. quest. 11. Joh. Conrad. Dürrium. in Compendio Theol. Moral. Part. Special. Sect. 2. c. 4. n. 7.*

- 25 Progrediendum nunc & videndum, quomodo Civilitatem Advocatus erga Adversarium ante Processum, & in Processu ostendere debeat. Ante exordium Processus id ante omnia ab Advocato requiritur, ut Adversarium nomine Clientis extrajudicialiter interpellet, quò sine judicii strepitu Jus reddat, quod reddere tenetur. *L. Debitoris 10. C. de pign.* quamvis de Jure civ. hanc legem Actori necessitatem interpellandi imponere non velint; valde tamen utilem esse hanc interpellationem statuunt, ut Adversarius eò facilius in expensas condemnatur, & hinc moris esse, hanc clausulam Supplicationibus inserere: *Daß Actor nach unterschiedlichen gültlichen Erinnerungen nichts erhalten können/ und deshalb den Weg Rechts zu ergreifen sey genothsacht worden;*
- 26 quod aliàs etiam Juri naturali quàm maximè est conveniens. Sicuti enim nullum bellum justum est, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut annunciatum ante sit & indictum, docente Cic. *lib. 1. Off.* ita neq; Processus justus est, qui aliquo modo est similis bello, si Advocatus cum Adversario in arenam descendat, antequam ipsi privatim litem annunciet, quia fortean hac interpellatione ad bonam mentem reverti possit. Quod si verò facta interpellatione nihilominus maneat durus & intractabilis Adversarius, tunc demum duro nodo durum se præbeat cuneum, & rigoroso jure poscat, quod amico dare renuit; ita tamen, ne decentem humanitatem exuat, hæc enim inter homines ubiq; est servanda, juxta illud Germanorum: *Der Sachen feind/ Der Personen Freund.*

- 27 In ipso Processu equidem maxima civilitatis ratio haberi deberet; Sed quid in illo communiis obtrecationibus, cavillationibus & irrisionibus esse solet? dum alter alterum tam ore tenus, quàm in scriptis, etiam in Præsentia Judicis & Adversariorum sape, quod mirandum, tot injuriis & tot convitiis onerare solet, ut aliquot latrantes canes ad stare pures, qui, quisnam
- 28 aspero latratu alterum vincere possit, inter se certent. Quare non impertinenter illa Fabula de Procuratoribus, quam Dn. Diethert in *Addit. ad Besold. Thesaur. Pract. voc. Process.* ex Schuppio in *Lucidor. lit. F.* refert, ad Advocatos vel potius Rabulas illos etiam adplicari posset: *Wie der Teuffel einmal eine Postete von Procurator, Zungen (adde Advocaten: Zungen) begehret/ daß damit zu erquickten.* Sic transeunt per caninam illam facundiam & dies & horæ, & parum, imò nihil sæpius agitur, quod est è re Clientum;

entum; Sic quasi circumducuntur termini (nam idem est, ac si absentes essent) maximo Clientum dispendio, dum hi interea loquendo se exercent, quod lites magis impedit, quam expedit. Ne dicam nunc, quam pessimè suæ professioni laudabili & honori suo consulant, ut Vulgus postmodum occasionem habeat de toto Ordine Advocatorum malè sentiendi, quoniam bene novit, illas nebulonum, furum, Idiotarum &c. maculas, quibus se invicem conspurcârunt, cerevisiâ & vino quandoq; iterum, cum sunt extra iudicium, dilui ac submergi; uti testatur Bouric. *de Off. Adv. c. 13.* qui profectò digni essent, ut hodienum ipsis, sicuti quondam Advocatis illis in castris Quintilii Vari, ora fuerentur & lingvæ rescinderentur, Heiderus in *System. Philosophico c. 7. n. 4.* Veruntamen *L. 6. §. 1. C. de postul.* dicitur: *Ante omnia autem universi Advocati in præbent patrocina iurgantibus, ut non ultra, quàm litium possit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant.* Ex quo textu quasi colligere licet, licitam esse Advocatis nonnunquam maledicentiam, quod equidem nunc declarandum venit. Et fateor, illum, qui occulta crimina, etiamsi vera sint, temerè aliis manifestat, graviter peccare, præsertim, si fiat animò conviciandi & non consulendi Reipubl. & tranquillitati communi, quia pugnat cum charitate, quam proximo debemus. Dn. Ziegler. in *Dicass. Concl. 9. §. 14.* Quade causa etiam in *Ordin. Cam. Imper. tit. 23.* ita expresse cautum: *Dass ein jeder Procurator und Advocat der Schimpff- Wort oder sonst undienstlichen und unnützen Reden sich enthalten/ auch niemand weder schriftlich noch mündlich schimpffieren/ sondern seine Sachen richtig/ kürlich und mit dienstlichen Worten oder in Schriften vertragen soll.* Et Casp. Klockius *lib. 2. de Anario c. 124. n. 1.* Mevius *P. 1. Decis. 155. n. 4.* Advocatos calumniantes Judicis arbitrio puniendos esse adserunt. Tametsi enim maxime expediat Reipubl. ut delicta fiant notoria, non tamen expedit, ea fieri notoria animò convitiandi; Quodsi verò ob necessitatem vel honestum finem manifestentur, non habere malitiam detractionis, certum est, quia tunc diminutio famæ exinde non per se, sed per accidens tantum sequitur, vid. Andreas à Matre Dei *Tr. 13. de Restit. c. 4. Punct. §. 4. n. 64.* Potest igitur Advocatus salvâ Conscientiâ, si aliud remedium non suppetit ad obtinendam justam causam, Adversarii turpitudinem allegare. vid. Soto *de I. & I. lib. 5. quest. 7. art. 3.* Sic v. g. si frater meus opulentus turpem aliquam & infamem personam heredem, injuste me prætereundo, instituisset, posset Advocatus meus, si habeo quendam, turpitudinem hæredis illius, v. g. quòd sit Spurius, in iudicio tuto manifestare; tametsi enim non negem, gravissime

- sime me peccare, si alicui naturale quasi vitium, quale Spurium esse communiter aestimant, obijciam, siquidem Spurium sane extra culpam est, cum nihil admiserit juxta *L. 3. §. 2. ff. de Decur.* & potius hæc macula adscribenda esset Parentibus, ex quibus Spurium descendit; quoniam tamen reijcendo hanc maculam grave fortean damnum incurrerem, injuriosum sane in me ipsum essem, si, quod levem aliquem pudorem & quasi Charybdim à proximo meo averterem, ipsi mihi Scyllam accerferem. Et hæc omnia ex illo fundamento, quoniam Leges, ne Spurium, tanquam hæres extraneus, me fratre superflite, in fratris mei Bona succedat, nisi frater habeat legitimam causam me exheredandi, expresse prohibent, ergo illa allegatio maculæ fit permittente lege, scil. *L. Fratres. 27. C. de inoff. testam.* & per consequens etiam salvâ Conscientiâ. Add. Busenbaum. in *Medull. Theol. Moral. lib. 3. Tr. 6. dub. 2. n. 4. & 5.* Sic omninò statuerem, si quis se fingeret magnum Advocatum in aliorum præjudicium, posse aliquem, qui certò novit illius defectum & debile animi judicium, aut obviandum alienum præjudicium ex jure charitatis patefacere, quia alias irreparabili damno Clientis posset adfici; quamvis interea non negarem, etiam illum grave peccatum committere, qui citra necessitatem infamiam ipsius propalaret; præstat enim hanc rem potius occultare, quam revelare. Ita & testi vere-perpetratum delictum, quod scil. sit adulter, homicida &c. salvâ Conscientiâ potest objici, modo absit cor felle & amarulentia plenum; vel uti Lessius *de I. & I. lib. 2. c. 31. Dubit. 1.* docet, modo (1.) non sit coactus à Jure ad testificandum, & crimen, quod ei objicitur, non sit adeo grave, ob quod capite plestendus sit, causa vero agentis parvi momenti, tunc enim contra charitatem vergeret illud revelare. Vid. etiam Sanchez *Consil. Moral. Tom. 2. lib. 6. c. 5. dub. 20. n. 2.* Quod si vero sponte se ad testimonium obtulerit, sibi imputet, si magnum periculum inde sentiat. (2.) Modo prius ratione minus noxia eum à testimonio abegerit, dicendo scil. quod rei Consanguineus, Adfinis, Clientis autem sui inimicus sit. Cum enim minus noxio remedio me salvare possim, quid securi & ferrâ opus est? Nec injuriam Advocatus huic adultero vel homicidæ facit, qui tale quid propter defensionem suæ causæ, & ad eum repellendum objicit, quia calumnia aut injuriandi causa id factum dici non potest. *L. Si non convitit 5. L. Siquidem aviam 10. C. de Injur. & sine studio, affectu & intentione injuriandi actio injuriarum non nascitur.*
- 40 vid. Joan. Wamefius *Consil. Tom. 1. Consil. 52. n. 3.* Aliud autem dicendum esse reor, si Advocatus alicui vellet falsum crimen in judicio opponere, ut obtineret in causa justa; quoniam enim non sunt facienda mala, ut inde
- eve-

eveniant bona, & mendacium est aliàs intrinsecè malum, nec ordinabile in finem bonum. Diana *Tom. 6. Tr. 1. Resolut. 88. §. 1. & 2.* Layman. in *Theol. Moral. lib. 4. Tr. 9. c. 13. n. 8.* Dannhauerus in *Theolog. Conscient. Tom. 1. part. 2. Sect. 1. art. 1. n. 10. p. 261.* imò nec DEUS per absolutam suam potentiam hìc dispensare potest, quia ageret contra justitiam suam, quod importat privationem & imperfectitudinem. Francisc. Suarez. *Tr. de Legibus lib. 2. c. 14. n. 12. & lib. 2. c. 15. n. 16.* Dn. Simon in *Not. ad Guilielm. Grotium c. 3. §. 8.* Henniges ad *Hug. Grot. lib. 1. c. 1. §. 10. p. 104.* Advocatus omnino peccaret mortaliter; & 42
 quavis hoc mendacium pro veniali peccato venditare vellet, quoniam is veniam mereri videtur, qui ad defensionem sui justissimam tale quid committit; rationem tamen non video, quare non omne peccatum sit 43
 mortale; vocantur quidem quædam venialia; sed hoc fit non ratione suæ naturæ; sed ratione sui subjecti, quod peccat, quat. illi peccata per Meri- 44
 tum Christi non imputantur; hinc legimus: cujusvis peccati stipendium mors est, *Rom. 6. v. ult.* & anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. *Ezech. c. 18. v. 4.* Vid. Brochmand. in *System. Theolog. Univ. Tom. 1. art. de peccato. quæst. 2.* Dannhauer. in *Theolog. Conscient. Tom. 1. part. 1. Sect. 2. art. 4. §. 2. p. 161.* Ita ne- 45
 que illud hæcenus à me impetrare potui, ut crederem, Advocatum, si Adversarium suum admodum incivilem, ineptum & multa contra Jus & æquitatem effutientem esse videat, illum subtacitè irridere, & urbano aliquo sale illudere posse, quemadmodum quidem in terminis adserit Lancellot. *Pol. de Off. Adv. c. 10. n. 19.* Quoniam enim ejusmodi irrisoriis verbis incivilis plerumq; pudore & rubore suffundi solet, vid. Diirrius in *Compend. Theolog. Moral. part. Gen. c. 15. n. 10. p. 215.* melius sanè Advocatum facere cense- 46
 rit Rabulam incivilem, si v. g. illum vocitet Advocatum nimis conscientiosum, Virum nimis civilem, imò civilitatem ipsam, si contrarium intelligat? Deploranda potiùs sunt proximi vitia, quàm irrisionibus excipienda. Elegantia sunt verba, quæ celeberrimus ille Theologus, Dannhauerus in *Theolog. Conscient. Tom. 1. part. 2. Sect. 2. art. 6. §. 5. p. 323.* ex Augustin. *Serm. 16.* profert: *Corrige, inquit Augustin. inter te & ipsum solum intendens correctioni, parcens pudori: forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis correctiorem, facis pejorem.* Præterea Judex incivilitatem Adversarii hoc in passu faciliè corrigere potest & debet, cui aliàs incumbit providere, ut omnia ordine & decenter in judicio fiant. Add. Fagundez. in *Precept. Decalog. lib. 8. c. 12. n. 10. seqq.* Antequam autem huic ma- 47
 teriæ civilitatis colophonem quasi imponam, addendum adhuc erit, an

- Advocatus etiam eò civilitatis progredi debeat, ut, si suspicetur vel certò etiam sciat, Adversarium perjurium commissurum, cum Cliente suo juramenti gratiam eidem faciat? Negativam tuetur Francisc. Suarez. *Tom. 2. de Virt. & Sarr. Relig. lib. 3. c. 14. n. 11. & 14.* quoniam deferens utitur jure suo & petit prestare juramentum non tanquam falsum, sed uti juramentum, quod in se bonum est. Nec dici hìc potest, deferentem causam esse perjurii, quia perjurium non vult, sed tantum permittit. Verum contrariæ Sententiæ subscribimus, quoniam ille, qui tenetur impedire peccatum & non impedit, omninò tanquam causa illius peccati concurrat; jam autem in confesso est, nos obligatos esse ex jure Socialitatis, vel quod potius est, Christianitatis, ut à nobis invicem omnia nocitura avertamus, ergo intermissio illius principii: Quod tibi vis fieri, alteri feceris, mortale involvit peccatum. Est enim ejusmodi deferens juramentum illi, quem scit pejeraturum, homicida, imò plus, quam homicida, homicida enim corpus tantum, hic verò & suam & pejerantis animam perimit. vid. Francisc. Vivius *Decis. Reg. Neapol. 109. in fin.* Speidelius in *Specul. Var. Observ. voc. Meinend. & Dietherr*
- 50 in *Addit. ad Befold. Theaur. Pract. voc. Meinend.* Et hinc remittendum ipsi est juramentum ex jure charitatis; imò ipse Judex, quando videt periculum perjurii, non debet juramentum admittere. Joan. Wamesius *de Jur. Pontif. Tom. 2. Consil. 232. n. 1.* præsertim si sit pecuniaria tantum causa, inter quam & animam hominis nulla datur proportio; aliàs committit illud, quod est species criminis læsæ Majestatis Divinæ, Carpozoy. *Crim. part. 1. quest. 46. n. 1.* & DEUM habet Ultorem. *L. 15. ff. de Except. Nov. 82. c. 11. S. 1.* Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 21. §. 14. n. 2.* Add. Lud. Dunte in *Cas. Consc. c. 10. quest. 31.* Herm. Busenbaum in *Theol. Moral. lib. 3. Tr. 2. c. 2. dub. 3. n. 9. p. 142.*
- 53 Sinceritas est alterum illud requisitum, quod ad illam Advocati Conscientiam pertinet, hinc omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum alterum abesse debet. Est enim ejusmodi dolus contra dictamen rectæ rationis, sc. Quod Tibi non vis fieri, &c. & vitam socialem maximè dissolvit, utpote, quæ sine fidelitate, sinceritate & infucato
- 54 animo consistere nequit. Utrum autem justam causam foventi liceat Adversarium injustè litigantem salvâ Conscientiâ dolo circumvenire, quaritur? Videtur, quod sic, quoniam Processus nihil aliud est, quam bellum lingvarum, ubi certamen de victoria causæ instituitur; quemadmodum autem in bello varii generis Stratagemata adhiberi licet & cum laude possunt, ut hosti palma victoriæ præripiatur, Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 3. c. 1. §. 6.* Pufendorff. *de J. N. & G. lib. 8. c. 6. §. 6. & lib. 4. c. 1. §. 12. & 19.* Bour. *de Off.*
- Adv.

Adv. c. 7. qui Augustini sententiam de bello simul refert: Cùm bellum justum 56
suscipitur, ut aperte pugnet quis aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.
 Stephan. à S. Paulo *Theol. Moral. Tr. 3. Disp. 3. dub. 5. n. 57.* unde Josue etiam
 contra Urbem Hai iis usus esse legitur. *Add. Brochmand. in System. Univ.*
Theol. Tom. 2. Art. de Magistrat. Polit. c. 3. Cas. Consc. 17. Dannhauerus *in Theol.*
Conscient. Tom. 1. part. 2. Sect. 1. art. 1. n. 10. p. 261. ita etiam Advocatus præsertim 57
 in causa justa Adversarium suum dolo & fraude circumvenire potest, ut
 causæ justissimæ victoriam obtineat, cretitzandum enim contra Creten-
 sem; cum quo etiam concordat illud Ovidii *lib. 1. de arte amandi.*

Fallere fallentem fraudemq; refellere fraude,

Exemplisq; licet ludere quemq; suo.

Verùm Negativam veriore esse judico, uti patet ex præcedentibus. 58
 Neq; sufficit hic, causam justissimam habere, nisi & eadem justè agatur;
 aliud enim est justum, & aliud justè agere. Et hoc est illud, quod *Deut. 6.*
Moses dicit: Justè, quod justum est, persequeris, ut vivas & possideas terram,
quam DEUS dederit Tibi. Volunt equidem, hîc dolum nihil aliud, quàm 59
 solertiam quandam esse, quæ solertia sit habitus ad inveniendum repente
 id, quod congruit, *Andr. à Matre DEI Tr. 14. de Contrict. c. 1. Punct. 3.* Ast
 verò metuo valde, ne illi isthâc solertiâ mihi pilulam acerbam, aurò lini-
 tam tamen vendant. Contrariatur enim ejusmodi solertia plerumq; sin- 60
 ceritati, quæ quemq; cordatum Virum decet, ergò salvâ Conscientiâ lice-
 re non potest. Ad illud, quod de Stratagematibus bellicis assertur, re- 61
 spondeo, plane dissimilem esse rationem inter bellum & Processum. Belligerantes enim, uti vel leviter in Politicis versato notum est, quoniam Ju-
 dicem superiorem non habent, qui motam discordiam componat, idcirco
 quasi contrahunt inter se invicem: Tenta, quid ipse valeas, ego itidem om-
 nia experiar. *Vid. Dn. Pufendorf. de J. N. & G. lib. 8. c. 6. §. 7.* unde quovis
 modo læsio hosti in hostem licita, sive vi sive dolo fiat. *Conf. Dn. Becman.*
in Meditat. Polit. Dissert. 23. §. 10. Cui enim aperta vi nocere licet, illi etiam 63
 per astutiam sive dolum nocere licebit. Ast, qui Processu experiuntur,
 non idèo causam agunt, ut se invicem velint lædere, sed ut potius per ju-
 stissimam Sententiam Judicis sibi invicem, quod cuiq; debetur, velint tri-
 buere, ergò manet, in Processu omnem dolosam circumventionem abesse
 debere.

Quid verò de cautelis illis sit sentiendum, quas *Vulgus Germanorû 64*
Practikens, Hilpertsgriß vel *Advocaten, Stuckchen* vocare solet, paucis
 indicabimus. Nimirum, si vox Cautela in genuino suo sensu sumatur, nihil 65

- aliud est, quam singularis quædam prudentia & providentia in actionibus
 insituendis, cavere etenim est sibi prospicere, uti Fichardus *Tr. Cautel. in*
prefat. de recto veraq; Cautelarum usu docet, unde & illud pugilum **Cavere**
 66 oriri puto. Sed quoniam multi Cautelarum Scriptores ejusmodi Cautelas
 ediderunt, quæ salvâ Conscientiâ Christianus Advocatus adhibere non
 potest, multiq; Rabulæ & Accipitres nummorum (nam Advocatorum no-
 mine indigni sunt isti, qui ejusmodi Cautelis utuntur) iisdem usi, imò pe-
 jores & magis impias excogitarunt; hinc factum, ut Cautelarum usus adeo
 67 Plebejis sit invisus. vid. Bouric. *de Off. Adv. c. 8.* Verum si dicendum, quod
 res est, cavere omnino ad Advocatum pertinet, hinc Cic. *lib. 2. Off. In Jure*
cavere, consilio juvare, atq; hoc scientia genere prodesse quam plurimis, ve-
bementer & ad opes augendas pertinet & ad gratiam; modò ista Cautelæ
 non pugnent cum charitate Proximo debita, & dictamine rectæ rationis;
 68 Quod Tibi non vis fieri &c. Ob hanc enim causam DEUS Creator noster
 rationalem animam nobis indidit, ut non cæco more ad agendum prolabi,
 sed antea omnia, quæ agenda sunt, bilancè rationis ponderare debeamus;
 quamvis etiam ex nimis anxiis & conquestis Cautelis fraus & dolus depre-
 hendi & detegi soleat. Joann. Wammelius *de Jur. Pontif. Tom. 1. Consil. 30. n. 5.*
 69 Neq; sufficit, bonas piaseq; Cautelas nosse; sed insuper requiritur, malicio-
 sas illas probe cognitatas habere, non equidem eo fine, ut alterum hinc de-
 cipiamus, sed ut decipienti & improbis Cautelis utenti prudenter & decen-
 70 ter obviemus. Et hoc si esset illicitum, peccaret etiam Logicus addiscen-
 do Sophismata. Præterea jurisprudentia nostra nihil aliud est, quam justâ
 & iustâ Scientiâ. *L. 10. ff. de I. & I.* ergo sequitur, non solum Advocatum
 scire debere, quid sit justum; verum etiam, quid sit injustum, ut justum ab
 injusto & licitum ab illicito secernat, non ut injustum & illicitum agat, *L. 1.*
 71 *§. 1. ff. de I. & I.* Ludvvel. *Exerc. 1. tb. lit. g.* Manet igitur, Advocatum salvâ
 Conscientiâ Cautelis uti posse, tanquam pharmacis quibusdam à morbis
 impendentibus corpus præservantibus, non verò tanquam venenis malis.
 Bouric. *dl.* & omnino hic distingvendum esse puto cum Dn. Dietherri *in*
Addit. ad Besold. Theaur. Pract. voc. Advocaten; inter Cautelas Advocato-
 rum ex decenti libertate procedentes, & Cautelas cum dolo, mendacio si-
 miliq; vitiis conjunctas; interea tamen hæc optima Advocati est Cautela,
 72 quando animæ suæ, ne illa periculo involvatur, bene cavet. Fichardus
Tr. de Cautel. c. 6. Cautelæ enim in hac vita Advocatis profunt ad gloriam,
 sed in futura vita sapius ædificant ad gehennam. Flamin. Chartar. *in Pract.*
exam. reor. lib. 2. c. 1. n. 8. B. Dn. Brun. *de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 6. Memb. 1. §. 1.*
 & ibi Dn. Praeses *in Addit.*

An autem Advocatus ſimulare ſalvâ Conſcientiâ poſſit, non tam eſt in apri- 73
 co. Sanè hoc certiffimum eſt, non omnem ſimulationem eſſe illicitam, quoniam & DEUM nonnunquam ſimulationibus uſum fuiſſe legimus; Sic DEUS injunxit Abrahamo, ut mactaret filium ſuum Iſaacum, quem tamen occiſum noluit. *Gen. 22. v. 2. & 12.* Sic ſimulavit ſe hoſtiliter cum Jacobo luſtari. *Gen. 32. v. 24. 25.* Et ipſe Salvator noſter ſimulavit ſe longius iturum à Diſcipulis ſuis. *Luc. 24. v. 28.* vid. Brochmand. in *System. Univ. Theolog. Tom. 1. c. 2. quaſt. 29.* Ita per hoc etiam non omnis ſimulatio potèſt eſſe 74
 ſe illicita, quoniam animi mei vera ſenſa non cuiſvis ſemper patefacere teneor; Sic ſi videam v. gr. aliquem ex intempeſtiva curioſitate ante oſtium ſtare, ut arcana mea, de quibus fortean cum amico meo delibero, reſciſcat, ſalvâ Conſcientiâ ejuſmodi Sciolum poſſum eludere, talemq; ſermonem inſtituere, ex quo ille diverſum planè, imò falſiſſimum ab internis cogitatis meis ſenſum concipiat. Hugo Grotius de *J. B. & P. lib. 3. c. 20. §. 7.* Neq; me mendacium, ſed ſolùm falſiloquium commiſiſſe dici potèſt, quod à mendacio differt, quoniam omne quidem mendacium eſt falſiloquium, non verò omne falſiloquium eſt mendacium. vid. Pufendorf. de *J. N. & G. lib. 4. c. 1. §. 9.* Joan. Wameſius de *Jur. Pontif. Tom. 1. Conſil. 7. n. 3.* Lud. Dunte in *Caf. Conſc. c. 10. Sect. 2. quaſt. 124.* Sibi igitur imputet intempeſtivus rerum 75
 mearum Percontator, ſi falſum quid è ſermone meo conceperit, cui tamen nullum jus erat à me vel de meis quid ſciendi. Ex quibus adductis jam ſtatus contròverſiæ facile formari potèſt & quari, an Advocatus obligatus ſit Judici vel Adverſario ita Clientis ſui cauſam agere, ut Judex vel Adverſarius verum & genuinum ſenſum juris vel facti percipere poſſit, vel an licitum ipſi ſit in Clientis ſui cauſa ſimulare? Dn. Pufendorf. de *J. N. & G. lib. 76
 4. c. 1. §. 21.* hanc rem diſtinctione expedire allaborat, dum ſcil. diſtingvit inter cauſam civilem & criminalem, ita, ut Simulatio in civili quidem, non verò criminali illicita ſit, quoniam in cauſa ſanguinea Advocato, præfertim ab ipſo Cliente adſcito, illud quoad deſenſionem licet, quod ſuo Clienti licet; Clienti verò licet, ut modò illud omnium terribiliſſimum, uti Ariſtoteles loquitur, effugiat, quidvis ad ſui deſenſionem tentare, ergò Advocatus ſimulationes, falſas allegationes & fictas rationes adhibere potèſt.

Verum planè hic, modeſtè tamen à celeberrimo illo Viro diſcedere 77
 cogor, & proinde ita argumentor: Quòdcunq; Clientis in cauſa criminali ſalvâ Conſcientiâ non potèſt, illud etiam ipſius Advocatus non potèſt; Atqui Clientis juridicè interrogatus de crimine verè perpetrato, non po-
 teſt

test illud salvâ Conscientiâ diffiteri, Ergo & ipsius Advocatus idem falso
 78 diffiteri non potest. Majorem ipse celeberrimus Vir concedit, sunt enim
 Advocatus & Cliens quasi Relata. Minorem probo; Tametsi in Consci-
 entia nullus delinquentium se prodere, quò meritâ mortis poenâ afficia-
 tur, lingvâq; propriâ sponte quasi se occidere teneatur, vid. Summus ille
 Theologus Dannhauerus *in Theolog. Conscient. Tom. 1. Sect. 2. art. 6. quæst. 3. p.*
 79 327. juridicè tamen interrogatus reus, etiamsi ipsi immineat periculum
 mortis, crimen perpetratum non potest negare, quia aliàs resisteret Po-
 testati, quæ est à DEO, qui verò illi resistit, DEI ordinationi resistit, ade-
 oque manifestum Justitiæ DEI turbatorem se præbet. vid. Pet. Anton. Laza-
 rius Canon. *Et pract. quæst. de Monitor. Sect. 2. quæst. 16. Guevara. part. 2. c. 27.*
 80 p. 357. *Der gülden Sündschreiben.* Et quid aliud illa criminis negatio,
 quam manifestam inobedientiam importat? cùm tamen quemlibet subdi-
 tum subjectum vel obedientem oporteat esse Magistratui justa præcipienti.
 Sanchez. *Confil. Moral. Tom. 2. lib. 6. c. 3. dub. 29. n. 4.* Ast inquit ille *d. l. n. 20.*
 81 *in fin. ferè: Neq; terrenus Magistratus tanta Majestate præsidet ac DEUS;*
 Verùm respondeo, si Magistratus Vicarius DEI in his terris est, professò
 non video, quare Cliens falsificus nihilominus DEUM, fallendo Magi-
 82 stratum vices DEI gerentem, gravissime lædat; sicuti enim vel terrenus
 Monarcha ex fraude Delegato suo facta, gravissimam injuriam colligeret:
 ita non potest non verè Reus se ab injuria versus DEUM liberare, si & hu-
 83 jus debitam reverentiam denegat Delegato. Hinc gravissimi Judices mul-
 toties admonere solent Reum: *Er soll doch Gott die Ehre geben/ und*
~~*früher als bekennen/*~~ quod sanè non fieret, nisi & DEUM graviter infi-
 84 cando crimen lædere reum certò scirent. Suboluit quasi hoc celeberrim-
 us Vir, hinc *§. 21. cit. loc.* ita pergit: *Neq; multum periculi ab hac licentia*
imminet, cum enim in Judice supponatur cognitio Juris, igitur nihil agat Ad-
vocatus, si illa jura aut falsas sententias allegans; neq; facta proponenti credit-
ur, nisi eadem idoneè probaverit, ergo si quandoq; nocentes pæne hoc modo
subtrabantur, non Advocati aut Rei culpa erit, sed Judicis, qui ara lupinis
 85 *discernere haut valuit.* Sed respondeo, omninò maximum inde Reipubl.
 imminere periculum, quia, si hoc Advocatis liceret, via daretur multis
 facinorosis impune evadendi. Et quis Judex tandem omnium Advoca-
 torum, dicarum Rabularum? astutias & mille fraudum tendiculas nosse
 poterit, quoniam illis, quibus per ejusmodi cuniculos agere volupe est,
 86 vel prudentissimum Judicem decipere artis non erit. Tametsi igitur,
 quod tubentissimè fateor, pro capitaliter reis in jure quam maximus favor
 mili-

militet, ita, ut satius sit impunitum relinqui facinus nocentis, quam inno-
 centem damnari *L. Absentem 5. ff. de pen. & propterea defensor ipsis confi-*
tuendus omnino sit; vide, quæ cap. 2. n. 2. & seqq. hujus Dissert. dixi; Ad hoc 87
 tamen reo non datur Advocatus, ut falsis & fictis rationibus, præfertim
 quem scit esse verum Reum, defendere debeat, hoc enim conscientiosum
 Virum, qui æq̃ ac Judex providere debet, ut unicuiq̃ suum, quod pro-
 meruit, tribuatur, decere non potest. Ita & ipse Pufendorfius fatetur *cit.*
 §. 21. Advocatum ad defendendum publicè constitutum falsis sententiis 88
 & juribus uti non posse, quia ad hoc publicè constitutus est, ut veritatem
 indagare debeat; & postea tamen in privatim adscito Advocato hoc neg- 89
 gat, quasi verò necq̃ privatim adscito Advocato veritatem sectari conve-
 niret. Putat ipse equidem Reum & per consequens etiam Advocatum ita
 falsò procedere posse; sed nego hoc, si reus Juridicè interrogatus & delicti
 sibi conscius sit; id quod etiam ex præcedentibus constare puto, & hîc ad- 90
 huc tanquam generale Axioma adstruo: *In omni illo, quod teneor alicui*
manifestare & tamen non manifesto, non committo simulationem quat. justa
& licita est, sed turpissimum mendacium. Sanè DEUS ob hanc causam
 Magistratum gladio cinxit, ut delinquentes ob malum actionis malum
 passionis maneret, non autem ut frustra illum gestare deberet. Facinorosi 91
 enim in corpore, ut ita loquar, Reipublicæ, nihil aliud sunt, quam pravi
 humores, qui non eradicati à Magistratu, Medico hujus corporis, extre-
 mam huic corpori perniciem creant, hinc omninò sunt tollendi; & posito 92
 etiam, Advocatum v. g. homicidam liberare ficto & falso suo patrocinio,
 ficcine injustè profusus sanguis ad cælum pro vindictâ clamare desinet?
 ficcine DEO & Reipubl. satisfactum erit? minime gentium! fiat igitur ju-
 stitia & pereat mundus. vid. Dn. Simon. in *Notis ad Grovium. lib. 2. c. 20. §. 4.*
n. 1. Et hinc distingvo inter simulationes, quibus nemini injuria infertur, 93
 sed quibus Advocatus saltim prudenter illud occultat, quod clienti suo in
 bonâ causâ nocet, & Adversario prodest. Add. Lud. Dunte in *cas. consc. c.*
10. Sect. 2. quest. 108. Sed tantum de hoc.

Pari modo & illud Sinceritati, quam debet Advocatus suo Adversa- 94
 rio, valde repugnat, si adversarii sui amanuensem vel alium quendam sol-
 licitet, ut surripiat suo domino informationes, quas fortean in causa liti-
 giosa sibi comparavit, vel alias describat illas, si accipere possit, uti statuit
 Diana *Tom. 6. Tr. 1. Resolut. 110. §. 3. p. 73.* has enim sibi soli reservat Adversa- 95
 rius & proinde Advocatus jus non habet, etiamsi posset, vel legendi vel
 illas describendi; Ratio evidentior est, quia injustè illæ adversario à suis

sunt

funt ablata, ergo etiam injustè ab Advocato, quia res est furtiva, cui reale vitium semper inhæret, accipiuntur, juxta illud German. *Der Håler ist so gut als der Stehler*. Sicuti & illud sincerum Advocatum non decet, ut, quando præjudicialis aliqua qualitas in lite occurrit, tot verborum involucris illam tegat, ut Adversarius in responsione per vocem *Wahr* doli nescius in ingens postea damnum incidat; pugnat enim hoc cum dignitate rectæ rationis, Quod Tibi non vis fieri, &c.

Antequam verò hoc caput concludam, adhuc monendum esse censeo, sinceritatem Advocati ratione Adversarii etiam ex eò quàm maxime elucere, si à cardine controversiæ non deflectat & adversarium ad aliena respondere alliciat; si studeat brevitati & causam ultra, quam poscit necessitas, non protrahat istis in integrum restitutionibus, quæ in mea Patria contra priorem Sententiam communiter peti solent, vel istis remediis nullitatis, Appellationibus, quibus superfedere potest, cum omnis Sententia justè lata præsumatur & hinc onus probandi semper appellanti incumbat. Joan. Wamesius *de Jur. Pontif. Tom. 1. consil. 190. n. 1.* qualem quidem cautelam Advocatis Cæpolla *Tr. cautel. caut. 76.* subministrat, ut scil. vel millies appellet, quò litem modò protelet, ejusdemq; farinæ ad irritandum Processum *cautelam 12.* Thomas Ferrarius *Tr. cautelarum* supeditat. Hoc enim nunquam salvâ conscientiam fieri potest; sed hoc modò Appellatio, quæ aliàs dicitur Theriaca contra injustæ Sententiæ venenum, ipsa in venenum degenerat. Dn. Zieglerus *in Dicast. Conclus. 52. §. 2.* Add. *Burgoldensis ad Notit. Rerum Imper. Rom. Germ. P. 2. p. 236.* Hinc primo statuto apud omnes in Germania propter summam æquitatem & abbreviationem litium introduci deberet, ne vel ad minimum à debitis liquidis & instrumentis guarentigiatis appellare liceret. Nicolaus Mylerus ab Ehrenbach *Tr. de Princip. & Stat. Imper. Rom. Germ. part. 2. c. 42. n. 11. p. 397.* quanquam ex adverso etiam Princeps vel alii, quibus Jurisdicchio competit, ita suis subditis Jus & Justitiam impartire debeant, ne causam appellandi habeant, vid. Illustris Dn. à Sel-

Sendorf im teutschen Fürsten Staat

P. 2. p. 236.

CA-

CAPUT IV.

De

Conscientia Advocati ratione
Causæ.

S U M M A R I A.

Connexio Cap. ult. & quid ratione
causæ ab Advocato requiratur.
num. 1.

Qualis causa esse debeat. n. 2. seq.

Quare Advocati jurent de calumniâ.
n. 4.

An consultius esset, ut & hodiè hoc Ju-
rumentum ab Advocatis exigere-
tur. n. 5. seq.

An peccet si causam justam defendat,
quam credit justam & contra. nu-
mer. 7.

An injusta causæ patrocinari possit.
n. 8. seq.

Exemplum Papiniani circa injustam
causam. n. 10.

Huic contrarium. n. 11.

Mos Rabularum circa causas. nu-
mer. 12.

Exemplum mortuorum Advocatorum
sine lingua. n. 13.

Conscientia boni Advocati circa cau-
sam. n. 14.

Quid ipsi faciendum, si causam in
progressu litis injustam animadver-
tat. n. 15. seq.

An clienti in causa possessionis non ve-

rò in proprietatis Jus habenti pa-
trocinari possit. n. 17.

Quid de erroneâ conscientia Advocati
circa causam statuendum. num.
18. seqq.

An causam probabilem tueri possit.
n. 21.

An minus probabilem in concursu pro-
babilioris. n. 22.

Negatur. n. 23.

Probatur Negativa. n. 24.

Resp. ad contrarium Argument. nu-
mer. 25.

An conscientia sit speculativè, qua
non practicè quoque talis sit. nu-
mer. 26.

An causam dubiam tueri possit. n. 27.
seq.

Luxuria allegationum in Productis
taxatur. n. 29. seq.

An Advocatus Judex quoq; esse possit
in unâ causâ? n. 31. seq.

An in secunda instantiâ possit esse Ad-
vocatus, quando in primâ fuit Ju-
dex. n. 33.

An contra rem transactam? nu-
mer. 34.

1 **V**idimus hætenus Conscientiam Advocati ratione suæ personæ, sui officii, sui clientis & Adversarii, igitur nunc restat, ut etiam ipsius conscientiam ratione causæ breviter contemplemur; ubi ut illibata
2 tam illam conservet, *Indagationem iusti & veri* ab ipso requirimus Talis igitur causa sit, oportet, quæ non est contra DEUM T. O. M. Divinamque Ipsius Majestatem lædit; sed Ipsius gloriam potius promovet. Est etenim DEUS justus & verax, imò ipsa justitia & veritas, ideoq; iustitiâ & veritate mirificè delectatur. Deinde talis etiam causa sit, necessum est, quæ
3 charitatem proximi non lædit; sed ex quâ suum potius quisque consequitur. Quemadmodum enim ex dictamine rectæ rationis nemo seipsum lædere potest & debet, ita etiam proximus noster nullo damno afficiendus est, quia æqualis est amor, quem nobis & proximo debemus ex communi illo in Moralibus principio: Quod tibi non vis fieri, &c.

4 Et hoc ut eò melius præstet Advocatus, statim ab initio Advocaturæ Juramentum calumniæ, quoniam veritas, quæ quidem una est in essendo, difficilis tamen inventu quandoq; propter intellectum lumine suo per lapsum orbatum *Fromm. in Synops. Metaphys. lib. 2. c. 4. Problem. 8.* exigi solet ab ipso, de quo vid. B. Dn. Brunn. *ad Tit. C. de Jurejur. propt. calumn. dand.* quod equidem, si dicendum, quod res est, consultius & utilius in
5 singulis causis ab Advocatis exigeretur *arg. L. 2. §. 3. C. eod.* quoniam multi hodiè Advocati hoc juramentò deterriti, non tam manifestò impiarum & desperatarum causarum fierent Patroni. Sicuti illud etiam in inclutâ Re-
publ. *Norimbergensium* non quidem quoad singulas causas, singulis tamen annis præstare tenentur *Ayrer. in Process. c. 11. Observ. 2. n. 12. Dietherr in Addit. ad Besold. Thesaur. Pract. voc. Advocaten.* Dn. Christoo. Pellerus
6 *in Addit. ad Klockii de Erario lib. 2. c. 124. n. 72.* quanquam alibi hodiè ob juramentum ab initio officii præstitum communiter excusari soleant Dn. Brunn. *in Process. civ. c. 15. n. 9.* quod quam benè fiat vid. *Parthen. litig. lib. 2. c. 7. n. 8.* Ex quo calumniæ juramento tamen patescit, Advocatum defendendo causam, quam credit justam, non peccare, etiamsi sit iniqua, sicuti ex adverso mortaliter vulnerat conscientiam defendendo causam justissimam, quam credit injustam; nam quoniam intentio Advocationis hæc unice attenditur, formaliter causam justam tanquam injustam defendit, utut materialiter seu præter suam intentionem justæ causæ patrocinetur, vid. Dn. Schröter *in Prodrom. Fasc. cas. cons. p. 21.* Neq; est, ut hæc quis opponat: Sicuti laudi ducitur Medico, quando desperatos morbos sanat: ita etiam Advocato è leprosis, ut ita dicam, causis summa nascitur gloria, quo.

quoniam non solum artis est bonæ, sed etiam pessimæ causæ Victor existere. Resp. enim dissimilem plane rationem esse inter Medicum & Advocatum; 9
nam sicuti Medicus desperatos morbos curans, neq; tertio neq; infirmo irrogat injuriam, si ipse consentiat; ita ex adverso Advocatus omninò tertium maximâ injuriâ afficit, propugnando scilicet unam partem, ut alteram oppugnet injustè. Vid. Lessius *de J. & J. lib. 5. quest. 8. art. 3.* Quapropter Papinianus, Jctorum ille Pharos, cum Imperatoris Caracallæ, qui anno circiter 211. post Christum natum Imperio Romano præesse cœpit, fratricidium excusare deberet adversus fratrem Getam in brachiis matris recumbentem commissum, mori maluit, quam horrendum illud scelus excusare, inquit: Non tam facilè esse homicidium excusare, quam patrare, nec ob Principis gratiam Justitiæ Majestatem offendendam esse. Winckelmann *in Cesareologia sub Imperatore Caracallâ.* Cui exemplo plane contrarium refert Chockier Vol Schackammer *l. 2. cap. 4.* citante Dn. Neumarcf. Christl. Potent. *Eyden-Krone p. 63. & 64.* his verbis: Vom Galeacio Herzogen zu Meyland wird geschrieben/ als ihm etlichmal vorkommen/ daß ein verschlagner/ spitzfindiger Advocat verhanden/ der zu bösen unrichtigen Sachen sehr gut wäre/ und den Gegentheil nicht allein eine geraume Zeit damit auffhalten; sondern auch dieselbe/ wider das klare Recht erstreiten und behaupten könnte; da habe Er Ihn vor sich fodern lassen/ und ihm angezeigt: Er wäre seinem Pfarrer hundert Gold Gulden schuldig; habe aber nicht grosse Lust ihm solche zu bezahlen/ möchte derhalben gern wissen/ ob er ihm auch getraue die Sache mit Recht zu erhalten? oder zum wenigsten in eine Langwierigkeit zu spielen; Wie nun der Jurist hurtig/ *resolut* und willig dazu gewesen/ hat der Herzog ihm erstlich solche Betriegeren auff's heftigste verwiesen/ und ihn darauff an den lichten Galgen hengen lassen. En factum tanto Duce dignum & pœna tanto turboni adæquata! Tali beantur exitu, quamvis interdum sat tristi, Rabulæ, Veteratores & Culices illi, qui ex alieno sanguine vivunt, quibus, uti Imperatori Flav. Vespasiano lucri bonus odor è re qualibet erat, quævis causa, quamvis etiam pessima sit, optima videtur, si crumenam impleat juxta illud: In causa Geld haben die Advocaten kein Gewissen. Venundant illi tam diu linguam plus crepitante ranâ garrulam, donec tandem elingves reddantur, sicuti aliquando Paduæ contigisse, ubi unò pestis grassantis anno septem Advocati, qui omnes sine linguâ fuerunt, mortui sunt inventi, testatur Ernest. Gockelius *Tr. de Europæis Regibus c. 26. n. 32.* ut mirum non sit, in Regno CONGI, nullum Rhetoribus & Rabulis foren-

fibus locum esse; sed ipsum Regem ibidem causam litigiosam vel tribus verbis expedire, uti ex Ludovic. Gothofred. in *Archontolog. Cosmic. fol. 243. n. 5. in fin.* refert Casp. Klockius de *Enario lib. 2. c. 124. n. 14.* Addatur de Utopiensibus circa hanc rem Thomas Morus, Cancellarius quondam Angliæ, in *sua Utopiâ lib. 2. fol. 118. seq.*

- 14 Rectam igitur conscientiam Christianus Advocatus sequi debet & indagare scrupulosè, quid justum, verum, quid iniquum sit & non cuiuslibet causæ Patronum statim se præbere; & hinc, si causam, quam à principio justam credidit, in progressu litis iniquam postmodum animadvertat, clientem de injustitiâ causæ statim monere, & si admonitus desistere nolit, deserere debet. Vid. Lessius de *J. & J. lib. 2. c. 31. dub. 2. n. 48.* Filiucius *Tom. 2. Tr. 40. in octav. præcept. c. 10. n. 282. seq.* Sayrus in *Clavi Regiâ c. 22. n. 20.* Amefius de *Consc. lib. 5. c. 54. n. 40. & 41.* Pet. Ant. Lazarius *Can. & pract. quæst. de Monitor. Sect. 3. quæst. 12. n. 18. seq.* etiam si juraverit se ad finem litis usq; operam præstiturum, Schotanus ad *ff. Disp. 17. tb. 9.* Dn. Struvius in *Synagm. Jur. civil. Exerc. 7. tb. 5.* nam si ignorans causam esse injustam saltem excusatur, omninò sequitur, quod sciens non sit excusandus. B. Dn. Schröterus in *Fasc. cas. consc. p. 23.*

- 17 Quod si cliens in causa possessionis Jus habeat, in proprietatis verò non habeat, cum Joan. Parladorio *lib. 1. Rer. quotid. c. 2. n. 15.* qui ibidem etiam Innocentium ad *c. Pastoralis n. 6. de causa poss. & propr.* allegat consentientem, equidem existimo Advocatum sine conscientiæ lésione clientem defendere posse, quoniam Advocatus duntaxat legis, non verò hominis conscientiam habere debet; nisi tamen, quod limitationis vicem subeat, & negotii Juribus vel ex factò, quod sibi à cliente proponitur, manifesto contrarium intelligat, ibi enim, licet aliàs Possidentes beati dicantur, ipse cliens salvâ conscientiam agere non potest, multò minus igitur ipsius Advocatus. Vid. Casp. Klock. *Tom. 1. Confil. 40. n. 19.*

- 18 Queritur verò, quid statuendum sit de erroneâ Advocati conscientiam ratione causæ? Et resp. aut laboravit Advocatus conscientiam vincibiliter aut invincibiliter erroneâ; si priori, peccavit omninò si nihilominus causam egerit, quoniam adhibitâ diligentiam moraliter possibili hunc errorem præcavere & deponere potuit. Est etenim voluntas potentia animæ rationalis cæca, igitur illam potentiam Advocatus ejusdem animæ sequi tenetur, quæ est instar luminis & intellectus nomine venit, quæq; qualitatem cujusvis causæ facile discutere valet. Vid. Steph. à S. Paulo in *Theolog. Moral. Tr. 1. disp. 2. dub. 2. n. 4.* Si posteriori ignorantia laboraverit, &

cau-

causam defendendam susceperit, non peccavit, quoniam adhibitâ diligentiâ moraliter possibili, errorem in causa discutere non potuit, quamvis Dn. Pufendorffus *de J. N. & G. lib. 1. c. 3. §. 3.* practicum illud iudicium non posse ita præmissâ debitâ inquisitione depravari, ut actiones pravæ, ex invicibili ignorantia profectæ alicui nequeant imputari, defendat.

Deinde quod Advocatus probabili causâ patrocinari possit, omnes 21 uno quidem ore affirmant, verum an in concursu probabilioris minus probabilem tueri licitum ipsi sit, mirum in modum dissentiunt. Sunt recentiores quidam Caluistæ & Jesuitæ, qui affirmativam hæcenus strenuè defenderunt & quidem ex hoc fundamento, quoniam Advocati non est causam definire; sed ea tantum, quæ juri sui clientis favent, adferre, modò tamen non tam parùm habeat probabilitatis, ut in eam vel rarò vel certè nunquã Judices inclinent; & modò Clientem de minori probabilitate admoncat. vid. Joseph. Gibalinus *in Scient. Can. & Hieropol. Tom. 1. lib. 3. c. 7. quæst. 5. Consect. 10. n. 2.* Layman. *in Theolog. Mõral. Tom. 2. Tr. 1. c. 5. §. 3. n. n. 17.* Diana. *Resolut. Moral. Tom. 2. Tr. 13. Resolut. 4.* Stephan. Fagundez *in Præcept. Decalog. lib. 8. c. 38. & seq.* Gabriel Alvarez de Velasco *in Judic. perfect. Rubric. 14. Annot. 7. n. 7.* Dom. à Soto *de I. & I. lib. 5. quæst. 8. art. 3.* qui non Actoris, sed Rei tantum patrocinium licitum esse statuit in causa minus probabili, præsertim si sanguinea sit causa, wann die Klage an Haut und Haat gehet/ uti loqvuntur, vel causa honoris, ubi fama periclitatur; cui tamen dicam scribit Lessius *de I. & I. lib. 2. c. 31. Dubit. 9.* Quod, licet speciosè satis affectatur, malo tamen hac in re celeberrimum Dn. Zieglerum *in Dicass. Concl. 40. §. 42.* qui ibi quidem de Judicibus agit, sequi & statuere, Advocatum in concursu causâ probabilis cum probabiliori, causam minus probabilem tueri vel eligere salvâ Conscientiâ non posse, quoniam ita sequeretur id, 24 quod falsum videretur, & omitteret illud, quod verum adpareret, imò hoc faciendo meliora jura Partis adversæ violari manifestò peteret, quod est profectò contra dictamen rectæ rationis egisse. Instant equidem, quod argumentum etiam in terminis urget Steph. à S. Paulo *in Theol. Moral. Tr. 1. Diss. 2. dub. 4. n. 13.* Quicquid conforme est rectæ rationi, illud salvâ Conscientiâ potest peragi. Atqui Opinio probabilis in concursu probabilioris &c. E. Ad quod verò Limit. sic Majorem: Nisi contrarium magis conforme fuerit rectæ rationi, Ziegler *cit. Concl. 40. §. 49.* quam optimè respondet. Quod amplius prædicti Jesuitæ de Conscientia probabili speculativè & practicè tali afferunt, profectò meræ nugæ sunt, quoniam & ipse

Joseph Gibalinus in *Scient. Can. & Hieropol. Tom. 1. lib. 3. c. 7. quæst. 5. Consc. 12. n. 1.* fatetur, re ipsa nullam esse posse probabilem causam speculative talem, quæ talis etiam non sit practicè. Cæterum integer hac de re existat Tractatus Bordoni. de *Opinion. probab. in concursu probabilioris*; Sed quanta opinionum monstra inde oriantur, non ita pridem demonstravit Laurent. à Dript. in *Anti-Decal. Theolog. Polit. Reformatio Colon. An. 1672 addito.* Quibus addantur Ludov. Montaltii *Literæ Provinciales de morali & Politica Jesuitarum Disciplina cum Notis* Wilhelm. Wendrockii & Dn. Sam. Rachel. *Exam. Probabilitatis Jesuitica.*

- 27 Quid verò faciendum erit Advocato, si causa sui Clientis sit dubia? Putarem, si candidè ageret, nec fraude palmam reportare conaretur, salvâ illum Conscientiâ adfistere causæ dubiæ posse; quoniam is demum Conscientiam suam vulnerare dicitur, qui sciens injustam tuetur causam. vid. B. Dn. Schröterus in *Vas. cas. Consc. p. 24.* hinc Advocatum allegatione dubiæ
- 28 causæ non audiendum esse statuit Mevius *P. 3. Decis. 200.* Melius tamen Advocatum facere censerem, si Partibus, causâ æquè dubiâ, Suafor & Autor esset transactionis, vel si hanc inire recusent, informationem prius à Facultate Juridica peteret, quam causam defenderet, ut cò esset securior in Conscientia, quoniam aliàs, qui dubiâ Conscientiâ laborat, de facili se periculo peccandi exponere potest, & propterea Bene Cic. *lib. 1. Off.* inquit, præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum.

- 29 Hoc verò quoad Causam adhuc intolerabile videtur, quod communiter quidam Advocati Producta sua tot tantisque allegationibus Legum, Sententiarum, Consiliorum & Decisionum ambitiosius impleant, ut vim potius istis, sicuti Zieglerus in *Dic. cas. Concl. 39. §. 15.* quàm fidem facere velle videantur, quas tamen omnes ex locis communibus vel aliis Autoribus, quos fortè nunquam viderunt, nedum legerunt, vel legere ob hebetudinem iudicii potuerunt, bona fide exscribunt, & instar corii futurum tam diu distendunt, donec aliquo, quamvis difficillimo modo proposito suo
- 30 fiant accommodæ. Nam sicuti sanè ridiculum est, si ægrotus, uti loquitur Autor *discurs. vom Justitien. Werck. p. 29.* ex Galeno & Hippocrate curam Medico præscribere velit; ita non potest non Iudicibus ejusmodi allegationum luxuria maximo risui esse, cum Iudices Jus, quod ex facto oritur, ipsi scire teneantur; hinc in Curia Galliæ Advocatis Jura allegantibus responderi solet: Venite ad factum; Curia satis intelligit Jura. Casp. Klock. de *Ærario lib. 2. c. 124. n. 12.* Parth. litig. *lib. 2. c. 7. n. 22.* Deinde datur etiam

Adver-

Adversario occasio cavillandi, & allegationes in sensum planè alienum detorquendi, ne dicam, pro tam amplis scriptis Clientes magnos sumptus impendere cogi, quibus alias supersedere possent. vid. Dn. Christoph. Pellerus in *Addit. ad Klockii de Erario cit. loc.*

Coronidis loco quærere lubet, an Advocatus salvâ Conscientiâ in 31
una eademq; causa simul Judex esse possit? Diana in *Resolut. Moral. Tom. 6. Tr. 1. Resolut. 86. §. 1. & 2.* putat, quòd sic, modò in ipso cesset omnis inordinatus adfectus, & Sententiam ille proferat secundum naturam causæ; Verùm quoniam Advocatus Actoris vel Rei partes semper sustinet, per rerum naturam fieri non potest, ut Advocatus sit Judex in eadem causa; Judex enim neutri Parti addictus medium se præbere debet vid. Dn. Ziegl. in *sepius cit. Dicass. Concl. 19. §. 1.* Sanchez. *Tom. 2. Consil. Moral. lib. 6. c. 7. dub. 2. n. 1.* Conf. *L. Prætor 17. ff. de Jurisdic. omn. Judic. L. Quisquis 6. pr. C. de postul. L. Nemo ex his 13. §. eidem. C. de Adfess. domest.* Quodsi verò Judex fuisset 33
in prima instantia, salvâ Conscientiâ in secunda advocando illi subvenire Advocatum posse, qui in prima instantia obtinuit, ne injustè judicâsse dicatur, Dd volunt; alteram verò Partem, quæ succubuit in prima instantia, in causa appellationis juvare non posse, quoniam ita propriam Sententiam iniquitatis argueret, statuunt. vid. Döring. in *Bibliotheca Jurorum sub. voc. Adv. Assert. 224. B.* Dn. Brunn. *ad L. Quisquis 6. C. de postul. ibiq; allegatus Anton. Fab. in C. b. r. def. 1. & Wurmler. l. 1. tit. 1. observ. 7.* quamvis Judici semper incumbat in ejusmodi casibus probè Conscientiam examinare, an corruptus odiò vel irâ Sententiam contra appellantem dixerit, quod multorum Judicum crimen esse, luculenter experientia testatur, tunc enim gravissimè peccaret, si & tanquam Patronus Sententiam injustè à se latam, quasi rem benè gestam defendere vellet.

An autem in causa per transactionem compositâ salvâ Conscientiâ 34
præstare possit, dubitatur; Sanè notus est transactionis favor, qui tantus est, ut rei judicatæ comparetur per *L. Non minorem 20. C. de Transaction.* & ne quidem Imperial. Rescript. si bonâ fide inita sit, rescindi possit per *L. Causis 16. C. d. t.* ut hinc omninò injustum videatur & Conscientiæ adversum, sopitas lites resuscitare, & ita contra publicum Interesse, quod lites minui vult, peccare. Verùm cum & sæpius in ipsâ transactione Adversarii concurrat dolus, uti adparet ex *L. Sub pretextu 27. C. de Transact.* nil obstat, quò minus ob dolum in transactione adhibitum, eam impugnare possit Advocatus. Et hinc in casu obviente, ubi Advocatus

catus contra claram transactionem Processum susceperat, & inde à Judice ad pœnam condemnatus erat, eundem absolvendum existimavit Amplissima Facultas Juridica hujus Academiæ die 27. Octob. 1670. prout retulit mihi Magnif. Dn. Præses, Patronus meus æviternum mihi devenerandus.

Sed de hoc & aliis in conflictu, quem DEUS faustum & felicem esse jubeat! occasione datâ ulterius. Ceterum, Bonivole Lector, errores, quos ob judicium minùs limitatum fortean commisi, obnixè deprecor; Memineris enim, Te & me hominem, & me præsertim adhuc Juvenem discendi cupidum esse;

Interea rivos, Tibi grates, Numen Olympi,
Diffundens claudo; sat mea charta bibit.



B. C. D.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
CONSCIENTIA
PARTIUM IN JUDICIO,

QUAM
DEO BENIGNISSIMO ANNUENTE,
MAGNIFICO FCTORUM ORDINE CONSENTIENTE,

PRÆSIDE
DN. SAMUELE STRYKIO, J.U.D.

COM. PALAT. CÆS. PANDECT. PROF.
PUBL. ORDINAR. ET H. T. DECANO
SPECTABILI,

DIE XV. AUGUSTI ANNO M. DC. LXXVII.

HORIS LOCOQVE CONSUVETIS

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUTOR

JOHANNES CHRISTIANUS JOHN,


FREISTAD. SILESIUS.

Cum privilegiis.

Denuo edita M DC LXXXIII.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Sumptibus JEREMIAE Schrey & HENR. JOH. Meyer.
Vol. II. Disp. XIV.

Handwritten text, mostly illegible due to extreme fading and noise. Some faint characters and lines are visible, but no clear words or sentences can be transcribed.



PRÆLOQUIUM.

Vulgares de corruptâ judiciorum integritate, vel negatâ justitiâ, ubivis extant querelæ. Hanc quidem non rarò præconceptâ quadam spe frustratæ sibi fingunt Partes, sæpè tamen non fingunt, sed sentiunt. Graphicè illam depinxit, eique obicem ponere annisus est *Ventura de Valentis*, s. vero nomine *Jurga-Valentinus Winther in Partbenio suo litigioso*, aliique quam plurimi; sed successu hæctenus parum felici. Ego jam communia hæc mala prolixè repetere & deplorare nolo, de curâ tamen eorum planè non desperandum, sed contra audentius insistendum esse autumo. Sæpè tenax propositum vicit constantia. Varius utendum est mediis, quod unius Virtuti deest, alius supplebit efficacia. Et non unâ vice docuit experientia remedium extirpando malo adhibitum in vanum abiisse, quod leniori repetitum via optatum obtinuit effectum. Hæc & alia considerans & accuratius mecum perpendens, non malè me facturum existimavi, si, cum publico aliquo specimine rerum hic loci per triennium gestarum ratio reddenda esset, *Conscientiam Partium in judicio*, thema minuendis litibus non inconveniens, quodque uno in loco tractatum esse non deprehendi, excuterem. Malitia sane Partium vera negantium, falsâ asserentium, & litem frivole protrahentium, maximam partem hæctenus judiciorum integritati remoram injecit, quam remove Judex, etiam justissimus, nequit, cum occulta pectoris penetrare non possit. Partium igitur

tur Conscientia si rectè informata fuerit, videlicet: litès frivole non movendas, motas quàm celerrimè expediendas, omnià mendacia fugienda esse, & similia; ecquis non speraret justitiam universalem postliminò quasi reversuram. Hæc quidem Senioribus relinquenda videbatur industria, qui perpensiori judicio Conscientiæ scrinia excutere valent; verùm nec juvenes penitus hinc arcendi, cùm, qui juvenis examinare conscientiam didicerit, non peccabit aliquando Senex. Utinam omnes exploratâ prius conscientiam accederent forum; sic post lætam calumniarum segetem, innumeraque vel Clientibus, vel aliis, illata incommoda non tandem desisterent peccare. Nemo itaque mihi juveni adhuc vitio vertet, si pro ingenii modulo in Conscientiæ dictamen circa res exteriori foro agitari solitas inquisivero. Me ipsum enim non alios informare volui. Tu modò, ò DEUS justissime & injustitiæ Vindex severissimè, meis, precor, annuè cœpis. Tu verò, Lector benevole, qui justitiam, qui veritatem amas, benignam, quæso, largire veniam, quoties materiæ gravitati digna, & desiderio tuo sufficiens non respondet decisio. Spontè sequar meliora docentem.

CA-

CAPUT I.

De

Præjudicialibus Processus, ejusque
Obligatione in Conscientia.

S U M M A R I A.

AN judicia sint licita? n. 1. seqq.
Objectiones diluuntur. 5.

An Christianus s. c. in judicio litigare
possit? 6. seqq.

Qui rem injustè detinet, peccat. 7.

Explicatur locus 1. Cor. 6. v. 7. n. 8.

Modica damna æquo animo feren-
da. n. 10.

An tertius non læsus delictum denun-
tiare possit? n. 12.

Reipubl. interest delicta puniri. nu-
mer. 13.

De credentiâ delicti an revelari possit
remissivè. n. 14.

An quis alterius delictum accusare te-
neatur? n. 15.

De delicto committendo affirmatur.
n. 16.

Declaratur Decisio. n. 17. 18.

An furtum accusare teneat? numer.
19. seqq.

De delicto commisso negatur. n. 23.

Limitatur decisio. n. 24. seqq.

An ob accusationem omittendam lu-
crum capere liceat? n. 29. 31.

De adulterio transigere maritus ne-
quit. n. 30.

In judicio agere omnibus licet. n. 32.

Quibus casibus filius possit contra Pa-
trem agere. 33. seqq.

De peculio Adventitio Extraordina-
rio filiusfam. testari nequit. nu-
mer. 36.

An in F. C. filius contra Patrem agere
possit? n. 41.

Filius contra Patrem acturus quid ob-
servare debeat? n. 45.

An filius Patrem accusare possit. num.
48. 49.

An subditus contra Principem agere
possit. n. 51.

An contra Magistratum inferiorem,
n. 52.

Quomodo Superior subdito contra
Magistratum Processum decernere
debeat, remissivè. n. 55.

An Professor juris contra consilium
parti datum agere possit? nu-
mer. 56.

Minima enim circumstantia variat
casum & jus. 57.

An pars se sententia per Autoritatem
aliquorum probata, rejectâ aliâ,
conformare possit. n. 59.

Probabilitas sententiæ à sola Autoritate petita valdè exigua est, remissivè. n. 60.

Judex & consiliùm dans conscientiam petentis attendere debent. n. 63.

An Christianus s. c. actione injuriarum agere possit. n. 67. seqq.

Fagundez notatur. n. 68.

Diversæ sunt actiones legis Aquiliæ & injuriarum. n. 69.

Actione injuriarum remissâ actio ex lege Aquiliâ salva remanet. numer. 70.

Actio injuriarum quotuplex. n. 71.

Vindictæ studium displicet DEO. numer. 73.

In injuriam publicè illatam Magistratus ex officio inquirere debet. numer. 75.

An egrotus, qui publicè de suggestu per Ministrum Ecclesiæ deprecatus est, reconvalescens injuriarum agere possit? n. 80.

Limitatur Decisio. n. 81.

Processus quotuplex sit? n. 83.

Processus summarius quis sit? n. 84.

An litigans semper Processu Summario uti debeat? n. 85.

Partium arbitrio relicto Processum summarium pro ordinario eligere, remissivè. n. 86.

Ad actum perfectè bonum quid requiratur? n. 88.

De omni otioso verbo reddenda ratio. n. 89.

Juris divisio in scriptum & non scriptum. n. 91.

Jus feudale quale jus sit? n. 92.

Processus judicarius ad quod jus referendus? n. 93.

An Consuetudo obliget in Conscientiâ? n. 94.

An & quomodo leges Civiles obligent in Conscientiâ? n. 97. 98.

An processus judicarius obliget in Conscientiâ? n. 100.

Judex Formalia Processus non observans Appellationi locum facit, etiam in causa aliâ non appellabili. n. 101.

Formalia juris etiam rustici observare tenentur. n. 102.

Ui judicii locum intrare cupiunt non ipsa statim illius limina tangunt, sed per vestibula & atria eò perveniunt. Pariter & ego de judiciali disceptatione quoad forum Conscientiæ quædam scripturus, non ipsius statim rei arcem invadere, sed terminorum evolutionem præmittere deberem, nisi propter nimiam eorundem notorietatem à tuâ, Lector, benevolentia veniam ejus facile sperarem. A Præjudicialibus tamen ut incipiam, monet ratio *l. 16. ff. de Except.* & in his maximè judiciorum asserenda est integritas. Anabaptistæ quidem omnia judicia & tribunalia secularia evertere conantur; malè tamen: quia prima judi-

judiciorum origo ex jure divino deducenda, & ab ipso Autore DEO dependet. Hic enim in Paradiso primum nostrum Parentem ad se tanquam in jus vocat, & ob transgressionem mandati inquit, exceptiones contra allatas audit, & postea eum justâ sententiâ condemnat. *Gen. 3. v. 8. seqq.* Postea idem DEUS, cum populo suo præesset, judiciorum constitutionem ipse præcipit, eaq; ut sancta & intemerata conserventur, certis Regulis circumscribit *Deut. 16. v. 18.* vid. Dn. Ziegler. in *Dicaſtice Diſſert. prælim. §. 5. 33. & 34.* His tam angustis initiis accedit, quòd judicia jure naturali ad bonum statum societatis humanæ necessaria sint. Dn. Ziegler. *d. l. §. 6.* talia autem non tolluntur, sed stabiliuntur, diriguntur & perficiuntur per Christianæ religionis instituta, quia religio Christiana non destruit, sed perficit naturam. Amesius *de Conſcient. L. 5. c. 54. n. 2.* Nec movent objectiones adversariorum, quas prolixè refutavit *Spanheim. P. III. Dubb. Evang. 126 per 101.* & incomparabilis *Grotius de J. B. & P. L. l. c. 2. §. 8.* qui omnibus suis argumentis hoc præmittit: Si Christo fuisset propositum omnia judicia tollere, eum facturum id fuisse verbis quàm maximè expressis & specialibus, ob rei magnitudinem & novitatem, eoque magis, quòd nemo Judæus aliter cogitare poterat, quàm leges Moſis ad judicia & Rempubl. pertinentes vim suam in homines judicatos habere debere, quàm diu staret illa Respubl. *Vid. Joh. Ad. Oſiander in not. ad h. l. Grotii obs. 2. & Ziegler. in not. ad d. l.*

Exinde facile sequitur, quòd homo Christianus omninò salvâ conscientia jus suum judicialiter prosequi possit. Si enim judicia non solum licita sunt, sed & necessaria, neque peccabit, qui illis, tanquam remediis jure concessis, utetur; & si judiciorum finis est, ut suum cuique tribuatur, quid vetabit, quò minus juris sui ab altero injustè ablati restitutionem judicialiter quis petat. *Vid. Carpz. P. I. C. 1. D. 10. Petrus Gregor. Tholosanus Synt. jur. L. 47. c. 1. n. 9.* Ne dicam: quod hoc pacto conscientia Rei facilius liberetur, qui alias rem injustè detinendo peccaret, & aeternum periret. *Rebellus de Obligat. just. P. I. L. II. qu. 1. n. 10.* Neque obstat nobis, quem dissentientes tantoperè urgent, locus *1. Cor. 6. v. 7.* Paulus enim ibi Corinthios reprehendit, non, quòd judicia exerceant & in foro contendant, sed quòd non amputent & evitent occasionem, quæ provocandi judicia necessitatem inducat, quodque alter alteri injuriam inferat, proximum damno afficiat, talibusque contentionibus & litibus causam præbeat, quas judiciis dirimi oporteat, verba sunt Dn. Ziegleri in *Dicaſt. Diſſert. prælim. §. 3.* qui tamen idem in *not. ad Grot. L. II. c. 20. §. 10. n. 10.* dicit:

9 dicit: non licere homini Christiano ob titivillitium, stillicidium, cloacam aut rem illam modicam litigare in judicio, cum ipsæ etiam leges
 10 civiles modicum damnum æquo animo ferre jubeant. *L. 25. §. 6. ff. Locat. Carpz. P. I. C. 1. D. 9.* res tamen modica hîc non in Abstracto, sed Concre-
 11 to, talis æstimanda erit. Egregiè & satis piè cuius consulit *B. Dn. Lutberus in Apost. Domest. Expos. Evang. in Dom. Trin. 23.* his verbis: *Wer sein Recht durch ordentliche Mittel und Wege erhalten kan/ der thut daran nicht unrecht; Denn Gericht und Recht sind von Gott selbst geordnet/ daß man es suchen und brauchen soll. Wo man aber das Recht nicht erheben kan (vel ob paupertatem Rei, vel ob injustitiam Judicis) soll man nicht ungeduldig seyn noch viel klagen/ sondern gedencken/ daß man solch Unrecht von Gott wol verdienet hat.*

12 Eadem rationes militant quoad accusationem in Criminalibus ratione partis læsæ. Dubium superesse videtur quoad tertium non læsum. Sed & ratione hujus eam ex genere permissorum in utroque esse foro, arbitrator. Accusatio n. vel Denuntiatio (his vocabulis nobis hîc perinde uti liceat, quamvis aliàs ratione modi procedendi ab invicem distinguantur) nihil in se continet, quod Conscientiæ adversetur, si non privatæ vindictæ cupiditate, sed animo impediendi delicta, & promovendæ
 13 salutem publicam studio, suscipiatur. Nam utut delictum illud tertium non lædat, lædit tamen Remp. à cujus salute ipsius salus maximam partem dependet. Hujus autem interest delicta non manere impunita. *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. & pœnam faciliè non remitti. l. 14. C. d. pœn.* Hinc in talibus Nobile Judicis officium locum habet. *l. 13. ff. de Off. Præs.* quod in privatorum rebus mercenario cedit, nisi speciatim imploretur. *vid. Sutholt.*

14 in *Disp. de Jditi. n. 272.* Limitanda tamen est superior decisiõ: nisi accusaturus crimen commissum sciat ex delinquentis credentiã; ubi conscientiæ dictamen, ob tacitum illud de non revelando interveniens pactum, accusationem prohibet; cujus limitationis rationes & sublimitationes accuratè expositæ videri possunt in *Disp. de Credentiã Revelatione* antehac hîc editã, quò benevolum L. in casibus obvenientibus remitto.

15 Cùm autem omninò diversum sit facere aliquid posse, & facere teneri, diversam quoque ab hâc decisionem merebitur quæstio: An quis teneatur accusare vel denunciare alterum? In Corpore Juris Civ. titulus est Codicis: *Ut nemo invitus agere vel accusare teneatur*, qui quidem suas etiam patitur limitationes & restrictiones, quas vide in *Axiom. Barbos.*

locupl.

locupl. L. i. c. 47. ax. ult. In F. C. ita distingvendum; Aut quæstio est de delicto committendo, aut de delicto commisso. Delictum committendum quilibet accusare tenetur. Aliter si facit, injurius est in Rempubl. quippe cujus maximè interest delicta revelari, & provinciam à malis hominibus purgari. *L. 13. ff. de Offic. Pras.* Injurius etiã est in ipsum delicturum; naturalis enim & civilis ratio exigit, ut homo, quæ homini nociva, ab ipso avertat, si possit; maximè igitur tenebitur ad animæ periculum avertendum, quod omittit, dum crimen alterius non accusat, & sic accusando impedit. Denique injurius est in tertium, in cujus læsionem delictum tendit, ab hoc periculum non avertendo, quod facere poterat. Quid? quòd simul incidat in periculum consensus, & in delictum quasi consensisse videatur; qui enim à socio non repellit injuriam, si potest, tam est in vicio, quàm ille qui facit *c. 7. c. 23. qv. 3.*

Ex dictis patet quòd, si privatà dehortatione, vel alio remedio, delictum impediri, & damnum à proximo averti possit, accusatio non statim necessaria, sed semper mitius prius eligendum, & quod cum minori delicturi danno conjunctum. *Zæsius ad tit. de Accus. n. 18.* Hoc si non sufficiat, accusationi omninò locus, nec periculum accusandi attendendum est, cum aliter delictum impediri nequeat, magisque consulendum sit innocenti tertio, cujus melior est conditio, quàm nocenti peccaturo. *Zæf. d. 1.*

Quæ de delicto committendo dicta sunt, etiã in furto, quamdiu res ablata nondum restituta est, attendenda; tamdiu enim delictum committendum adest: si quidem fur detinens rem furtivam in continuato delicto versatur, & quotidie furtum facit; imò, si quis rem aliquam acciperet suam credens, sicque furtum non committeret, postea eam esse comperiens non restituendo furtum facit. Ratio: quia præceptum negativum de furto non faciendo includit simul affirmativum de restituendo. *Rebellus de oblig. Just. P. I. L. II. qv. i. n. 5. & 6.* Idemque innuit *l. 6. C. de Furt. & Serv. Corr. Vid. Valerius Differ. utr. for. v. Denunciatio Diff. 2. pr.* ubi non incongruè statuit: sufficere hoc casu indicare furtum, non verò necessarium esse ut denunciatur fur, nisi id iudex inquirens ex officio exigat.

Quod crimen commissum attinet, id regulariter accusare nemo tenetur, per *cap. licet circa fin. de Accusat.* Vid. *Steph. Fagundez ad Decal. L. VIII. c. 49. n. 5.* Cum enim factum infectum fieri nequeat, & per accusationem crimen jam commissum non impediatur, sicque hoc in casu

- raciones superius allegatæ cessent, in foro quoque conscientia exculpandus erit ille, qui vult humanum sanguinem redimere, & spe melioris frugis accusationem omittere. Hinc mox notabiles emergunt limitationes: I. Si nulla spes melioris vitæ superfit, sed potius continuatio delicti metuatur, quia tunc semper subest crimen committendum; quò maximè respiciendum in delictis, quæ facile iterari solent v. g. adulterio &c.
- 24 *Vid. Valerius verb. Denuntiatio Diff. 3.* Limitatur II. si omisâ accusatione damnum Reipubl. inferatur. Semper enim salus Reip. suprema lex esse debet, & cujusvis privati salutis & vitæ præferri. Huc casum homicidii refert Jctus Religiosus B. Dn. Brunnemannus *Proc. Inquis. c. 4. n. 27.* ut terra expietur. Limitatur III. si aliàs innocens in inquisitionem veniret, pœnaq; mortis pro nocente afficeretur. Lessius *de Just. & Jur. L. II. c. 11. Dub. 9.* Melius enim esse constat, ut de nocente meritum sumatur supplicium, quàm ut innocens pœnas luat inmeritas. Quod multò magis obtinet, si mihi grave aliquod incommodum, v. g. tormenta, esset subeundum, amor enim sui amoris tertii semper præferendus. Lessius *d. l. Dub. 8.* Limitatur IV. si justus Superioris accesserit; hic enim conscientias subditorum stringit. *Rom. 13.* Vid. Mench. *de arbitr. jud. qu. ff. LI. cas. 355. num. 4.* Idem est si lege alicujus criminis revelatio vel denuntiatio injuncta, est enim lex justus Superioris. Notabile hujus rei exemplum habemus in crimine læsæ Majestatis, cujus denuntiatio præcipitur
- 25 in *l. 5. §. ult. C. ad L. Jul. Majest.* Extra hos casus igitur delictum commissum accusare non teneor; neque tamen lucrum propterea à delinquente capere possum. *arg. l. 4. §. 4. ff. de condi. ob turp. caus.* multa enim
- 30 reticere licet, quæ pecuniâ acceptâ reticere non licet. Simile exemplum datur in crimine adulterii: maritus de adulterio transgens, & sic pecuniam accipiens, crimen lenocinii incurrit. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult.* si verò uxori nocenti injuriam remittat, & in matrimonio eam retineat, non peccat, prout intelligendus videtur Dn. Carpzov. *Prax. Crim. qu. 71.*
- 31 *n. 31.* Excusant tamen Moralistæ à peccato eum, qui ob omisâ accusationem pecuniam idèò accepit, ut ad pios usus impenderet, quia tunc non amplius esse videtur lucrum taciturnitatis causâ captum, sed quasi pœna delinquenti imposita ob commissum delictum.
- 32 Generalibus his breviter præmissis, specialiores quosdam casus agredimur, &, dum de personis acturis primo loco sermo erit, certa debet esse regula: *Agere vel per se vel per alium potest quicumq; non prohibetur.* Ad hoc enim instituta sunt judicia, ut injuria ex jure corrigatur, & parti læsæ

læsz satisfiat; hinc patere omnibus debent judiciorum fores, nisi illa injuriam fovere imò inferre velint, cui tollendæ sunt ordinata. Specialis tamen ratio quosdam in certis casibus excludit. Videtur autem maximè prohiberi filius contra patrem agere, per *l. 6 ff. de in jus voc. sed d. l. loquitur* saltem de violentâ in jus vocatione. Distingvendum tamen inter filium emancipatum, & filium familias. De illo certum quod possit patrem in judicio convenire. *l. 7 ff. de O. & A.* quia per Emancipationem jus patriæ potestatis in totum solvitur. *§. 6. f. quib. mod. jus patr. pot. solv.* cessante igitur causâ, cessabit quoque effectus. Ratione filii fam. iterum dist. Aut agitur de peculio castrensi, & tunc agere potest. *l. 4. ff. de Judic.* quia filius fam. in castrensi peculio habetur pro patre fam. *l. 2. ff. de S. Cro. Macced.* Idem in peculio quasi Castrensi, quia hoc ad similitudinem Castrensis est redactum per *l. 6. pr. in fin. C. de bon. qua lib. in put. & Adventitio Extraordinario*; quamvis enim de hoc testari nequeat filius fam. nec consentiente Patre, eò quòd non sit Paterfam. *Nic. Aeusner. Tr. de Testam. p. 1. c. 28. n. 19. seqq.* quoad actus tamen inter vivos liberam in illo administrationem habet. *Nov. 117. c. 1.* Imò hodie etiam in peculio Adventitio ordinario; cum enim in hoc usum fructum tantum habeat Pater. *l. 6. pr. C. de bon. qua lib.* omninò à filio conveniri poterit, si eo jure abutatur. Dn. Brunn. *Comm. ad l. 4. ff. de judic.* Hinc si pater incipiat dilapidare bona adventitiæ, filius agere potest *ex l. Imperator 50. ff. ad S. Cr. Trebell.* ut eorum administratio filio vel soli, si majorennis, vel Curatore constituto, si minorennis, concedatur, patrique inde nihil relinquatur, nisi alimenta, si egenus sit. *Molina de Just. & Jur. Tract. II. Disp. 228. n. 5. Paulus Castrensis ad d. l. 50. n. 4.* Aut agitur de peculio profectitio, quale hodiernum est, si pater filio certam pecuniam ad negotiationem concedat, eumque nihilominus in potestate retineat; & tunc filius contra patrem agere non potest. quia his casibus pater & filius habentur pro una personâ. *l. fin. C. de impub. substit.* neque ad dimidium ejus lucri quod filius ex illo peculio per operas suas acquisivit, secundum veriore sententiam, quia filius in potestate constitutus operas suas patri debet, prout decisum refert Dn. Brunnemannus, nunquam sine veneratione nobis nominandus, *Cent. 3. Dec. 30.*

In F. C. acturo magnopere se opponet reverentia Patri debita, quæ nec per Emancipationem tollitur; illa enim juris naturalis est, hæc tantum tollit ea quæ sunt juris Civilis, urgetque hanc Ludovicus Dunte *in cas. consf. c. 10. Sect. 2. qu. 1.* & Balduinus *de cas. consf. L. IV. c. 14. c. f. 13.* Deinde: judi-

- cia tribuunt justiciam, inter patrem & filium verò non est propria & rigorosa justitia, sed sunt actus pietatis, & similes. Lessius *L. II. c. 1. Dub. 1.*
- 43 in *fin. Andr. à Matre DEI Theol. Mor. Tr. XII. c. 1. p. 107. 3. n. 20.* Sed ipsi rem explicant hoc modo: Actus pietatis dantur in rebus, quibus à se invicem dependent; dantur tamen & actus justitiæ, in quibus rebus hæc dependentia cessat. Et posito, dari meros actus pietatis, hæc pietas tamen debetur ex justitiâ, quapropter eam negantes nihilominus per judicium cogi possunt, ut tribuant cæteris quod illorum est. Ad primum dubium respondeo: Quod inter patrem & filium reciprocatio quædam sit obligationis naturalis, Parentesque vicissim natura obliget ad pietatem & amorem liberorum, ut sic, quemadmodum liberi adversus Parentes delinquentes impiè faciunt, ita parentes, qui liberos lædunt, graviter peccent. *Ephes. 6.* Filio igitur læso, contra patrem agenti, nulla vel impietatis, vel ingratitude, nota inuri poterit, cum jus suum presequens
- 45 nemini, & sic nec Parenti, faciat injuriam. Quamvis ad legale hoc auxilium non facilè, nec temerè, nec levi aliqua ratione, sed justis & magnis causis permotus devenire, & actionem intentandam verbis temperare, & patrem devotè humiliterq; sine ullâ acerbitate convenire debeat.
- 46 Ern. Cothmannus *Resp. Jur. Vol. IV. Resp. 9. n. 13.* Hinc olim venia semper impetranda erat. *l. 13. ff. de in jus voc.* quod licet hodiè cesset, *Carpz. P. I. C. 2. D. 26.* nihilominus tamen vinculum illud in libello exprimendum. *Struv. l. 19. Zes. n. 15. ad tit. de in jus voc.* & si vel filius contra patrem, vel pater contra filium, calumniosam litem moveat, calumniator non solum in expensas litis condemnandus, sed insuper multâ plectendus, prout in vitrico decisionem habet *Mev. P. III. Dec. 298.* Ab accusatione tamen
- 48 Patris filius abstinebit. *Fagundez. ad Decal. L. IV. C. IV. n. 11.* cum nec de jure permissum sit fratrem accusare. *l. 13. C. de his qui acc. non poss.* *Decianus Pr. Crim. L. III. c. 13. n. 15. seqq.* multò minus Patrem. *l. 11. §. 1. ff. de Accus.* nisi veniat ad patriam delendam, & Parentes & liberos occidendos, ubi non solum filius accusans, sed & interficiens patrem, præmium meretur, verba sunt *l. 35. ff. de Relig. & sumpt. fun.* naturalis quippe ratio dicitur, commune bonum præponendum esse proprio & particulari, à Principe autem & Republ. plurimorum salus dependet. *Fagundez. d. l. Vid. Azor. Inst. Mor. P. II. L. II. c. 2.*

- 51 A Parentibus & Liberis ad Imperantes & Parentes progredimur. Certum est Principes imperii in primâ instantiâ coram Austregis à quocunque subdito conveniri posse. *Ord. Cam. P. II. tit. 14. in fin.* *Blumius in Proc.*

Cam.

Cam. tit. 27. n. 52. Notum etiam quod Principes ipsi in suis territoriis certa habeant judicia, in quibus subditis se convenientibus respondent. Quid igitur obstabit subdito, quò minus graviter læsus hæc Principis sui benevolentia utatur, non tamen abutatur.

De Magistratibus inferioribus minus dubium. Jure quidem Rom. 52 eos in jus vocari non potuisse, docet *l. 2. ff. de in jus voc.* sed hodiè expeditum est, quoslibet Magistratus inferiores coram Superiori conveniri posse, cum & Superioris interfit, ne subditi sui à mediatis Magistratibus iniquis gravibusq; modis ònerentur & vexentur, siquidem hæc mala ad Superioris quoque incommodum redundant, Imperiique vires & gloriam minuunt. *Gail. L. I. obs. 17. n. 5.* Quare in conscientia quoque securus erit 53 subditus, qui remediis de jure sibi concessis, & ad Recip. incolumitatem tendentibus, utitur, & Magistratum suum convenit, modo hoc modeste faciat & nonnisi cum præfatione honoris. Sancta enim semper & venerabilis Magistratus persona debet esse subditis, & Parentis loco veneranda, 54 ideò eadem ferè reverentiâ, quâ filius adversus Patrem, subditus aget contra Magistratum. *Mev. P. VI. Dec. 70. n. 14. & 15.* Quemadmodum etiam 55 Māgistratus Superior, antequam subdito Processum decernat, cautè in causam litis inquirere, &, quamvis eam satis prægnantem inveniat, nihilominus omnia alia remedia tentare, his verò nihil operantibus ad viam demum judicariam devenire debet. *Vid. Mev. d. l. Gail. L. I. obs. 17. Min-danus de Mandat. L. II. c. 13. per tot.*

Hucusque jus agendi illis, quos reverentiæ respectus excludere videbatur, assertum. Antequam personas acturas relinquamus, quaerendum adhuc de Professore s. Doctore juris, an hic, si aliquando rogatus consilium dedit alicui, actionemque competere negavit, postea ipse in simili casu litem suscipere possit salvâ conscientia? Ab initio autem præ- 57 suppono casum in iisdem planè terminis stantem; aliàs, dum minima circumstantia, & vel voluntas seu inclinatio agentis casum variare potest, variato eo & jus variari necessum est. *Vid. l. 52. ff. ad L. Aquil. l. 16. ff. de pan. adeò, ut inde, quòd aliquando simili in casu hoc vel illo modo decisum fuerit, argumentum ducere non liceat, nisi circumstantiæ per omnia convenient.* *Mart. Magerus à Schanberg de Advocat. arm. c. 6. n. 661.* Præsup- 58 positis igitur iisdem causæ momentis ad rem. *Laymann. Theolog. Moral. P. I. L. I. Tr. I. c. V. §. 2. m. 9.* quaestionem affirmat, dum dicit: Quòd Doctor Consulenti Consilium dare possit, non solum ex propria, sed etiam ex oppositâ probabili aliorum sententiâ, si fortè hæc illi favorabilior sit vel exoptator,

- quamvis idem Doctor ejusmodi sententiam speculativè falsam esse sibi persuadeat, eamque practicè sequi non possit, & hoc ex ista potissimum ratione: quia consulens s. consilium petens in re dubiâ jus habet se conformandi opinioni, quæ à quibusdam viris doctis defenditur, non obstante quod alii contradicant. Verùm simpliciter admittere non possum licere alicui solâ quorundam autoritate niti, si rationum pondera non accedant, & plures contradicentes solidioribus argumentis utantur, cum probabilitas à sola autoritate petita exigua planè sit & parvi momenti. Vid.
- 60 Dn. Ziegler. *in Dicast. Concl. 40. §. 28.* Hinc rationes potius utrinque conferre, & expendere decet non quid alicui sentiant, sed quibus fundamentis moti statuunt, eamque semper opinionem sequi, quæ videtur verior & probabilior, quo de latè agit Ziegler. *d. Concl. 40. à §. 42. usq. ad §. 59.*
- 61 Qui de re dubitat, eleganter inquit Franciscus Bordonus *in præpugn. opin. prob. c. 5. n. 1.* ut se à difficultate illâ liberet, incipit investigare veritatem, vel per se studendo, si doctus est, vel ab aliis resolutionem quærendo. Hòc sine igitur dum à Doctore quærit, non autoritatem solam Dd. diversa statuentium, quippe quæ dubio illi excutiendo non est, sed insimul fundamenta ut causam penetrare possit, ejusque informationem petit,
- 62 quæ ex diversis sententiis optima sit & eligenda. Jam, cum perinde ut Judex in ferendâ sententia Mev. *P. I. Dec. 146. n. 7.* Decianus *Pract. Crim. L. II. c. 12.* Doctor in dando consilio teneatur attendere forum animæ, & quantum in ipso est, conscientis consulere. Valerius *Differ. utr. for. in prælim. n. 14.* quod exemplo suo probavit verum illud veræ pietatis exemplar B. Dn. Brunn. *Conf. 62. pr.* illam præferre debet, quam Conscientiæ
- 63 quærentis tutissimam æstimat. Metiri autem conscientiam alienam accuratius non poterit quàm ad normam propriæ; quod si facit, respondet quemadmodum conscientia dicitur, ut ipsè in simili casu faceret. Ex quo sequitur eum hòc obvéniente aliud sine læsione conscientiæ observare, & in genere. Doctorem juris contra Consilium aliquando datum
- 64 in agendo procedere non posse. Limit. nisi priorem sententiam jam dudum; quod sæpius fieri solet, ex prægnantibus causis mutaverit, nullaque lucri cupiditas subsit, quod ipsius conscientiæ relinquendum.
- 65 Dixi: *Jam dudum.* Imminente enim lite non svaderem, ut eam mutet, cum nemo tam liber sit ab affectibus, quin lucrum speratum ad mutationem illam plurimum conferat, & quod aliàs pro injusto haberetur, tanquam justum proponat.

Personarum considerationem actionum qualitas excipit, ubi maxime considerari meretur actio injuriarum, an sc. Christianus S. C. possit actione injuriarum agere? Fagundez *ad Decal. Tom. II. L. 8. c. 17. n. 16.* dicit: satisfactionem pro injuriâ non teneri injurium dimittere, injuriante licet veniam lachrymis petente; quæ verba, quamquam satis dura, de actione legis Aquiliæ, qua damni realis per injuriam illati restitutio petitur, admittemus; nemo enim ex delicto alieno damnum sentire tenetur; non autem de actione injuriarum. Diverſæ siquidem hæ sunt actiones, & ad diversa tendunt, altera sc. ad restitutionem damni, altera ad vindictam. *l. 7. §. 1. ff. de injur.* hanc invicem cumulari possunt. *l. 7. §. 1. ff. de Condict. furt.* & actione injuriarum remissa, actio ex L. Aquilia tamen salva remanet. Menoch. *L. III. præf. 114. n. 3.* Covarruv. *Var. Resol. L. II. c. 10. n. 7.* Berlich. *P. V. Concl. 70. n. 26.* Ipsam injuriarum actionem quod attinet, illa duplex est: Civilis, & Criminalis. Illa est, qua Actor petit pœnam sibi applicari, æstimando injuriam prævia moderatione Judicis, mediante juramento, quod in praxi vocatur Minorationis, Minderungs. Eyd/ daß er lieber 1000. Reichthal. verlieren wolle/ als solche ausgegessene injurien auff sich erlügen lassen. Hæc est, qua Actor vel ad pœnam corporalem, vel ad multam publico applicandam, agit. Utraque quidem ad vindictam tendit, ob generalitatem *d. l. 7. §. 1. de injur.* magis tamen illa, quam hæc. Majori enim vindictæ ardore accensus astat animus unicum verbum, quod tamen alterius opinionem quoad effectum juris non lædit. *l. un. C. de Fam. lib. in fin.* tanto pretio æstimans, & æstimationem factam juramento confirmans; proinde hæc actio conscientiam Christiani illæsam non servat. Hoc enim vindictæ studium quantoperè DEO displiceat, & quantoperè exosum ipsi reddat hominem, videre est *Matth. 5. v. 20.* ubi sedulo inculcat, satius esse secundam potius perferre injuriam, quam vindictæ cupiditate & animo nocendi arcere priorem. Vid. Lessius *de J. & J. L. II. c. 47. Dub. 4. n. 27.* Criminalis injuriarum actio citius à vindictæ studio poterit esse libera, quia in illâ non tantopere damno proximi exsatiari cupio, & pœnam publico committo. Inprimis salva est conscientia, si instituat hunc in finem, ut is, qui injurias fecit, corrigatur, & publicâ autoritate reprimatur, ne injurias semel illatas repetat, vel aliis similiter noceat, aliq̄ hujus pœnâ à pari delicto absterreantur, & omnes malefactores debito modo puniantur. Dn. Ziegler. *ad Grot. L. II. c. 20. §. 10. n. 8.* præsertim si injuria publicè illata, quia per hanc sæpè Reip. tranquillitas turbatur. Hinc Magistratus in injuriam notoriam ex officio inquirere debet.

- debet. Carpzov. *Pr. Crim. P. II. qu. 107. n. 32.* quamvis pars læsa injuriam inferenti remiserit. *Idem d. l. P. II. qu. 97. n. 50. & in Jprud. Orens. P. IV. C. 46.*
- 76 D. 9. Maximè tamen licita, imò necessaria est injuriarum actio, si intendatur, ut publicè innotescat falsum esse id, quod actori ab altero imputatur, eoque magis, si persona injuriata sit in officio publico constituta, quam ab injuriis immunem ac integræ famæ haberi publicè interest, ne contemptui exponatur, & administrando muneri suo minus idonea reddatur. Bachov. *ad §. fin. I. de injur.* Idem si in honesto Collegio ver-
- 77 sans injurietur, vid. Lessius *L. II. c. IV. Dub. 10.* aut speciale aliquod delictum imputetur, wenn einer für einen Dieb gescholten wird/ quia hoc famam
- 78 magis lædit, certiusque de animo injuriandi constat. Tali modo Præceptor noster Christus, cum coram Caiphâ Pontifice Max. in unâ maxillâ percuteretur, non præbuit alteram, sed percussori, si non manu, voce tamen restitit, & prohibuit, ne, qui fecerat injuriam, augetet. *Job. 18. v. 22. 23.* Paulus virgis cæsus & in carcerem conjectus, acriter & minaciter jus suum urfit. *Act. 16. v. 37.* Idem, cum ab Anania Pontifice cædi juberetur, quantum potuit restitit, serioque & vehementer de injuriâ protestatus est. *Act. 23. v. 3.* Rectè igitur & satis piè distingvit & dicit Ern. Cothmannus *Resp. Jur. Vol. V. Resp. 42. n. 12.* Actio injuriarum duplex est: Altera honorabilis, quæ sine vindictâ ad famæ persecutionem; Altera utilis, quæ ad pœnam s. vindictam tendit. Illam sine existimationis læsione vir bonus & rectus omittere faciliè neq; potest, neq; debet, hanc vel negligere, vel remittere, pium est & Christianum.
- 80 Eò autem magis pium erit & Christianum ab injuriarum actione abstinere reconvalescentem, qui ægrotus publicè de suggestu per ministrum Ecclesiæ deprecatus est, submissa contestatione, se pari modo adversariis suis omnia remisisse, quò magis morti vicinus memor salutis æternæ præsumitur, quoque majori contestatione conscientiam suam exoneravit; hinc & in foro exteriori à Judicio talem repellendum esse st-
- 81 tuit Dn. Præses in *Tr. de jure Sens. Diff. IV. c. IV. n. 10. seqq.* Iterum tamen limitatio occurrit, si vel damnum reale ipsi erat illatum, ubi actio legis Aquiliæ salva manet, solam enim vindictam remisit; vel speciale aliquod delictum imputatum, ut propterea honesto collegio excludendus veniat,
- 82 ubi ad famæ restitutionem agere potest. Quamvis enim injuriato reverrà nihil absit, cum privatus nemini famam auferre & restituere possit, per definitionem famæ, quæ habetur in *l. 5. §. 1. ff. de Extraord. Cognit.* dum tamen

tamen æstimatione vulgi creditur abesse, dandum aliquid opinioni, & ita ab auferente quasi restituenda.

Nun sequuntur pauca de ipso Processu, eò quòd plurima in sequentibus hac revocabuntur. Est autem Processus vel Ordinarius, vel Summarius. Ordinarius est, in quo casu pleno & solenni Processu ventilatur; Summarius diversimodè capitur, uti tradit Dn. Brunnem. *in Proc. Civ. c. 1. n. 23.* Nos cum laudato Dn. Brunn. *n. 24.* eum intelligimus, ubi, omiſſis solennitatibus, Judex tamen nihil omittit, per quod impediatur aut occultetur cognitio veritatis, quique quoad probationem idem est ac ordinarius. Et hunc, quemadmodum salvâ justitiâ in omnibus causis introduci posse docet Dn. Brunnem. *d. l. n. 22. seqq.* sic litigatorum eodem semper uti debere putamus. Non equidem simpliciter affirmare ausim, peccare eum qui ordinario processu agit, si eo causæ suæ melius consuli putet, nec animus protelandi litem adsit; tutius tamen processum adhibet Summari-um. Quod enim Ordo judiciarius Processum ordinarium non præcipiat, sed in gratiam saltem litigatorum permittat, exinde patet, quòd Partium arbitrio relictum præ hóc Summari-um eligere, teste Dn. Brunn. *d. l. num. 19. seqq.* Carpzov. *in Proc. tit. 1. art. 1. n. 57. seqq.* Vid. Anton. Blancus *de Compromiss. qu. 8. n. 15.* Leges verò permittentes non semper securam reddunt Conscientiam, cum permittendo factum non probent. Deinde, quemadmodum omnis lis injusta est, quæ non est necessaria, sic, quævis necessaria & justa, injusta fit, si non celerrimè expediatur. Omnis enim actus humanus simpliciter bonus non est, nisi omnes bonitates, tam objecti & finis, quam circumstantiarum debitarum habeat, cum bonum non nisi ex causa integrâ, malum verò ex quocumq; defectu consurgat. Gregor. Sayrus *in clar. reg. L. II. c. 3. n. 9.* Sic lis justa, si tardius quàm decet expediatur, quoad circumstantias quasdam injusta redditur. Quod si de omni otioso verbo reddenda erit ratio in extremo judicio. *Matth. 12. vers. 36.* multò magis factum tale, quod non solum nullum usum, sed & proximo damnum affert, & judiciorum integritatem quodammodo violat, rationum redditioni subjacebit. Judicialis illius disceptationis finis sanè est veritatis investigatio; Processus autem Summarius æquè veritati eruendæ sufficit ac Ordinarius; Quid igitur tot a bagibus opus est? Quare actus præter necessitatem prolongandi, & quod fieri potest per pauca, fieret per plura, non solum cum jacturâ temporis sed & proximi incommodo? Quare à peccato vix erit immunis, qui, relicto Processu Summario, Ordinario experitur.

- 91 Restat adhuc in hōc cap. designanda Processus obligatio in Conscientiā. Jus duplex est scriptum vel non scriptum. Illud propriè dicitur Lex, hoc consuetudo; interdum aliquod Jus certo respectu est scriptum &
- 92 non scriptum. Sic Jus Feudale, quatenus ex Consuetudinibus Longobardicis constat, est non scriptum, quatenus his Constitutiones quædam Imperatoriæ accesserunt, est scriptum, quamvis communiter à potiori Consuetudines Feudales appellentur. Dn. Praeses *Exam. Jur. Feud. cap. 1. qv.*
- 93 *ii.* Huc referri potest processus judiciarius; in hoc enim observanda sunt partim quæ juris scripti, partim quæ juris non scripti s. Consuetudinarii. e.g. Stylus Curia: accuratè loquendo nihil aliud est quàm consuetudo quædam in judiciis recepta. Dn. Brunnem. *ad Inst. Exerc. 1. tit. 2. §. 9.* Ordinationes verò judiciariae provinciales, item quæ ratione Camera: Imperialis in Recessibus Imperii proponuntur, & quando in processu communi ad Jus Canonicum, quod in hâc materiâ ut plurimum obtinet, recurritur,
- 94 ea omnia ad jus scriptum s. leges pertinent. Afferendum igitur initio erit Consuetudines æquè ac Leges obligare in conscientiâ. Et hoc exinde patet, quòd consuetudo vim legis habeat. *l. 35. ff. de LL.* imò interdum potentior sit lege, dum eam tollit Vid. *l. 32. §. 1. ff. de LL.* hinc dubium esse nequit, quin eodem modo obliget, quo lex obligaret, si de eâdem re lata esset. Joseph. Gibalinus *Scient. Canon. & Hieropolit. Tom. II. L. VI. c. 5. qu. 1.*
- 95 Nec obstat: quod consuetudo tacito utentium consensu introducatur, & sic illa obligationis causâ abesse videatur, nempe autoritas ferentis, cui propter conscientiam obedire jubemur *Rom. 13. v. 5.* Cùm enim Superioris, ita praticari videntis, scientia non possit non adesse, dum non con-
- 96 tradicit, consentit, ejusque consensus auctoritatem illam praestat. Modò tamen consuetudo sit rationabilis, i. e. non contra jus divinum aut naturale; vel, si sit contra legem civilem omnem contrariam consuetudinem excludentem, quale exemplum habetur in *l. 3. §. 5. ff. de Sepulch. viol. ex clarioribus quibusdam indicis de consensu Principis constat. Zoes. ad tit. d. LL. n. 81.* Vid. Andr. à Matre DEI *Theol. Moral. Tr. XI. Punct. IV. §. 1. n. 35.* Jam ex Sanderfono *de obligat. consc. pr. et. et. §. 23.* Azorio *Inst. Mor. L. V. c. 6.*
- 97 Vasquio *illustr. controv. L. 1. cap. 29.* brevem hanc formamus thesin: Leges aut sunt *imperantes*, quibus præcisè necessitas imponitur, ut quid fiat; aut *disponentes*, quæ nullam imponunt necessitatem, sed disponunt saltem, ut, si tale vel tale quid acciderit, sic agatur, e.g. in testamentorum
- 98 constitutione requiritur ut adhibeantur 7. testes. Leges imperantes virtute præcepti divini, quo tenemur iis parere, qui nobis à DEO propo-

siti sunt, ita obligant subditorum conscientias ad præstandam iis obedientiam, ut sub peccato mortali & metu offensionis divinæ teneatur quis legibus ejusmodi obtemperare, & nisi id fecerit, in conscientiam eundem accusari, modo nihil contrarium juri divino lex contineat. Disponentes 99 leges non obligant quidem transgressorem in conscientiam, sed reddunt saltem actum nullum. Si tamen naturalis aliqua obligatio simul subferit, ratione illius omittens in conscientiam non est securus. Ad propositum: Processus judicialis, prout nos circa eundem occupati sumus, maxime in Formalibus consistit. Formalia autem ad leges disponentes referenda. Ex dictis igitur hoc colligo: Formalia Processus strictè sunt ob- 100 servanda, non, quod non observans peccet contra conscientiam, sed quod faciliè etiam in bonâ causâ succumbere possit. Hinc Judex si non obser- 101 vet Processus ordinem, nullitas in Processu committitur, Partibusque læsis salva est Appellatio, quamvis aliàs non esset causa Appellabilis. Mey. P.J. Dec. 77. Et hoc aded procedit, ut nec illæ personæ excusentur, quibus aliàs jus ignorare permillum. Sic etiam mulier & rusticus, si intra 102 tempus legitimum instrumenta aliasve probationes non producant, in judicio sibi præjudicant. Mynsing. Cent. 6. obs. 47. Sed hæc omnia in specialioribus clarius patebunt, quare properamus ad ipsum Processus ordinem, visuri, quid in singulis ejus partibus Conscientia dicat. Esto proinde

CAPUT II.

De

Conscientia Partium ante Litis Contestationem.

S U M M A R I A:

Inscriptio Prætoris Mediolanensis. num. 1.

Aktor potest agere quando vult, non verò Reus. n. 2. 3.

Aktori litigaturo quid considerandum? n. 2. 4. 6.

Aktor secutus Consilium prudentum ab impensis litis liber est. n. 5.

Qui dubitante conscientia agit, peccat, remissivè. n. 8.

An interpellatio privata necessario precedere debeat iudicium? 9. seqq.

C 2

Quid,

Quid, si addita formula: Reum sine omni interpellatione solvere debere, obtineat? n. 11.

An illa interpellatio in Criminalibus necessaria? n. 15. seqq.

Litigaturi semper amicabilem prius compositionem vel transactionem quarere debent. n. 20.

Judex concordiam inter Partes ex officio tentare debet. n. 22.

Cautela Actoris in supplicatione. numer. 23.

Judex invito ad Transactionem cogere nequit. n. 24.

Partes ab additione Judicis privatâ abstinere debent. n. 26. seqq.

In foro Consc. cogitationibus etiam delinquitur. n. 29.

Citatio est necessitatis. n. 34.

An defensio à Principe adimi possit? n. 35. 36.

Citatus legitime comparere tenetur. n. 37.

Limitatur. n. 39.

Citatio minus legitima nihil operatur. n. 40.

Limitatio quoad F. C. n. 42.

Finis Citationis quis sit? n. 43.

Vitium citationis per comparitionem Citati purgatur? n. 45.

Limitatur decisio superior. n. 46.

Citatio quomodo sit illegitima? numer. 47.

Citatus ab incompetente Judice an comparere teneatur. n. 48.

Ad incertum locum citatus comparere non tenetur. n. 49.

Quando locus sit incertus? n. 50. seqq.

An ad locum minus tutum citatus comparere teneatur? n. 53.

Quando locus non sit tutus? n. 53. seqq.

Quid, si locus ob delictum commissum non sit tutus? n. 56. seqq.

Citatus non addito tempore an comparere teneatur? n. 58. seqq.

Granatii opinio rejicitur. n. 59.

Terminus legalis in Saxonia qualis. numer. 61.

Si terminus juridicus incidat in ultimum diem termini legalis an Citatus venire teneatur? n. 62. 63.

Adbortatio ad Citatos. n. 65.

An Citationi libellus inferendus sit? n. 67.

An causa citationis exprimenda? numer. 68.

Citatus ad unam causam ad aliam respondere non tenetur. n. 70.

An Stylus Curia in Citatione observandus sit? n. 73.

An Judicem tanquam suspectum S. C. recusare liceat? n. 77. seqq.

Judicis suspecti recusatio favorabilis est. n. 79.

An liceat recusare Judicem delegatum à Principe cum clausulâ: Recusatione Remotâ? n. 82. seqq.

Princeps Recusationis beneficium Subdito adimere non potest, remissive. n. 85.

Princeps semper imitatus fuisse praesumitur Jus comm. n. 86.

An & quando integrum collegium recusare liceat? n. 87. seqq.

Recu-

| | |
|--|---|
| <i>Recusationis causa quænam justa sint?</i> n. 90. | <i>Juramentum Calumnie generale cessat in foro Sax. n. 112.</i> |
| <i>Quando quis in propria personâ comparere teneatur?</i> n. 92. | <i>An juramentum Cal. ab utraq; parte S. C. pr. dari possit?</i> n. 113. |
| <i>Procurator legitimus Mandatum habere debet.</i> n. 93. | <i>Juramentum sine necessitate exigi non debet.</i> n. 116. |
| <i>An admittendus Procurator literas Principalis loco mandati exhibens?</i> n. 94. seqq. | <i>Multo minus ubi metus est perjurii.</i> n. 118. |
| <i>Consensus partis adversa supplet defectum Mandati.</i> n. 95. | <i>An quis possit per Procuratorem jurare?</i> n. 119. seqq. |
| <i>Clausula de ratibabendo quando necessaria sit in Mandato?</i> n. 98. | <i>Procurator pro alio jurans quale Mandatum habere debeat?</i> n. 120. |
| <i>An Principalis Mandatum legitimis quibusdam requisitis desitutum dans teneatur gesta Procuratoris ratibabere?</i> n. 100. seqq. | <i>Mutus jurare potest remissivè.</i> n. 124. |
| <i>An gesta à falso Procuratore Dominus in sui commodum ratibabere possit?</i> n. 103. | <i>In Saxon. nemo in alterius animam jurare potest.</i> n. 126. |
| <i>Ratibabitio equiparatur principali Mandato.</i> n. 104. | <i>Libellum formaturus quid attendere debeat?</i> n. 127. seqq. |
| <i>Ratibabitio prorsus retrahitur. numer. 107.</i> | <i>Alternativus Libellus an admittatur?</i> n. 130. |
| <i>An pars adversa ratibabitioni huic S. C. contradicere possit?</i> n. 109. | <i>Cautela subjicitur.</i> n. 133. |
| <i>Juramenti calumnia usus.</i> n. 111. | <i>An & quando Pars ad Libellum solennitate aliqua desitutum respondere teneatur?</i> n. 134. |
| | <i>An Judex ineptum libellum rejicere teneatur?</i> n. 136. |
| | <i>Quinam Libellus rejiciendus, vel salvandus, remissivè.</i> n. 138. |

Actor, certus licet, quod ratione personæ nulla sibi ad agendum obstat inhabilitas, non statim ad litem proruat, sed, antequam judicii fores arripiat, illis inscriptum cogitet, quod in Mediolanensi Prætorio videri asserit Chytræus in *delit. itin. p. 244.* In controversiis causarum capitales inimicitie oriuntur, sit amisso expensarum, labor animi exercetur, corpus quotidie fâtigatur, multa & inhoneſta crimina inde consequuntur, bona & utilia opera postponuntur, & qui sæpè credunt obtinere, frequenter succumbunt, ac, si obtinent, computatis laboribus & expensis nihil acquirunt. Hæc dubius litis eventus benè perpensus sæpè movebit

- 2 eum, ut domum revertatur, & accuratius de jure suo cogitet. Cùm enim in potestate habeat actor, quando velit experiri, ante rem diligenter exploret, an certum jus habeat, & an sufficientibus probationibus instructus sit, atque tunc demum ad agendum procedat. *l. 42. ff. de R. J.* Vid. Menoch. *Conf. 41. n. 27.* Hinc temerè litigans Actor gravius punitur, & facilius in expensas condemnatur, quàm Reus, quippe in cuius potestate non est, quando conveniatur. *l. 5. §. 6. ff. de dol. mal. except.* Quòd si ergo de jure suo dubitat, consultum ipsi est, ut facti speciem aliquam conscribat, eandemque ad Facultatem quandam juridicam transmittat, & ab eà consilium petat, an justam actionem intentandi causam habeat; Quòd si Facultas pro eo responderit, & nihilominus postea succumbat, ab expensarum refusione immunis pronunciari solet; non enim temerarius litigator videtur, qui secutus est Consilium Prudentum.
- 6 Actor verò conscientiosus, qualem nos formare annitimur, ante omnia exploret conscientiam suam, non tantum an jure, sed etiam an sine animæ læsione litem movere & in judicio externo victoriam reportare possit; hoc enim si non fiat, licet vel mille judicata pro se habeat, non tamen in animæ foro obtinebit, sed causâ cadet, fortè cum æterno suo malo, inquit Dn Brunnem. in *Proc. Civ. c. 1. n. 12.* Multi, ait Balduinus de *cas. consc. l. 1. c. 1. §. 5.* factorum suorum judicium committunt aliis, & an bona sint, vel mala, à Scabinis discere volunt, qui, si ad tribunal conscientie se conferrent, & sine sumptu, vel majori cum certitudine rebus suis consulere. Consilia Dd tamen planè non sunt rejicienda, cùm conscientie de jure suo dubie maxime consulant, excutiendoque dubio satis congruant. Cui si non satisfaciunt, partem Actor tutiorem eligat, & actione potius abstineat. Si enim ageret, dubitante conscientia ageret, qui verò dubitante conscientia agit, peccat. Puffendorff. de *J. N. & G. L. l. c. 3. §. 8.* Joseph. Gibalinus *Scient. Canon. & Hieropol. T. I. L. III. c. 7. qu. 6. §. 1.* Sin de jure suo certus redditur, illud legitime perfequitur.
- 9 Hic punctum illud decidendum venit: An privata interpellatio semper præcedere debeat judicium. De jure civ. eam necessariam non esse, volunt Mascardus de *Probationibus Concl. 936. num. 1.* Donellus in *Hillog. L. XVII. c. 29. lit. D.* nisi certis in casibus, quos habet Dn Brunnem. in *Proc. Civ. c. 2. n. 2* utilis tamen semper est ad hoc, ut eò facilius in expensas condemnatur Reus, quas refundere tenetur, quamvis citatus mox solutionem offerat. Christin. *Vol. 1. Dec. 262. n. 3.* In foro Consc. interpellationem hanc necessitatis esse, putamus. Nulla enim lis justa, nisi quæ necessaria;

ria; litem verò minus necessariam fovet, qui òmissa interpellatione extrajudiciali, quã suum fortè consequi possit, viam eligit judiciariam, cum quoddam ex necessariis illis litem impediendi remediis, quæ omnia adhibere decet, omittat. Ampliatur hæc decisio, ut procedat, quamvis in obligatione debiti expresse additum, *Reum sine ulla interpellatione solvere debere.* Hæc enim clausula hunc effectum in F. C. habere non potest, ut sine omni admonitione præviã debitor in iudicium trahatur, sed ut, si dicto tempore non solverit, eo ipso absque omni interpellatione in morã constituatur, & Creditori ob solutionem non factam ad interesse teneatur. Vid. Colerus *de Proc. Execut. P. I. c. 10. n. 34.* Nec intererat Creditoris alium in finem clausulam istam adjicere, cum facilius debitum extra iudicium, quàm in iudicio, ob varias litis molestias, repetere possit, inque casum cessantis aut negatæ solutionis nihilominus iudicium pateat. Verum quidem est: quòd etiam extra hoc pactum debitor certo die non solvens ex solã diei adjèctione in morã constituatur. *l. 114 ff. de V. O. L. 12. C. de contrab. & comm. stip. ea tamen quæ tacitè insunt, quamvis expressa, nec hîc aliquid operabuntur. l. 3. C. de Fidej. Vid. Aug. Barbosa L. V. c. 36. ax. ult.*

An in Criminalibus itidem Accusans vel Denunciãns privatam monitionem præmittere debeat? quaritur. Secernenda iterum sunt delicta commissa à committendis. Illa præviam monitionem non requirunt, cum publica sint, & facta jam per admonitionem infecta non fiant; & quamvis privatim admonitus emendari possit, eo ipso tamen delictum commissum non tollitur. Cumque hodie in delicta hæc iudex ex officio inquiret, rarior decisionis usus datur. Quod si verò crimen adhuc sit occultum, & reus honesta aliã persona, quæ admonita à repetitione delicti abstinerere præsumatur, & ad satisfactionem induci possit, benè faciet, si eum ante accusationem dehortetur prius accusans, ne in sanguinem humanum nimis immisericors videatur. Limitatur tamen in casibus, quibus delictum commissum denunciare necessitatis est. Delictorum committendorum denuntiationi admonitionem præmittere tutum non est, si tendant ad Reip. perniciem, v. g. si quis cum hoste occultè tractet, consilia Prîncipis significet &c. quia periculum, quod impendet, majoris momenti est, quàm damnum omnè, quod Reus ex accusatione incurrit. Neque hîc scrupulosè examinandum, an fortè emendandus sit privata admonitione, quia in re tanti momenti eligendum quod tutius. Facile enim posset talis privatim monitus simulare emendationem & poenitentiam.

nitentiam, ac interea occultè exequi, quæ destinaverit, prout inquit Les-
 19 sius de *J. & J. L. II. c. 30. Dub. 2. n. 13.* Si verò delictum tale sit, quod vel so-
 lum delicturum tangat, v. g. odium proximi; vel in privati alicujus detri-
 mentum vergat, ipseque emendandus videatur, privata admonitio locum
 habebit. Vid. Lessius *d. Dub. 2.* Valerius in *Differ. utr. for. verb. Denuntiatio.*
Diff. 1. Pagundez. ad Decal. L. VIII c. 49. n. 7.

20 Pariter Christiani homines litigaturi semper amicabilem compositi-
 onem aut transactionem prius querere debent. Johann. Molanus *Tr. de*
Testam. p. 1. c. 74. & 75. allegatus à Laymann. *Tom. I. L. III, Tr. IV. c. 31. n. 8.*
 imprudenter enim fortunæ arbitrio committitur, quod per concordiam
 21 componi potest. Andr. Knichen. *de Jur. Sax. c. 63. fol. 260.* Et plerique,
 si alter alterum ad transigendum vel compromittendum invitarent, fa-
 cile negotium sine lite deciderent. Faber *ad Cod. L. IX. tit. 22.* Proinde
 graviter iterum peccat, qui tam promptum lites declinandi remedium
 22 negligit. Hinc Judex ipse ex officio inter partes litigantes idem tentare
 23 debet, antequam ad processum deveniatur. Carpzov. *P. I. C. 1. D. 10.* Et actor
 in Supplicatione sæpius petere solet, vel ut Commissarius aliquis in eâ cau-
 sa constituatur, qui amicabili compositione litem sopiat; vel, si sumpti-
 bus parcere velit, ut reus citetur ad audientiam, *zur gültigen Verhör.*
 24 Dn. Brunnem. *P. Civ. c. 2. §. 5.* Quod uti necessarium est ad salvandam
 actoris conscientiam, sic à Reo sine ejus latione non potest recusari;
 quamvis in foro exteriori Judex inuitos & nolentes ad id arctare & com-
 pellere nequeat. Dom. Arumæus *L. V. Dec. 11. n. 72.* Prukmann. *Vol. I. Conf. 42.*
n. 6. nisi certis in casibus, quos refert Card. Tuschus *Tom. II. Concl. 564. lit. C.*
vers. concord. Carpz. *d. l. D. 11.*

25 Omnibus his frustra tentatis, Actor judicem licitè adit, ante tamen
 (quod Philippum II. Pomeraniæ Ducem Dicafterio Stetinesi noviter ex-
 tracto inscripsisse refert Ventura de Valentis in *Partben. litig. L. I. c. 2. in fin.*)
 calumniam, fraudem, malevolentiam & mendacium exuat: veritatem ve-
 rò, candorem, animum æquum, modestiam, patientiam, comites sibi
 26 adjungat. In genere autem circa Judicis aditionem inculcandum par-
 tibus, ut ab aditionibus privatis abstineant, quæ hodiè quidem ad Judi-
 cem privatim informandum sæpius fieri solent, sine peccato autem fieri
 27 non possunt. Non solum enim illæ justitiæ quadantenus impedimentum
 ponunt, cum ita informatus vel potius præoccupatus, Judex rarissimè ju-
 stam sententiam juste proferat. Vid. Dn. Ziegler in *Dicastr. concl. 17. §. 5. seqq.*
 sed & in specie privatus ille informator peccat, ideò, quod Judicis animum

corrum-

corrumpere tentat; non enim minus in judiciis, quam alibi, animorum
 corruptiones obtinent. *Perillustris* Dn. Baro de Schvverin in *Disp. de de-*
lict. serv. corr. P. l. c. 5. §. 4. Neque à peccato immunis est, quamvis cor- 28
 ruptio effectum non habuerit, cum ratione ipsius, quantum in eo erat,
 crimen jam jam perfectum; & in illis, quæ facillè trahunt ad perniciofa ex-
 empla, conatus etiam poenam meretur. *l. 20. C. de Furt. & Serv. corr.* præ-
 fertim in foro interno, in hoc enim & cogitationibus delinqui distinctè & 29
 accuratè docuit Dn. Præses in *Tr. de Jure Sens. Dissert. X. c. 6.* His accedit, 30
 quòd Litigator, privatim judicem interpellans, præsumptione aliquâ se
 oneret, ipsum causæ suæ diffidere, & proinde non tam Judices, quam Pa-
 tronos, querere. Hinc jus Civ. in *l. un. §. fin. ff. de L. Jul. Ambitus* eum hu- 31
 jus criminis reum facit, & 100. aureis Fisco inferendis plecti jubet, quam
 legem in usum revocari optat Dn. Brunn. in *Pr. Civ. c. 1. in fin.*

Ut igitur Actor conscientiosus omnia apertè & sine suspitione agat, 32
 judicem pro tribunali sedentem adeat, & per Supplicationem, quæ vocat-
 tur libellus citationis, Processum sibi aperiri petat. Quo facto Judex,
 causam suæ jurisdictionis esse videns, citationem decernit, Partibusque
 comparentibus, primùm causam summarè cognoscit, & transactionem
 svadere solet; quam si recusent litigantes, & causa liquida sit, hanc per sen- 33
 tentiam determinat, si verò altioris, ratione facti, indaginis, ad processum
 demum ablegat Dn. Brunn. *P. Civ. c. 2. n. 16. & 17.*

Hic notandum: Citationem esse necessitatis, actumq; parte non ci- 34
 tata gestum in utroque foro esse nullum. *Gail. l. 1. obs. 48. n. 1.* nisi paucis in
 casibus, quos habet *Mynsing. Cent. 2. Obs. 91.* *Joh. Baptist. Afinius Pr. Jud.*
Civ. c. 13. §. 6. n. 1. Spectat enim citatio ad defensionem, defensio verò ad eò 35
 juris naturalis, ut nec à Principe adimenda sit. *Clem. Pastoralis in fin. de*
Sent. & Re judic. J. Crisimus Dn. Brunnem. in Consil. Conf. 150. n. 8. & Conf.
166. n. 29. quod omninò restringendum ad defensionem, quatenus est juris 36
 naturæ; quatenus enim est juris positivi s. civilis, v. g. præscriptionis be-
 neficium, à Principe tolli potest. Vid. *Petrus Ant. de Petra Tr. de jur. per*
Princ. non roll. c. 26. n. 8.

Deinde, quemadmodum Judex Reum necessariò citare, sic Reus le- 37
 gitimè citatus necessariò comparere tenetur. Judex enim Principis lo-
 cum tenet, potestateque ejus sibi concessa utitur. Quando autem Prin-
 ceptis vel superior justè imperat, nomine DEI id facit; hinc Citatus, si il- 38
 lum audit, DEUM audit, & hunc spernit, si Judici non obtemperat. *Andr.*
à Maire Dei. Tb. Mor. Tr. XI. cap. 2. punct. 1. n. 2. Modò tamen citatio emissa 39

fit Arctatoria, & non solum Monitoria, v. g. si citetur aliquis ad videndum jurare testes. *c. Significasti 41. X. de Test. Klock. Vol. 2, Conf. 6. n. 207.* hæc enim importat saltem juris alicujus amissionem, non verò contumaciam.

- 40 Porro requiritur ut Citatio sit legitima. Illegitimam enim nullum producere effectum, nec constituere aliquem in mora, nec perpetuare jurisdictionem, nec præventionem inducere, cum *Matth. de Afflicis Dec. 369. n. 16.* statuit Zanger. *Tr. de Except. P. II. c. 3. n. 15.* Idem in foro Cont. obtinet; nam, cum omnis judicis autoritas à Superioris concessione dependeat, sequitur, quòd ea non attendenda, si extra concessos limites evagetur,
- 42 vel Judex illà non legitime ad præscriptum utatur. Puto tamen, quando citatio ea continet, quæ jure Gentium ad illam requiruntur, nec defensionem arctat aut imminuit, Citatum comparere teneri. Incumbit enim, ut *supra c. 1. n. 88. 89.* demonstratum, cuius litiganti litem, quantum potest, maturare, & cavere, ne fiat immortalis. Sic autem citatus, si non comparet, iudicium protraheret, injustitiam causæ suæ proderet,
- 43 & adversarium tædio litium vexaret & fatigaret. Certe finis citationis est, ut possit de jure suo deliberare & comparere citatus, hic cum æquè
- 44 facile breviori mora obtineatur, cur iudicium eluderetur? Nec obstat: quod jure suo uti, & sic nemini injuriam facere, videatur; hoc jus enim idèò introductum, ut eò certior esset Processus ratio, idemque certis ita limitibus omnia circumscripsit, ne insana litigatorum licentia extra eos
- 45 vagetur, non ut minori circulo se includi non patiat. Cumq; etiam in foro soli vitiosa citatio per comparisonem citati purgari possit. *l. 1. §. 1. ff. de Fer. Gail. L. 1. obf. 58.* eo ipso jura tacite jubere videntur, ut illegitime citatus, si sine defensionis suæ detrimento comparere possit, compareat; ad minimum permittunt solummodo an comparere velit, an nolit, neutrum autem præcipiunt. Jura verò permissiva, ut superius dictum, non
- 46 semper salvant conscientiam. Tantum tamen Citationi illegitimæ nec in F. C. tribuere possum, ut, si casus præventionis contingat, legitime ab alio citatus illegitimæ citationi parere, & tertio Judici jus præventionis eripere teneatur, quia hic versatur tertii præjudicium.
- 47 Per exempla res fiet clarior. Citationem illegitimam dicunt ex personæ qualitate, loci conditione, temporis ratione, causæ expressione &
- 48 formæ Citationis. Quoad personam citantis, notum, si velejus persona incerta, ob nomen non expressum; vel jurisdictio dubia, æquè ac in foro Civ. comparisonem non esse necessariam, nisi fiat ad opponendam in-
- compe-

competentiam. Vid. Gail. *L.I. obs. 48.* Nec in F. C. illius Citationi parere possibile, quem ignoro. Ei verò, de cujus jurisdictione dubius sum, satisfacio, si compaream & incompetentiam allegem, quã probatã, nullo magis obsequii vinculo ipsi sum obstrictus.

Si locus Citationis incertus, iterum citatus comparere nec poterit, nec debet. Non enim contumax vel inobediens est, qui nescit quo in loco comparere debeat. Attamen locus non semper incertus est, quando in citatione non exprimitur, cum de eo aliunde constare possit. Sic in dubio etiam locus, in quo citatio scripta & data est, pro loco exercendæ jurisdictionis habendus. Græven, *ad Gail. Concl. 52. n. 5. 6. 7.* allegatus à Dn. Zieglero *ad Lancellot. L.III. tit. V. §. 6. n. 1.* Et, si Judex fuerit ordinarius, certo semper in loco judicare solitus, locum judicii exprimi necessarium non esse, vult Carpozov. *in Proc. Civ. Tit. 7. art. 2. §. 5.* Sed quid si locus judicii non sit tutus? Si est talis ob pestem s. contagium, propter periculum mortis comparere non tenetur. Corneus *Conf. Vol. IV. Conf. 13. vers. 131. lit. G.* nisi contagium sit leve & modicum, quod vix meretur excusationem. Vid. Joh. Franciscus de Ripã *de Peste c. 3.* neque in F. C. quia obsequendum quidem est Judici, non verò cum vitæ discrimine, quippe in quam nec ipse nec possessor ullam potestatem habet. Afflictus *Dec. 289. n. 20. & 24.* Gail. *L.I. obs. 52. n. 3.* five talis sit ipse locus judicii, sv. alius quivispiam, per quem necessariò transeundum. Zanger, *de Except. P. II. c. IV. n. 5.* Pruckman. *P. II. Conf. IV. n. 38. seqq.*

In hoc dubium residet, an ob delictum commissum damnum metuens exceptionem loci non tuti opponere possit? Etiam ob delictum commissum exceptionem hanc probabilem esse aliã ex causã citato, donec securitatem impetret, statuit Mev. *P. II. Dec. 282. n. 4.* quod in F. C. non aliter admitto, quàm si periculum metuat immeritum; si enim delictum reverã commisit, & ideo pœnas timet meritas, ob periculum, quod ipsi suã culpã imminet, delictum delicto cumulare, & Superiori jubenti, potestatemque jubendi habenti, debitam obedientiam negare non debet; Multò autem minus ob idem delictum citatus emanere potest.

Tempus in Citatione omissum citationem nullam facit; odorari enim citatus nequit, quem diem Judex indigitet, & quando ipsius pariter ac alterius Partis præsentiam expectet, nisi illud exprimatur. Hinc rectè Dn. Ziegler. *ad Lancellot. L.III. tit. V. §. 7. n. 1.* rejicit opinionem Granatii *ad Vestrium in praxi L. IV. c. 2. num. 11.* asserentis: Per talem citationem hoc innui, ut congruo tempore citatus comparere teneatur. Prolixa

- namque daretur disputandi materies, quodnam tempus fuerit congruum, nec tempus, quod uni opportunum, alteri æquè commodum foret. Si tamen certus alicubi & legalis citationis detur terminus, deficiente aliâ temporis expressione, illo comparandum; quippe non præsumitur Judex nulliter citare, sed tempus solitum tacitè innuere voluisse, insuper semper eò laborandum Citato, ut jussui Judicis quoque modo satisfieri possit, præsertim si faciat ad maturandam litem. Talis terminus Legalis habetur in Saxonîâ, & constat 6. septimanarum & 3. dierum spatio. Carpov. in *Proc. Tit. VII. art. 2. n. 46. seqq.* Huic tempori Judex nihil adimere potest, sed idem saluum Parti relinquendum est, ad eò, ut nec subsistat Citatio, Citatusque ad impedimenta condemnari non possit, si unicus dies deficiat, & vel terminus juridicus incidat in ultimum diem temporis præfixi. Carpov. *d. l. n. 5. 2.* & in *Jprud. For. P. I. C. 2. D. 23.* Comparere tamen hoc casu Pars tenetur, non ad respondendum, sed ad allegandam Termini angusti exceptionem, petendamque dilationem, aliàs in expensas termini condemnatur. Carpov. *d. l. D. 24.* In F. C. per superius dicta unicum diem attendendum non esse puto, si tempus à Judice præscriptum fuerit sufficiens Citato ad deliberandum de jure suo. Hic autem admonendi semel pro semper sunt citati, ut injunctam sibi æstiment necessitatem de causâ suâ statim cogitandi & deliberandi, quam plerumque cum gravi conscientia læsione tam segniter tractant, quasi ad eos nihil pertineat, & de tempore in tempus differunt, quod primâ die poterant expedire, prout queritur Winther. in *Partben. litig. L. II. c. 13. S. 3.* Tales Cunctatores allegata temporis breuitas nequitiam excusat. Quod si verò citra culpam Citati spatium illud deliberandi non sufficiat, excusatur quidem, conscientia tamen benè consulit, si in judicio exceptionem suam proponat. Adest enim Judex, qui jubendi potestatem habet; adest pars, cui parendi necessitas incumbit; nec ille mandat quid, quod extra jurisdictionem suam est, sed saltem in præscribendo tempore dubium hæret; nec pars beneficio aliquo cedere, sed hoc saltem allegare jubetur; debet igitur tanti æstimare præcipientis auctoritatem, & eî, quantum possibile, se submittere, si non respondendo, saltem veniam & dilationem petendo.
- 67 In plerisque judiciis Citationi libellus inferi solet, quod utile est ad præscindendas Reo dilationes; quanquam hujus omisso citationem non reddat vitiosam. Carpz. in *Proc. tit. VII. art. 2. n. 24. seqq.* necessitatis tamen
- 68 est causæ, ad quam disceptandam citatio fit, expressio. Carpz. *d. l. Mynsing. Cens.*

Cent. V. obs. 85. quæ omiſſa Citatus S. C. Judici opponit exceptionem non
 expreſſæ cauſæ Citationiſ. Citatio enim cum duos habeat fines: ut cita- 69
 tus compareat, & mature deliberet an contendere, an cedere malit. We-
 ſenb. *Paratit. L. II. tit. IV. n. 14. lit. F.* neuter eorum negligendus. Quis 70
 autem non videt, hæc alterum planè negligi, quippe, omiſſâ cauſâ ad
 quam reſpondendum, nec deliberatio nec præparatio conceſſa. Eadem
 rationes decidunt, quòd citatus ad unam cauſam, non ad aliam; & in
 iudicio præſens, ad aliam cauſam reſpondere non teneatur. Vid. Carpz.
in Proc. tit. VII. art. 2. n. 28. uterque enim finis ad deſenſionem ſpectat, ideò
 nec in P. C. aliud obſervandum. Qvamvis autem in ſuperiori caſu 71
 Carpz. & Myſing. *alleg. loc.* velint: Citatum non expreſſa cauſâ planè
 comparere non teneri, nihilominus conſcientiæ ipſius conſultum, ut ob
 autoritatem & reverentiam Superiori debitam compareat, & exceptio-
 nem ſuam ſubmiſſè proponat. Sic in Criminalibus nunquàm citationiſ 72
 cauſam exprimi, ſed citatum Superiori parere & comparere teneri, hocq̃
 ſi non faciat, valdè ſuſpectum fieri, & ſæpe ut Refractarium compelli, dicit
 Dn. Brunn. *Proc. inquis. c. 8. m. 1. n. 19.*

Denique, quoad Formam Citationiſ, hæc ſecundum ſtylum Curia 73
 conſcripta eſſe debet, aliàs nulla eſt, nec citatum ſtringit. Rebuffus *ad*
Conſt. Gall. Tom. 3. de Conſuet. art. 2. Gloſ. 13. n. 42. Nic. Everhardus *Top. Leg.*
loc. 105. à ſtylo Cur. n. 1. in fin. Hinc, ſi ea contineret verba inconſyeta & 74
 inſolita, utpote ſi quis citaretur ſub pœnâ æris & perſonæ, non ſtringeret
 Citatum. Roch. de Curte *de Conſuetud. Sect. 8. n. 50. in med.* Sed ſic conſci- 75
 entia minus erit ſecura. Major enim debet eſſe erga Magiſtratum reve-
 rentia, major litis diuturnæ odium, quàm ut propter Formalia aliquan-
 tum mutata, quæ deſenſionem non adimunt, tota citatio annulletur, jus-
 ſus Judiciſ non attendatur, & per novas novasque dilationes lis in im-
 menſum extendatur. Breviter: Citatus in dubio citationi ſemper ob- 76
 temperet, quia tutius in obediendo excedit, quàm deficit; ſi impedimenta
 obveniant, ea Judici mature aperiat, & ad minimum obſequendi prom-
 ptitudinem teſtetur.

Interdum Citantiſ quidem juridiçio certa & Citatio legitima, Ci- 77
 tatus etiam comparet, nihilo tamen minus Judiciem acceptare detrectat;
 quod fit, quando hic ipſi ſuſpectus videtur. Tractanda igitur hoc loco
 quæſtio: An quis S. C. Judiciem tanquam ſuſpectum recuſare poſſit? Quic-
 quid jus civile & Canonicum ſtatuat, hodie in praxi judiciem, tam ordi-
 narium quàm delegatum, recuſari poſſe aſſerit; Zanger. *de Except. P. II. c. IV.*

n. 15. usque obtinere, ut, qui dedit Judicem, vel proximus Superior, de causa recusationis cognoscat, ex Knichen. *de Saxon. non provoc. jur. c. 2. n.*

- 78 14. aliisque probat Brunn. *Proc. Civ. c. 7. n. 18.* Idem in F. C. permissum. Periculosum siquidem est coram suspecto Judice litigare, & difficile tali judicio se submittere, à quo iniqua planè metuitur sententia; imò ratio ipsa sine ullo præcepto facillimè ostendit eorum judicia nobis fugienda & omnibus modis cavenda esse, quos propter odium, inimicitiam, aliamve causam suspectos habemus, aut justè opinamur maximè amicos esse & propensos his, qui nobiscum aliquà de re controvertunt, inquit Dn. Ziegler. *in Dicast. Concl. 14. §. 2.* Ex quo patet, Judicis suspecti recusationem ad defensionem spectare; defensio verò ista juris naturalis est, sicque ipsa hæc recusatio favorabilis & in jure ac ratione naturali fundata. Schraderus *de feud. P. X. sect. 14. n. 24.* Zanger. *P. II. c. IV. n. 6.* Non ergo refragabitur dictamen conscientie, quin jure suo lege naturali & civili concessio
- 80 quis utatur. Nec obstat obsequium Judici debitum, & præsumptio quæ pro ipso est; præsumptio enim cedit veritati, & Judex facto suo se suspectum reddit, quare ipsi volenti & causam danti non fit injuria. Neque violatur in hoc Superioris Potestas. Huic enim judicium constituenti & Judicem præficiendi maximè cordi erat lites omnes sine suspitione procedere. *l. 26. C. de judic.* quo ipso simul tacite concessit, ut, obveniente suspitionis casu, recusatio ad præscriptum legum fieri possit.
- 82 Inde autem aliud exurgit dubium de eo, quem Princeps cum clausula: *Reus à Recusatione, delegavit.* Hic siquidem tacita Principis concessio ostendit, ejusque voluntas in contrarium perspicue expressa esse videtur. Nihilominus tamen recusatio locum habebit, quòd causa ob
- 83 quam sit satis prægnans. Censetur enim Princeps verba illa intellexisse de recusatione ob suspitionem levem & frivolam, non gravem & justam. Gail. *L. I. obs. 33. n. 5.* Mynsing. *Cent. 3. obs. 63.* Hillig. *in Donell. L. XVII. c. 25.*
- 84 *lit. E.* Cujus in F. C. non video diversitatis rationem. Sanè si ob causas graviores non licita esset recusatio, Reus irreparabile aliquando damnum inde pateretur. Rescripta verò Principum ita interpretanda, ut nemini noceant aut jus suum auferant. *l. Nec avus 4. C. de Emanc. lib.* In-
- 85 primis hoc casu, quo plurimi Dd. statuunt Principem recusationis beneficium Reo admittere non posse. Th. Sanchez *in Conf. Mor. L. VI. c. 8. Dub. 3.*
- 86 *n. 14. seqq.* Carolus de Grassis *Except. 24. n. 11.* Quinque Princeps semper imitatus fuisse præsumatur jus commune. *l. 43. pr. ff. de vulg. & pupill. Substit.* etiam si natura verborum hoc non patiat. Gail. *d. l. n. 6.* multò minus aliquod

aliquid contra jus naturale, ut hic, constituisse censendus erit, quoties alia conjectura capi potest. Quando igitur in praxi iusta est Judicis suspecti recusatio, eadem s. etiam C. fieri poterit. Sic non solum singularem personam, sed & integrum collegium recusare licet, si causa adest sufficiens, qua vel illud in univ. vel ex illo plurimos reddit suspectos. *Mev. P.I. Dec. 194. n. 1. 2.* a. g. illud Collegium, quod ut Universitas cum alio litiget, & contrariam Reo convento causam propugnat. Vid. *Ziegler. Dicastic. concl. 13. exemplo 3.* Non autem ad recusandum totum Collegium sufficit, sed unus ex Collegis suspectus, quamvis sit Director Collegii, nisi tanta polleat autoritate, ut reliqui contra dicere non audeant. *Mev. d. Dec. 194. Zanger. P.I. c. 4. n. 17.* In specie recusationis causas quod attinet, Prædici hanc, quæ in F. C. obtinere potest, formant regulam: Omnes causæ, quæ repellunt testem ut suspectum, multò magis arcent Judicem, imò minor suspicio sufficit in Judice, quàm in teste, quoniam facilius est alium invenire Judicem quàm alium testem, & quandoque victoria totius causæ in unico teste propter aliqua quædam admiscula consistit. *Gail. d. l. n. 9. & 10. Carolus de Grassis. d. l. n. 37. Gabr. Alvarez. de Velasco in J. d. p. Rubr. 7. annot. 3. §. 4.*

His & similibus justis exceptionibus, si Reus iudicium declinare non possit, animo ad acceptandam litem parato comparet. Comparet autem utraqve pars, vel in personam, vel per Mandatarium Judicalem s. Procuratorem: In personam venire tenetur, si causa talis, quæ personæ præsentiam requirat. v. g. matrimonialis & criminalis, si pœna relegatione major. *l. pen. §. i. ff. de publ. jud. cujus rationes & sublimitationes vid. apud Brunn. in Proc. Inquis. c. 8. m. 6. n. 4. 5. seqq.* Per Procuratorem qui comparet, legitimo & sufficienti Mandato eum instruere debet, sine hoc enim Procurator nunquam admittitur, nec ejus acta quicquam valent. *Carpz in Proc. tit. V. art. 1. n. 51. & 55.*

Idem n. 59. casum format: si absentis Procurator defectum Mandati per literas sui Principalis velit supplere, vel eas loco mandati exhibeat, an illæ ad legitimationem ipsius sufficiant? Eamque sic decidit: Literæ illæ aut formam Mandati habent, sicque Mandatum potius quàm literas representant, & sufficiunt; aut non, nec legitimant personam Procuratoris, cujus præjudicium allegat d. l. ob rationes: quod ad constituendam legitimi Mandati substantiam certa quædam Formalia requirantur, quæ per æquipollens impleri non possint. E. nec per solas literas, utut maxime de voluntate Mandantis constet. Sanè cum consensus partis al-

terius

terius suppleat defectum Mandati. Bartolus *in l. fin. ff. de Procur. Mey. P. III. Dec. 23. n. 5.* operæ pretium erit disquirere, in quantum hanc conscientia,
 96 non obstante tali vitio, ad acceptandum stringat. Quoad forum igitur
 Consc. in præsentī casu ita respondeo: Si literæ voluntatem Principalis
 cerò declarant, illæ mandati loco acceptandæ, nec inhærendum tanto-
 perè verborum solennitati aliisve Formalibus. Finis enim, cur requira-
 tur Mandatum, adest, sc. ne processus nulliter, sed cum consensu Princi-
 97 palis, geratur ab eoque ratihabeatur, quæm obrem de externis laboran-
 dum? Hoc tamen limito, si in literis illis clausula quædam non extet, quæ
 ad Partis securitatem facere possit & Mandato inferi debeat, qualem in pra-
 xi volunt esse eam de ratihabitione, quando requirunt, ut illa præcise ex-
 98 primatur, ne cautum sit, quæmvis ponatur ratihabitionem iri id, quod legiti-
 time gestum fuerit, cum Dominus semper cavillari possit non legitime
 gestum esse. Carpz. *d. l. n. 77.* quæmvis illa clausula in illis, quæ mandato
 99 speciatim non continentur, tantum necessaria sit. Quod si verò planè
 adhuc dubia est mens Principalis, vel ejus in Mandato post negando fraus
 timeatur, nec literas acceptare tenebitur Pars altera. Nimum enim est
 præjudicium, quod in eo vertitur, gesta annullantur, & sententia, quan-
 quam pro eo fertur, nihil juvat. Securius ergo erit ante Processum ac-
 curatius sibi prospicere, magisque certum exigere Mandatum, quam post
 vulneratam demum causam remedium quærere. Nec hinc video prohibi-
 tionis rationem, cum nullum interesse publicum aut Superioris præce-
 ptum concurrat, & de jure Partis minuendo metus sit, imputetque sibi ad-
 versarius, quod plenius non dederit Mandatum.

100 Sed ut eò facilius damnum evitet Pars acceptans, informanda quo-
 que Conscientia Principalis Mandantis, an hunc Mandatum, quod dederat,
 legitimis requisitis destitutum in F. C. obliget ad gesta Procuratoris,
 101 etiam in sui præjudicium, ratihabenda? Quod affirmo. Non enim alio
 sine Procuratori causam commisisse potuit Principalis, quam ut ab ipso b.
 f. gesta salva atque intemerata manerent; nec impediabat hunc finem,
 quod Mandatum in scio quidem Principale legitime destituebatur solenni-
 tatibus; hæc si quidem non requirebantur in gratiam Mandantis, sed par-
 tis adversæ, ut certius ipsi & tutius de ratihabitione Principalis constare
 102 possit, hinc & consensus ejus defectum Mandati supplere poterat. Ex
 quo igitur fundamento negaret ratihabitionem, nisi de dolo suo excipere
 vellet, & dicere; se ideo Mandatum dedisse minus solenne, ut, si gesta
 sint

sint favorabilia, ea ratihaberet, si non, ea impugnaret; hæc verò allegans impunis non dimittendus.

Alia quæstio est: An gesta à falso Procuratore, qui sc. nullum planè 103 Mandatum habuit, Dominus in sui commodum rata habere possit? In jure Civ. hoc satis controversum. Affirmativam tamen probo per *l. 56. ff. de Judic.* quia, quando actus alterius nomine gestus ab initio habuit omnia Essentialia, solo deficiente consensu principalis, superveniente eo retro validatur. *l. 16. §. 1. ff. de pignor. ratihabitionemque, principali Mandato ab similem non esse dicit l. fin. pr. C. ad SCT. Maced.* Vid. Gail. *L. I. obs. 47.* & alii, quos recenset Brunn. in *Proc. Civ. c. 1. n. 80.* Nec obstat: quod Zæf 105 *ad tit. de Procurat. n. 17.* & cæteri dissentientes objiciunt: Actum ipso jure nullum non posse ratificari; actus enim hic, etiãmsi tam ratione Mandantis, nec ipso infcio aliquis pro eo postulare, & causæ illius præjudicare possit, quàm ratione Adversarii nullus sit; posterior tamen, cum sibi imputare debeat, quod cum Procuratore falso egerit, & nullitatem non opposuerit, prior verò gestum ratihabeat, uterque juri, cujus causa actus nullus, renunciavit. Et quàmvis ulterius urgeant, quòd hæc nullitas 106 semper etiam post sententiam opponi possit; post ratificationem tamen actus ille non amplius est nullus, sed ipso jure convalidatus. Ratihabitione quippe profus retrotrahitur, & confirmat ea, quæ ab initio subsecuta sunt, uti loquitur *d. l. fin. C. de SCT. Maced.* de quâ regula multis agit Card. Tuschus *Concl. 21. lit. R.* Trentacinquius *Pract. Resol. Jur. L. II. tit. de Procur. Resol. 9.* Omnem insuper dolum excludo; nam, si Dominus, sciens 108 causam suam agi, dolosè usque dum sententia ferretur tacuisset, nullius momenti est ratihabitione, ne domino dolus suus lucro cedat & malitiis via aperiat. Sic enim quilibet litis finem expectaret, non aliter sententiam ratificaturus, nisi in sui favorem sit prolata. Quod multò magis 109 in F. C. locum habet, quo dolus nunquam celari potest, licet in foro externo sæpius in committentis animo lateat. Putoque ulterius partem adversam alterius ratihabitioni contradicere S. C. non posse, non solum propter rationes superius allegatas, sed & idèò, quod respectu Procuratoris nullum interesse habeat an falsus fuerit, an non, modò ratihabitione Principalis adsit. Si enim Mandatum habuisset Procurator, sententia lata stare, nec tamen aliter causam gessisset; si ob illius defectum nullitas locum haberet, nihilominus Principalis Procuratorem mandato instrueret, quo fretus de novo causam ageret, & sine dubio æquè favorabilem obtineret sententiam. Repugnat igitur Conscientiæ dictamini sine 110

ullâ utilitatis præensione litis repetitionem urgere, & proximo obesse, cum certa sit juris naturalis regula: Quod tibi non nocet, & mihi prodest, ad id præstandum teneris, quæ fundata est *in l. 2. §. 5. ff. de aqu. & aqu. pluvi. arc.*

111 Vidimus hucusque, quomodo partes in iudicio comparere debeant; sequitur ut ad ipsum causæ conflictum propius accedamus. Huic autem consultum præmittere juramentum Calumniæ. Cum enim Actor sæpè contra conscientiam calumniosam litem moveat, & Reus per vanas & varias exceptiones dilatorias litis contestationem, quantum potest, differat, uterque fortè metu Numinis à calumniosa actione & exceptione deterrebitur delato juramento, cuius inter alias hæc est clausula: *Dass sie eine rechte Sache zu haben glâuben / und alles was sie vorbringen und begehren / nicht aus Gefâhrde / oder böser Meynung / noch zu Aufschub und Verlângerung der Sachen / sondern allein zur Nothdurfft thun / per Rec. Imp. de Anno 1654. §. 5. Über dieses verordnen wir.* Quod remedium quidem cessat in foro Saxon. ubi juramentum calumniæ generale abrogatum, ejus tamen loco speciale, quod malitiæ vocatur, injungi potest, quoties id necessarium arbitrio Judicis videbitur. *Carpz. P. I. C. 12. D. 21. & 22.*

113 Occurrit hic quæstio præjudicialis: an juramentum calumniæ generale ab utraque parte S. C. præstari possit? Negativa tenenda videtur, quia, cum utraqve de eâdem re juret, & altera quidem eam affirmet, altera neget, alterutra necessariò falsò jurat, siquidem veritas una est & simplex, duoque contraria simul & eòdem tempore vera hæc esse possunt. Sed, eo non obstante, affirmativa obtinet. Est enim juramentum hoc non veritatis, sed credulitatis, & jurant Partes, non, quòd utriusque causa sit justa, sed quòd credant, se habere justam litigandi causam; sufficit ergo, quòd certò credant se firmissimis inniti argumentis, quòd, quin utraqve pars facere possit, nullum dubium, præsertim, cum experientia testetur, diversos Jctos diversas plerumque in eâdem causâ fovere sententias, & sæpè utramque partem per ipsorum Consilia, quorum auspicio lis mota, ab expensis & temeritate, nedum calumniâ, litigandi absolvi. Vid. *Perez. in Cod. de Jurejur. propt. cal. dand. n. 2.* Hinc & sequitur, illis in casibus, quibus altera pars necessariò perjurium committit, juramentum hoc cessare, quos Judicis arbitrio relinquimus; duos recenset *Dn. Brun. in Proc. Civ. c. 15. n. 6.*

Circa

Circa juramentum malitiæ in specie notamus, illud sine necessitate 116
 te exigi non deberi, quando nulla malitiæ apparet præsumptio. Cùm
 enim nomen DEI non debeat in vanum assumi, nec temerè & sine cau-
 sa adhiberi, non minus peccatur jurando, quando non est opus, quàm
 malè jurando, quando opus est. Fagundez *ad Decal. Tom. I. L. II. c. 1. n. 18.*
 DEUS, inquit d. I. juramenti remedio tanquam medicinâ providit, ut per 117
 hoc fides, quam homo per primum Adami peccatum perdidit, ejus di-
 ctis adderetur. Unde, cùm medicinâ non utendum, nisi postulante ne-
 cessitate & infirmitate, ita etiam juramento uti non debemus passim & si-
 ne necessitate.

Aggravatur peccatum si in juramento metus perjurii adsit, cujus 118
 occasionem non solum lex civilis devitare jubet *in l. 2. Cod. de indict. vi-
 duit. toll.* sed & inter Moralistas decisum est, ut socius fiat perjurii, imò
 gravius peccet quàm homicida, qui illi occasionem præstitit, & sine ne-
 cessariâ causâ juramentum pejeraturo detulit; æquè ac qui gladium por-
 rigit, quo homicidium committitur, socius est homicidii, & qui ignem
 portat, unde conflatur incendium, reus incendiï. Vid. Lessius *de J. & J.*
L. II. c. 42. Dub. 10. Soto de J. & J. L. VIII. qv. 2. art. 4.

Sed quid si Pars non in propriâ personâ, sed per Procuratorem liti- 119
 get, potestne S. C. per eum juramentum hoc præstare? Affirmat Jus Ca-
 non. in *c. fin. de Jur. Calumn. in 610.* admitti pro alio Procuratorem speci-
 ale Mandatum habentem, quod ita explicat Ferd. Vasqvius *illustr. con-
 trov. L. V. c. 25. n. 18.* ut non tantùm debeat esse Mandatum speciale, sed 120
 etiam singulare, h. e. cum insertione causæ; id tamen minus observari
 testatur Gailius *L. I. obs. 83. n. 3.* quamvis & idem *d. l. n. 2.* juramenti spe-
 ciem expressam necessariò requirat, cùm, si detur Mandatum generalius,
 v. g. constituo te Procuratorem ad jurandum in omni causa, id saltem
 intelligendum veniat de justis causis, sicque, si in causa injustâ juraret
 Procurator, Principalis non teneretur de perjurio, sed juramentum pro
 non præstito haberetur, quia in Mandato generali semper exclusum vide-
 tur delictum. *l. 60. §. fin. ff. Mand.* Vid. Fagundez. *ad Decal. L. II. c. 22. n. 19.*
 & 20. hinc & opinionem Vasqvii extra praxin præfero. Sed hæc in pra- 121
 xi ita se habent. Quid de legalitate hujus juramenti sentiendum? Im-
 pugnat eam Justus Oldekop. *in dissertat. de Jurejur. in alt. animam.* cui se
 speciali iterum tractatu opposuit Gerh. Feltmann. *de Jurejur. in alt. ani-
 mam.* quò cum sentiunt Setfer. *de Juram. c. 14.* Laymann. *Theol. Moral. T. II.*
L. IV. Tr. III. c. 10. n. 1. quibus ego assentior. Est enim hæc juris naturalis

- regula: Quod quis per alium facit ipse fecisse putandus est, non solum
 122 quoad obligationis acquisitionem, sed & quoad reatum. Et quamvis
 juramentum sit personalissimum, hoc tamen de vinculo perjurii intelli-
 gendum, & personalia quoque per alium expediri possunt, exemplo ma-
 trimonii per c. fin. de Procurat. in 6to. cum obligatio intrinseca solum Prin-
 cipalem tangat, hæc procuratio verò saltem in externis actibus maneat,
 taliterque in alterius animam jurans solum ministerium corporis sui ex-
 hibeat, & per externa signa alterius mentem exponat, Deumque, non
 in suam, sed alius animam invocet, qui, quamvis absens sit, & illo for-
 tè momento juramentum in mente non proferat, eo tamen ipso, quo
 123 Mandatum ad jurandum misit, serio jam juravit. Nec obstat, quod non
 possim per alterum orare, alia namque ratio precum est, alia juramen-
 torum; Preces fiunt pro salute propria, juramenta ad fidem alteri faci-
 endam, & fensa mentis declaranda, ad quæ non præcisè verba jurantis
 requiruntur, sed sufficit, si ea literis declarentur, & per alium profertur.
 Vid. Laymann. *Theol. Moral. d. l. Fagundez. L. II. c. 1. n. 6. & 7.* aliàs nec
 mutus jurare possit, quod tamen probavit Dn. Præses in *Tr. de Jur. Sens.*
 124 *Diff. IV. c. 4. n. 27.* Non igitur peccant per alium jurantes. Consulti-
 125 us tamen est, si litigantes ipsi jurent, quia magis solliciti sunt de salute
 animæ, nec tam faciliè ad jurandum profiliunt. Winther. in *Parben. Jurig.*
L. II. c. 7. n. 12. & quòd Judex melius ex jurantis vultu perjurium aut pro-
 126 brem pejerandi voluntatem colligere, eumque dehortari possit; quas ob
 causas Procuratorem in alterius animam jurantem non admitti in Saxonia
 astitit Carpz. *Part. I. C. 12. D. 39.*
- 127 Post juramentum Calumniz legitimo modo præstitum securius ad
 ipsius causæ discussionem devenitur. Hujus autem principium ferè con-
 sistit in oblatione Libelli, qui est judicii fundamentum, & ad quem omnes
 actus, præcipuè litis contestatio, probatio & sententia, referuntur. Sigism.
Scaccia de Judic. caus. civ. L. I. c. 50. n. 25. Eum format Actor, cui aptè
 concipiendo se totum impendat; ineptum enim Libellum Judex ex offi-
 128 cio rejicere, imò dentibus lacerare debet, diciturum est Practicorum. In-
 primis rationem habeat clausularum Libellis adjici solitarum, quas refert
 & explicat Obrecht. *de Juram. cal. integro cap. 18.* maxime salutaris illius,
 quam vocant; Peto prædicta omni meliori modo, cujus effectum mon-
 129 strat Carpzov. in *Proc. tit. VII. art. 2.* Conscientia autem semper curæ sit
 Libellanti, diligenter attendendo, ut factum eo, quo se habet & ipsi con-
 stat, modo proponat, nec minimam circumstantiam addendo vel detra-
 hendo

hendo variet. Quoties hoc facit, sine dubio mendacium committit, & per consequens mortaliter peccat.

Regulariter Alternativus Libellus non admittitur; cum alternatio 130 ponat incertitudinem, Libellus verò debet esse certus; huic quippe conformis esse requiritur sententia, quæ similiter incerta fieret, qualis non ferenda per §. 32. I. de Act. tot. tit. C. de Sentent. qua sine cert. quant. prof. tolerant tamen alternativum Libellum, si Actor probabiliter de actione 131 dubitet. c. Constitutus X. de Restit. in integr. Loc. ad ff. tit. de Edendo. num. 7. An in F. C. hæc limitatio locum habeat, dubium est ideò, quia qui du- 132 bitante conscientia agit, peccat; sed manifesta est responsio, si distingvamus, inter dubitare de jure suo, & inter dubitare de modo jus suum profesquendi, quæle dubium nostro in casu subest; ille dubitando agens peccat, hic non. Certus enim est de jure suo, quòd rem illam, de qua lis est, actione persequi possit, nescit saltem, quò speciatim remedio, & qua 133 nam actione id facere debeat. In praxi tamen receptum est, ut tali Libello subjiçiat, se ex alterutra saltem actione jus suum profesqui velle.

Pars adversa adhuc informanda, an, si solennitate aliqua destituta 134 tur Libellus, ad illum respondere teneatur. Responsum quædantenus superius dicta suppeditabunt, quòd Solennia non adeò sint attendenda in F. C. si nihil juri meo detrahatur, aut defensio arctetur. Breviter 135 tamen bimembrem hanc formo thesin: Quoties Judex Libellum ex officio debet rejicere, toties nec Reus ad eum respondere tenetur; quoties illum salvare Judicem decet, toties & post salvationem responsio necessaria. Ra- 136 tio prioris: Inepti enim Libelli rejectio ita Judicis officio incumbit, ut eâ neglectâ sententia lata ipso jure, parte etiam non opponente, nulla sit. c. cum dilecti. de Empt. & Vend. Gail. L. I. obs. 66. num. 1. ubi n. 2. id adeò procedere dicit, ut Judex Appellationis non possit talem sententiam reformare, sed necessario super nullitate pronunciare debeat, condemnando actorem in expensas. Jam, cum sententia nulla sit, pariter responsio Rei nullum habet usum, non igitur Reus cogendus est, ut nulliter respondeat. Ratio posterioris: Quia per salvationem Judicis omne vitium Li- 137 belli sanatur, sicque responsio Rei similiter necessaria, ac si ab initio Libellus ritè formatus fuisset. Sicut enim homo, qui à morbo plenè restitutus est, easdem operationes habet cum illo, qui nunquam decubuit; sic Libellus, cui vitium ademptum legitimi Libelli effectus habeat, neces- 138

sum est. Quinam verò Libellus sit rejiciendus, quinam salvandus, inter alios quàm plurimos tradit Obrecht. *de Libellis c. 18. n. 4.* Libellum igitur, quomocunque factus sit legitimus, sequitur Rei responsio, communitè dicta Litis Contestatio, in quâ, cum utramque faciat paginam conscientia dictamen, meritò & hic sequitur

CAPUT III.

De

Conscientia Partium in Litis Contestatione & Rei Responsione.

S U M M A R I A.

Litis contestatio vera maximum litium abbreviandarum remedium, n. 1. 2.

Litis Contestatio quotuplex? n. 3.

Reus litem semper specificè contestari debet, n. 4.

Judex specialem litis contest. nunquã potest rejicere, n. 6.

Litis contestatio cur fiat? n. 7.

Specialis L. C. quibus in locis recepta? n. 8.

Qua ad causam non faciunt nec responsionem merentur, n. 9.

Exemplum allegatur, n. 10.

An litis Cont. fieri possit per verbum Nescio? n. 11. seqq.

Verbum nescio non idem involvit ac verbum nego, n. 13.

An per verb. non possum pro certo asserere? n. 14.

An per verb. Er stelle es dahin? n. 15.

An cum retentione mentali? n. 16.

An a quoque? n. 17.

An per verb. se non accepisse, aut, si acceperit, solvuisse? n. 19.

An protestatio de non contestando litem aliquid operetur? n. 22. seqq.

An quis se ad panam deferre teneatur? n. 27.

An se possit S. C. deferre? n. 28.

An à Judice interrogatus teneatur fateri veritatem? n. 30.

Neg. de interrogato non juridicè, numer. 32.

Affirm. de interrogato juridicè, numer. 33.

An si queratur de crimine capitali? n. 34.

An detur peccatum veniale? n. 35.

Lessius refutatur, n. 37.

Sub mentali retentione jurare non licet, remissivè, n. 39.

An

An teneatur respondere Judici de quo dubitatur, an iurroget juridicè?

n. 40.

An quis possit sibi linguam abscindere, ne respondere cogatur? n. 42.

An talis pro confesso habendus? numer. 43.

Quid si scribere possit? n. 44.

An interrogato non juridicè liceat veritati contrarium dicere? num. 45. seqq.

Mendacium nunquam licitum fieri potest. n. 46. 47. 48.

Grotius refutatur. n. 49.

Quæ indicia ad torturam sufficiant? remissivè. n. 52.

Tortura non sustinenda pro negando crimine. n. 54.

Tortura nunquam pœna loco est. numer. 55.

Ad evitandam torturam nemo sibi crimen imponere debet. n. 56. seqq.

Etiamsi tormenta sint graviora. numer. 57.

Dissentientes refutantur. n. 61. seqq.

Tortura semper debet esse minor quam pœna delicto imponenda. n. 64.

Neque pro patre liberando licet delictum morte dignum sibi imponere. n. 66.

Dissentientes refutantur. n. 67.

Angli invehuntur in torturam. n. 68.

Pœna Anglorum fortis & dura qua fit? n. 69.

An hanc S. C. aliquis subire possit? n. 70.

INter humana litium abbreviandarum remedia unum sufficere existimat 1. Nic. Vigelius in *prefat. Libri de Lit. Contest.* pag. 533. veram litis contestationis explicationem, h. e. verum causæ statum, indagare, & isto cognito litis decisionem maturare, quem allegat Winther in *Parthen. litig. L. II. cap. 1. num. 20.* cujus hanc rationem dat Carpzov. *P. I. C. 10. D. 1.* quia litis 2 contestatio ipsum iudicii fundamentum habetur. *l. un. C. de Lit. Contest.* Maxime igitur incumbit Reo, ut litem sine omni morâ verè, prout rem se habere novit, & secundum legitima requisita, contestetur, quæ ut edfacilius observet, Conscientiam ejus quadantenus quoad ea, quæ forum externum largius indulget, excutere operæ erit pretium.

Varias autem divisiones Dd. cumulant, ex quibus una proposito 3 nostro inservit, quâ dividitur Litis Contestatio in generalem, nego-narrata prout narrantur, & specialem, ubi ad singula Libelli capita expressè & specificè respondetur. Priorem iudiciorum Ordinationibus, non sine 4 iustitiæ detrimento, approbatam esse, dolet Dn. Brunri. *Proc. Civ. t. 14. n. 9.* & quos allegat Carpz. *d. l. in fin.* Unde patet Reum illis etiam in iudiciis, in quibus generalis Litis contestatio admittitur, conscientiam suam bene consulere, si specificè ad Libellum Actoris respondeat, cum sic juri ipsius nihil

- nihil derogetur, & lis maturetur, faciatque in primo termino spontè, quod
 5 in secundo mox facere teneretur ad instantiam Actoris; huic si quidem li-
 cet sequenti termino distinctam ad singulos Libelli articulos exigere re-
 sponsonem. Carpz. *in Proc. tit. X. art. 3. n. 19.* Neque puto Judicem ejus
 6 loci specialem litis contestationem rejicere posse. Litis Contestatio
 enim eo fine fit, ut partes sciant, quid probare debeant, & Judex intelli-
 gat, super quò pronuntiandum. Ummius *ad Proc. Diss. 12. tb. 5.* de quo
 cum ex generali litis Contestatione rarò, ex speciali verò semper, constet,
 quid faceret Judex, nisi quòd litem prolongaret & mox petenda rejiceret.
 7 Nec vim ita infert Ordinationi Judiciariæ, generalem saltem Litis con-
 test. requirenti, quæ in favorem Rei disponere, ne hic oblatâ litis con-
 testatione generali repellatur, & in expensas termini condemnetur, vel
 eum casum respicere videtur, si ex generali responsione de negatis & con-
 8 fessis constare possit. Posterior sv. specialis recepta est in Saxonîâ, Carpz.
P. I. C. 10. D. 1. & in Proc. Tit. X. art. 3. n. 23. seqq. in Ducatu Prussiæ Brunn.
d. l. n. 11. & per Rec. Imp. nov. §. 28 sol. auct. hinsuro. vers. so sol. det. citrite &c.
 9 in Camerâ Imperiali. Non tamen sic intelligi volo quasi sine conscien-
 tiæ læsione nihil in Libello sine responsione dimitti possit, ea enim, quæ
 ad Causam & finem litis contestationis nihil faciunt, nec responsionem
 10 merentur, v. g. si in injuriarum Libello Actor longa Majorum suorum
 suæque merita alleget, communiter respondetur hæc suo loco relinquì,
 quandoquidem, si ad irrelevantia omnia & singula respondendum fo-
 ret, liti contestatio multum extenderetur, ipsaque causa per conse-
 quentiam protraheretur. Vid. Carpzov. *in Proc. tit. X. art. 3. num. 59. us-
 que ad fin.*
- 11 Verba in Litis Contestatione adhibenda quod attinet, ea debent
 esse clara & perspicua. Maximè autem in foro externo controvertitur
 inter collegia Actorum de verbo Nescio, an, si Reus ad articulum aliquem
 sic respondeat, hæc litis contestatio pro legitimâ sit habendâ? Carpzovi-
 us eam admittendam esse, & Negativæ æquivalere statuit *in Proc. d. l. n.*
41. Brunnemann. contra in Proc. Civ. c. 14. n. 16. id negat, nisi vel de facto
 12 proprio antiquo; vel de facto alieno quæstio sit. In F. C. facilior erit
 determinatio. Quemadmodum enim dolus litem contestantium, qui
 sæpè aliud exterius ore proferunt, aliud sub pectore repositum gerunt,
 dubio hæc causam dedisse, Judicemque, ut accuratius in sensa mentis
 inquirit, nec responsiones quoquo modo dubias toleret, movisse videtur,
 sic idem in foro interiori, ubi conscientia ipse Reus & Judex est, non me-
 tuen-

miendum. In hoc itaque Reus semper salvus erit, si veritatem nudè confestetur, potestque, si factum, qualecunque sit, nesciat, per verbum Nescio illasà conscientia respondere. Quid? quod non semper commodè hoc casu simpliciter negando respondetur, aut Judex negativam respon- sionem substituit; quamvis enim, qui nescit, rem eam affirmare non possit, sed potius negare videatur, prout vult. Carpz, *d. l. n. 46.* eam tamen non statim simpliciter, sed quoad suam saltem, vel præsentaneam scientiam negat, quod maxime in casibus ex Brunnemanno allegatis procedit.

Sed quid de verbis, non possum pro certo asserere, num ea conscientiam Rei liberant? Præsupposito iterum quòd semper veritatem dicere debeat, aut rem certius novit, tuncque sic respondendo mentitur, & peccat; aut non, nec poterit pro certo asserere, quod certè non novit, hinc responso ista in facto proprio rarius locum inveniet. Aliud est si respondeat per verba, et stelle es dahin/ hæc enim mentem Contestantis nequaquam aperiunt, nec ita sunt qualificata, ut quis genuinum illorum sensum possit promittere. Vid. Carpz. *d. l. n. 48.*

Multò autem minus respondere poterit cum retentione mentali; sine dubio enim mendacium est, aliam animi sententiam exponere, aliam mente retinere. Vid. Joh. Barnesii Monachi Benedicti. *Dissertat. contra Æquivocat.* allegata à Dn. Præsidi *Tr. de Jur. Sens. Dissert. 10. c. 3. n. 36.* Nec æquivocè, præsertim si id eà intentione facere velit ut Judex, vel pars, cui veritatem rotundam confiteri debebat, moveatur ad contrarium inde colligendum. Quod si verò nullam fallendi intentionem habeat, sed verba absque illius proposito æquivocè cadant, neque lædet conscientiam; dolus quippe ex intentione æstimandus, hic ergo cum intentio pura sit, dolus locum non habebit. Pars tamen, & hæc omittente Judex, semper clariorem mentis expressionem dictorumque declarationem urgere potest, per ea quæ habet Carpz. *d. l. n. 36. seqq.* & Brunnem. in *Proc. inquis. c. 8. m. 1. n. 81. 82.*

Interdum Rei specialiolem quidem formant responSIONem, sed æque dubiam. v. g. dicunt se non accepisse pecuniam petitam, aut, si accepissent, se solvissent. Hæc litis contestatio æque dubitativa est, ac quæ fit per verbum simplex dubito, ideoque pariter non admittenda. Pacianus *de Probat. L. I. c. 21. n. 10. seqq.* nisi sit de facto alieno, aut proprio quidem, sed valde antiquo, quale præsupponit *l. siquidem g. C. de Except.* quando concedit, ut, si dubia Reo sit Actoris intentio, exceptio in eventum sal-

tem, si illa probata fuerit, opponatur. v. g. nego patrem meum accepisse mutuo pecuniam, aut, si accepit, oppono exceptionem prescriptionis.

21 Vid. Dn. Brunnem. *Comm. Cod. ad d. l. n. 5. & 6.* Idem esto iudicium quoad F. C. Vix enim salvâ veritate contingere poterit, ut quis de facto recenti ullum concipiat dubium. Si igitur non dubitat, & tamen dubium se esse dicit, mentitur.

22 Alium adhuc respondendi vel potius effugiendi modum committuntur injuste litigaturientes. Nimirum fatentur quidem rem prout se habet, interim tamen protestantur, se hoc tantum pro informando iudice,

23 eo, non animo litem contestandi, protulisse. Quare examinandus Protestationis hujus effectus. *Mev. P. I. Dec. 335.* hanc protestationem frustraneam esse asserit, eò quòd, dum res clara adsit, solennior litis contestatio non expectanda; laudabilia autem judicia non necessaria non admittere, magisque Processuum brevitati, quam formulis solennibus & subtilitatibus, intenta esse debeant. Ego nec Conscientiæ Protestantis eam convenientem esse autumo, quæ dicitur, ut lis omnis quam citissime expediatur; hinc omnes solennitates ad ipsius causæ decisionem non facientes rejicit, quibus tamen nititur, qui perfectam rei narrationem semel factam sine necessitate iterari, & solennem litis contestationem expectari desiderat.

24 Huic proinde nostro casu qui insisit, litem non sine peccato protrahit; nisi ex urgenti ratione litem acceptare detrectet, quod per litis contestationem non annexâ protestatione facere videretur; ad querelam verò adversarii in honorem saltem Judicis respondeat, vel ut inde patefiat, adversario nullum jus querendi competere, sequæ ad litem contestandum non teneri, quam limitationem etiam admittit in foro exteriori *Mev. d. l.*

25 Hæc breviter quoad litis contestationem in processu civ. dicta sufficiant, quamvis pleraque etiam in Criminali locum sibi vendicent. Quoad hunc tamen speciatim aliqua adhuc subnectenda erunt. Cum enim in Civilibus saltem de bonis agatur, non adeò facile falsi assertio metuenda quam in Criminalibus, ubi vita hominis, cujus amissio terribilissima, sæpius linguam in contrarium flectit, in questionem venit. Proinde eò magis in his inculcandum Conscientiæ dictamen, præsertim cum pro vitæ conservatione Moralitæ interdum favorabilius quid statuunt.

26 Et initio certum quidem est neminem in F. C. teneri delictum suum accusare, & se ad poenam deferre. *Puffendorff Elem. Jprud. L. I. Def. 12.*

§. 33. Th. Hurtado *Tr. IV. c. 8. resol. 28.* allegatus à Dn. Ziegler. *ad Lancellotti. L. I. tit. 19. §. 6. n. 3.* cum nemo teneatur alteri arma contra se suppeditare, delictumque semel in Republ. commissum hâc delatione infectum fieri nequeat, nec propter crimen occultum scandalum publicum in Rep. sit metuendum. In Conscientiâ tamen securus etiam erit se deferens; cum enim alius criminis conscius, & ob bonum publicum ipsum accusans, non peccet, nec peccabit ipse; mortem quippe meritus est, ergo eam sibi procurare potest, modò intentionem justam & finem bonum habeat, nempe vindictam suorum scelerum, exemplum publicum, & ut abrumpat peccandi consuetudinem, quam alia ratione sibi non videtur posse deferre. Lessius *L. II. c. 11. Dub. 7. n. 37.* Hinc eum hoc casu virtutis opus exercere per se loquendo, dicit Laymann. *Theol. Mor. L. III. Tr. 6. c. 5.*

11111. 4.

Præmissis his de confessione spontanea ad elicitam progredior, & quæro: an à Judice interrogatus semper teneatur sateri crimen? Distingvendum puto cum Lessio *de 7. & 7. L. II. c. 31. Dub. 3.* an Judex interroget juridicè i. e. publicè, ex officio, & ex justâ & legitimâ causâ, an non. Posteriori casu ad respondendum & crimen aperiendum non est obligatus, quia Judex hoc modo procedens eam obligationem imponere nequit, cum jus ipsi potestatem istam non concedat; judici autem potestas nulla competit, nisi quæ illi vel à jure, vel à Principe commissa. Et, sicuti aliàs judici de facto procedenti de facto potest resisti. *arg. l. 29. §. 7. ff. ad L. Aquil.* sic multò magis illegitimè interroganti responsio jure denegabitur. Aliud dicendum in priori casu, quo veritatem interrogatus sateri tenetur, etiamsi capite plectendus esset. Habet enim Judex juridicè interrogans jus eliciendi veritatem ob bonum publicum, ideoq; legitimè præcipit; judici autem legitimè præcipienti obediendum, ideo veritatem sic occultans peccat contra jus & auctoritatem Superioris. Quod ita effert D. Thomas *2. 2. qu. 69. art. 1.* Quicumq; facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum justitiæ, ut aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ jus prælationis se extendit. Judex autem Superior est respectu ejus qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo si confiteri nolit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Vid. Gabr. Alvarez. de Velasco *in Jud. perf. Rubr. 15. annot. 1. n. 32.* Subjicit autem Lessius *d. l. n. 16.* mortiferè tamen non peccare eum, qui capitale cri-

- men negat, quamdiu spes evadendi superest, quod non tolerandum. Peccatum veniale non est, quippe quod naturam suam & ex causa non datur. Ziegler. *in Dit aff. concl. IV. §. 11. & 12.* Igitur vel erit mortale, vel plane nullum peccatum. Peccatum verò esse, patet partim ex superioribus dictis, partim quia mendacium dicit, sed qui mentitur, ex ipsorum Pontificiorum etiam hypothese, mortaliter peccat. Idem esto iudicium de exemplis & casibus, quos *n. 18.* proponit. Nec juvat vitæ periculum, quod Lessius tantopere urget, & amor sui; amor enim vitæ amoris salutis æternæ postponendus; nec licet vitam, in quam propter delictum commissum Respublicæ potestatem habet, per peccatum mortale servare, ejusque ministro, qualis Judex est, debitam obedientiam negare. Multò minùs afferentem merentur *qua n. 17.* ex præmissis colligit, sc. illum, cui ad confitentiam veritatem Judex juridicè interrogans juramentum defert, uti posse mentali restrictione; juramenta enim simpliciter, nedum ubi confitendi obligatio incumbit; nunquam sine peccato mortali cum mentali restrictione fieri posse, egregiè & accuratè diduxit, adversantiumque opinionioni contradixit Dn. Præses *Tr. de Jure Senf. Dissert. 10. c. 3. n. 33. seqq.* Sed quid de eo, quod Lessius *d. l. n. 10.* habet, statuendum, cum, qui dubitat, an Judex juridicè interroget, respondere non teneri. Sanè ego minus tutum in conscientiam existimo, Judicis, de cujus interrogandi potestate dubito, omnem simpliciter denegare responsionem, sed obsequio interrogati convenire putò allegare, Judici nullum interrogandi jus competere, ejusque probationi stare; quemadmodum Citatus à Judice, cujus jurisdictioni, nullòminùs comparere, & incompetentiam allegare, imò probare tenetur. *l. 2. pr. ff. Si quis in jus voc.* Si Judex probare noluerit, magis se suspectum reddit, eoque securiori conscientiam Interrogatus non respondet, per rationes à Lessio *d. l.* adductas.
- 42 Ex hæcenus allatis patet, graviter illum peccare, qui linguam sibi præscindit, idèò, ut ad respondendum cogi non possit, quæsum hominum exempla recenset Oldekop. *Obs. crim. tit. IV. obs. 42.* Th. Zvvinger. *Theatr. vit. hum. Vol. 8. L. 5. v. tormenta p. 2162. seqq.* Præterea enim, quòd responsionem, ad quam obligatus erat, impediendo peccet, peccat insuper membri tam necessarij abscissione, cujus ipse non erat Dominus. *l. liber homo 13. ff. ad L. Aquil. Lessius de Just. & Jur. L. II. c. IV. Dub. 10.* Quòd verò Oldekop. *d. l. num. 3.* cum ob malitiam hanc pro confessò habendum esse statuit, id eò saltem casu, si fere plene convictus fuerit, admittendum putat Dn. Præses *de Jur. Senf. Dissert. IV. c. ult. in fin.* aliàs potius dimittendus

dus foret imposita pœnâ extraordinariâ; cùm hæc confessio saltem sit præ-
 sumpta, præsumptiones verò ad condemnandum in Criminalibus non suf-
 ficiant. *l. alt. Cod. de probat.* Præsuppono tamen illum scribere non posse, 44
 alias fieri deberet confessio per scripturam, quæ ejusdem efficaciz ad im-
 ponendam pœnam ordinariam est, ac si verbis facta esset. Dn. Præses *d. l.*
v. 25. Cerpzov. Pr. Crim. P. III. qu. 47. num. 49. Farinac. Op. crim. P. III. qu. 98.
caus. 17. n. 63. Respondendum igitur quotiescunq; Judex juridicè interro-
 gat, nec attendendum, damnum inde secuturum.

Sed, quid si non interroget juridicè, potestne S. C. contrarium, se de- 49
 licitum non commisisse, asserere? Hoc negandum. Ita enim responde-
 re foret mentiri. Mentitur quippe, qui contra mentem suam loquitur,
 & aliud exterius ore profert, aliud sentit interius, quod vel ipsius Christi
 mandatum, jubentis ut sermo noster sit *Est, est, non, non*, solidè evincit.
 Si igitur Judici respondeat interrogatus etiam minus juridicè se delictum
 non commisisse, & secum in mente nihilominus certus sit, delictum à se
 commissum esse, mentitur. Omne autem mendacium ex naturâ suâ 46
 peccatum est, & non potest esse nisi malum, quod vel inde patet, quia ab
 omni mali autore diabolo originem trahit. *Job. 8. v. 44.* veritati & per
 consequens DEO, quia ipsissima est veritas, contrariatur, imò naturæ
 quasi repugnat; cùm enim voces, inquit D. Thomas 2. 2. *quæst. 110. art. 3. 47.*
 naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum, ut aliquis
 voce significet id, quod non habet in mente. *Vid. latè hoc deducens Jo-*
seph Gibalinus Scient. Canon. & Hieropol. T. I. L. III. cap. 3. confect. 4. Tale 48
 autem malum nullo casu bonum aut licitum fieri potest; nam quod for-
 maliter & intrinsecè vitiosum est, propter externas finis, temporis, loci,
 personarumve circumstantias licitum evadere nequit, cùm circumstan-
 tiæ extrinsecæ non possint mutare intrinsecam rei naturam. *Statut. equi-* 49
dè Grotius pro vitâ servandâ mentiri licere, de J. B. & P. LIII. c. 1. Sub.
 sed non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona; rectiusque sentit Au-
 gustinus, nec orbem, si periclitetur, mendacio servandum esse, quem lo-
 cum citat & prolixè probat Brunnem. *in Comm. ff. ad l. 11. ff. de interrog. in*
jure fac. n. 13. seqq. Quapropter non juridicè interrogatus, aut veritatem 50
 asserat, aut planè non respondeat. Quod si Judex hâc excusatione reje-
 ctâ nihilominus responsionem urgeat, superior adest, ad quem regressus
 pater. Hòc similiter instantè rem Deo commendet, & potius veritatem
 aperiat, quàm mentiendo peccet, maxime hòc casu, quo delicti Reus &

nocens est, atque pœnas non dat immeritas. Vid. quæ hanc in rem scripsit, & ex Augustino allegavit Osiander *ad Grot. L. III. c. 1. tb. 16.*

- 51 Ad torturam jam progredior. Si enim inquisitus de delicto, quod commissum esse ex corpore delicti constat, nec per testes convinci possit, nec illud confiteatur, quorum alterutrum ad condemnationem in Criminalibus requiritur. *l. 16. C. de pœn.* & tamen iudiciis sufficientibus,
- 52 de quibus vid. Brunnem. *Proc. Inquis. c. 8. m. 5. n. 2. seqq.* Carpzov. *Pr. Crim. qv. 120. seqq.* Lessius *de J. & J. L. 2. c. 29. Dub. 17.* Zanger. *Tr. de Tortur. c. 2.* gravatus sit, ad torturam devenitur; hinc eam alii ad probationes referunt; quoniam verò tortura saltem ratione iudicis est probationis medium, quippe cui hæc in parte probandum, ego, non nisi Partium conscientiam excusurus, eandem melius ad Lit. contest. & Rei confessionem refero, vi-
- 53 surus quomodo in eâ se gerere debeat inquisitus. Castigandi hic statim ab initio sunt illi, quos indigitat *l. 1. §. 23. ff. de quest.* Alii, inquit, patientiâ, sive duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii tantâ sunt impatientiâ, ut quodvis mentiri, quàm pati tormenta velint, ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut
- 54 non tantum se, verum etiam alios criminentur. Hinc illi robori suo confidunt, delictum, quod commiserunt, constanter negant & torturam subeunt, existimantes fortè, se, dum tormentorum cruciatus sustinent, pœnas debitas dedisse justitiæque satisfecisse, & sic ab ulteriori criminis confessione abstinere posse. Sed stat thesis superius posita: Iudici juridicè interroganti est confitendum crimen, E. nec expectanda, multò minus per-
- 55 ferenda tortura, quæ in locum negatæ quæstionis placidæ succedit. Neque illo ex capite in conscientiâ securi sunt torti, quod torturam sustinendo pœnas delicto imponendas luerint; nunquam enim in pœnam tortura adhibetur, sed in subsidium probationis, ut Rei, qui aliter convinci non poterat, confessio eliciatur. Lessius *d. l. n. 151.* hanc igitur si spontè faceret, tortura cessaret.
- 56 Contra ut hi in excessu, cæteri in defectu peccant, qui ad eò mollietiei suæ indulgent, ut ob leviora etiam tormenta evitanda crimen morte dignum contra conscientiam sibi imponant; cum tamen considerare deberent, ipsos vitæ suæ non esse Dominos, sed custodes, quam cum dolore etiam servare obligantur, quoties mortem non sunt commeriti; videnturque eandem sibi ipsis eripere, & mortem immeritam accerere, contra
- 57 quintum Decalogi Præceptum. Lessius *de J. & J. L. 2. c. 11. Dub. 7. n. 35.* Sed, quid si tormenta sint graviora, quid tunc, an crimen morte dignum im-

ponere

ponere sibi licet? Moralista passim in diversas abeunt sententias, quas cum rationibus decidendi in utramque partem allegat copiose Steph. Fagundez. in *Decal. T. III. l. 8. c. 9.* ipse verò cum Lessio *d. l. n. 41.* affirmativam fovet, nisi vel gravis infamia aut religioni, aut liberis, aut Familiae ex im- 58
 positione ista imminet. Add. Rebellus *de oblig. just. P. I. l. IV. qu. 5. n. 8.* Verum allegata de tormentis levibus rationes tanta mihi esse videntur, ut etiam quoad graviora obtineant, inque negativam me moveant. Nunquam enim homo vitam adeò in sua potestate habet, ut ob imminentes corpori dolores eam internecioni dedere possit, quam semper, etiam cum occisione infaustis tertii, conservare tenetur. Evertit sane rem, 59
 cujus DEUS solus Dominus est, inque jura Majestatis divina involat, & in illam aequè injurius est, ac in Proprietarium Usuarius, vel custos in Dominum, qui hosti appropinquanti obviam it, ejusque vel inviti everfioni totam offert praedium, metuens, ne greges procul à villa pascentes auferat, iisque damnum aliquod inferat. Et, quemadmodum ipsi dis- 60
 sentientes de perferendis tormentis levibus asserunt, quia ductu ac lumine naturae praeeunte docemur, bona minoris momenti exponere pro conservatione bonorum majorum, v. g. ductu naturae manu caput obtegimus ad ictus capitis evitandos, sicque manum periculo opponimus ut majus bonum, nempe caput, servemus; omnino peccatum erit mortale non servare majus bonum vitae, exposito minore, nempe corpore, levibus tormentis: cur non & per graviorum tormentorum passionem vitam nostram servarem? Militat certe utroque casu defectus Dominii in vitam. Nec 61
 video quâ ratione concedi possit à dissentientibus, licitum esse falsum crimen morte dignum mihi imponere, non verò Tertio alicui, quod negant Lessius *d. l. n. 46.* Fagundez. *d. l. n. 3.* Non enim liberius disponere possum de vita meâ, quam de vita proximi, quoad ejus voluntariam amissionem, cum utraque DEI dominio subfit. Et, quod magis miror, dant 62
 nobis impositionem istam licitam non esse, si aliqua inde infamia Reip. aut familiae accrescat, quasi minus foret laderè DEUM, vitae nostrae autorem & Dominum, quam vel Rempubl. vel familiam, quae à DEI nutu & voluntate dependent, eoque longe sunt inferiores. Denique, si torturae 63
 rationem bene consideremus, vix locum habere potest, quod quasi fundamenti loco supponunt Moralista allegati: inquisitum crimen sibi imponendo brevi morte longam redimere, vel potius multas mortes unica simplici commutare; videmus enim quam accurate & tutiori semper via in torturâ procedendum sit, quam varia ejus genera dentur, atque
 ut plu-

- ut plurimum robur corporis, ætas & similia attendantur, imò in gravissimis tormentis dictatis addatur: Jedoch menschlicher Weisheit/ita ut semper major esse debeat pœna delicto imponenda quàm torturæ cruciatus. Brunnem. *Proc. Inquisic. VIII. membr. 5. n. 20. 21.* Concludo igitur ex dictis
- 65 sequenti modo: Inquisitus delictum sibi nunquam imponat, si per torturæ dolores coactus id fecerit, post torturam finitam confessionem istam non ratificet, sed revocet, Judicem ad accuratorem inquisitionem adhortetur, & huic si diffidat, superiorem adeat, forsitan ipsius innocentia patefit; rem autem omnem Deo ardentissimis precibus commendet.
- 66 Sequitur inde porro neque S. C. aliquem sibi crimen morte dignum imponere posse pro Parente, aut amico, tormentis magnis eripiendo. Fateor equidem Moralistas, Lessium *d. l. n. 40.* Fagundez. *d. l. n. 15.* id permittere, si pater, vel amicus à Judice non juridicè interrogetur; quia, dicunt, licitum est crimen mortè dignum ad evitanda gravia tormenta sibi imponere, interitus autem Parentis vel amici tormentis æquivalet, cui adjiciunt, quod licitum sit vitam pro Parente & amico periculo exponere.
- 67 Sed priorem rationem modò negavimus, magisque his in terminis negamus; ad posteriorem reponimus, quòd ordinata charitas incipiat à se ipsa. *l. Præses 6. C. de Serv.* & quod licitum quidem sit pro Parentis vel amici vitæ periculum aliquod subire, non autem tale, ex quo necessariò mihi mors immineat. Cadentibus igitur rationibus cadit decisio.
- 68 Antequam finem capiti huic imponam, tangenda adhuc est Anglorum pœna fortis & dura, quæ torturæ admodum similis. Quamvis enim acriter admodum contra torturam invehantur, adeò, ut Thom. Schmith *de Rep. Angl. l. II. c. 27.* eam servile aliquid sapere, & præter morem gentis Anglicanæ esse dicat, quippe cui innatum sit ut mortem spernant,
- 69 & potius quidvis à se gestum profiteantur, quàm cruciatum istiusmodi ferant; non tamen omnes idem sentire, pœna illa fortis & dura Anglis usitata docet; quæ, si quis per contumaciam in judicio capitali vel mutus stet, vel illud non respondeat, quò judicium ad exitum perducì possit, de cætero autem in confesso sit illum criminis reum esse, nudus super terram inter duos afferes extenditur, & ferri saxorumque maximis ponderibus pectori impositis tamdiu oneratur, donec vitam exhalet: cujus hoc unum solatium est, quòd bona defuncti hæredibus relinquuntur, quæ alias vigore Statutorum Regni in Fiscum Regium concederent. Covvellus *instit. Jur. Anglican. de Judic. §. 35.* allegatus ab Excellentissimo D. Becmanno in *Histor. orb. terr. P. II, c. 4. §. 25.* Q. An hanc S. C. quis subire possit? De eo nullum

nullum est dubium, quòd, quamvis aliàs membrorum suorum non sit Dominus, hos tamen corporis cruciatus S. C. sustinere queat; dum enim vitam amittere tenetur, Dominio divino nihil præjudicat, an simplici, an duriori mortis genere id fiat; videtur igitur quæstio affirmanda, præsertim cum jam de delicto aliunde constet, sicque confessione Rei non opus, cum certioratus amplius non sit certiorandus. Verùm non adest diver-⁷¹ sitatis ratio, cur non æquè hic, ut alius, Judici juridicè interroganti respondere teneatur. Ut ut enim certioratus amplius non certiorandus; fallit tamen regula in Judice interrogante, præsertim quoties confessio rei necessariò requiritur, ut nostro casu. Peccat igitur, qui poenam fortem & duram subire quàm delictum confiteri mavult.

CAPUT VI.

De

Conscientia Partium post Litem contestatam.

S U M M A R I A.

POST lit. cont. sequitur Probatio numer. 1.

Actor dilationes cumulare non debet. n. 3.

Terminus Probatorius in Saxon. qui & qualis sit? n. 5.

An Victor ob neglectum ab altero terminum probatorium tutus sit in Conscientiâ? n. 6. seqq.

Probatio per Positiones quomodo fieri debeat? n. 14.

An juramenti delatio locum habeat, quando nihil adhuc probatum? 15.

Probatio per juramentum commoda est Probanti. n. 19.

Probatio per juramentum adhuc licita est, quamvis aliud probationis genus electum. n. 22.

Quando possit quis consilium suum mutare? n. 23.

Quid ad juramentum deferendum requiratur? n. 24.

Ratione deferentis? n. 25.

Ratione acceptantis? n. 27.

An Christianus Gentili S. C. possit juramentum deferre? 28. seqq.

Juramentum à Gentilibus præstitum, non est verum juramentum. n. 29.

Eos tamen obligat ex conscientia erroneâ. n. 33.

Conscientia erronea obligat, remissivè.

n. 33.

An Judeo S. C. possit juramentum deferri? n. 35.

Formula juramenti Judaeorum. numer. 36.

An testibus pro testimonio dicendo aliquid solvi possit? n. 37. seqq.

Testis ad dicendum testimonium tenetur. n. 39.

Qui peccat contra charitatem, peccat etiam contra justitiam. n. 42.

Qui occasionem peccandi suppeditat ipse peccat. n. 43.

Ad scandalum datum quid requiratur? n. 44.

Testis pro Testimonio dicendo pecuniam accipere nequit, remissivè. numer. 46.

Nec pro veritate dicenda licet pecuniam solvere. n. 47.

Exemplo illustratur. n. 48.

Judex & testis, quod pro judicando & testando accepit, in F. C. restituere tenetur, remissivè. n. 49.

Litigans pro judicando judici nihil solvere potest. n. 50.

An quis teneatur in F. C. unius testis testimonio stare. n. 53.

Aliquando unus testis plenam fidem facit, remissivè. n. 53.

An quis teneatur testem injuratum admittere? n. 54.

Non semper in Partium potestate est testibus juramentum remittere. numer. 55.

Austriaca & Svecica Nobilitatis privilegia quoad juramentum testium restringuntur. n. 56.

An licitum occulte testium crimina revelare ad labefactandum eorum testimonium? n. 57.

Ad testandum nemo se offerre debet. n. 61.

An liceat Interrogatorius testium execrationes adjicere? n. 62.

Execrationes ille in genere rejiciuntur. n. 63.

Per instrumenta probaturus quid attendere maximè debeat? numer. 68.

A quibus præcipuè delictis abstinere debeat? 70.

Quando Reus ad editionem instrumentorum teneatur? n. 71.

Disputatio Attestatorum quomodo fiat? n. 76.

An utilis sit? n. 77.

Post litem contestatam sequitur Probatio. Si enim Reus, ut communiter fieri solet, petitionem Actoris vel in totum, vel ex parte, neget, pronuntiatur: Weil Beklagter auff die erhobene Klage geantwortet, und derselben nicht allenthalben geständig ist Kläger den Grund seiner Klagen/ und so viel Ihm darinnen verneinet/ binnen einer Sächsischen Frist wie recht zu erweisen schuldig. Carpz. in Proc. tit. 13. art. 1. n.

44. Probationem hanc Actor conscientiosus accuratè & pro rei veritate insti-

instituat, imprimis verò eandem, quoad fieri potest, maturet, nec multis dilationibus protrahat. Quamvis enim per *Rec. Imp. noviss.* duz dilatio- 3
nes, imò & tertia cum solennitate legali, concedatur; illis tamen uti nec præceptum nec necessarium est, sed saltem permissum, non semper, sed tunc, quando justæ causæ urgent, ad quas investigandas prævia Judicis cognitio requiritur; quæ duo, si legitime præcesserint, dilationis usus etiam in foro interno licitus. Facile quidem in foro externo causa fingi & Ju- 4
dici inquirenti imponi potest; sed hæc in interno minus tutum erit præsidium, ubi Conscientia ipsa petens & concedens omnem fallaciam excludit.

Terminus Probatorius plerisque in judiciis solet esse certus. In Sa- 5
xoniam est 6. septimanarum & 3. dierum, isque non solum continuus. *Carpz. in Proc. tit. 13. art. 1. n. 80.* sed & omnino peremptorius, ut eo elapso amplius ad probationem quis non admittatur, sed totâ cadat causâ, Reusque definitivè absolvatur, ita ut Actor, ne quidem refusus expensis, & præstitâ cautione de lite prosequendâ, ad novam actionem pateat aditus, quod jure Sax. & multis autoritatibus probat *Carpz. d. l. n. 48.* Inde re- 6
sultat quæstio, an Pars hõc modo vincens salva sit in foro Conscientiæ? Negativa plausibilis apparet: cum hic ex sola adversarii negligentia, non autem justitia causæ, victoriam reportasse videatur. Sed, non obstante 7
hõc, affirmativa potior. Certum enim est habere id juris Superiorem in civilia Subditorum negotia, ut circumscribere illa hõc effectu possit, quò, si quis secundum illius juris regulas non agat, causâ cadat, alterque eandem licitè obtineat, & desuper in conscientia sit securus. Quod tunc lo- 8
cum habet præcipuè, si simul utilitas concurrat publica, quæ nostro in casu maxima apparet. Quis enim litium finis expectandus foret, si actor s. Reus, cui probatio injuncta, pro lubitu terminum probatorium prætermittere posset? Sanè plurimi calumniosam litem foverent, &, causæ justitiæ diffidentes, protelationibus adversarium vexarent, sapiusque, quod 9
jure acquirere non poterant, litem in seculum extrahendo acquirerent. Quamvis igitur negligentia terminum non observantis causam Statuto huic dederit, sola tamen negligentia adversæ partis jus hoc vincenti non tribuit, sed jussus Superioris, qui pœnam negligentiam imposuit, eum victorem facit. Et tali jure à lege positiva concessa uti etiam in conscien- 10
tia licitum est, si nullum morale vitium contineat, quale hic non adest in eo, qui certò sibi persuasum habet, se justam causam fovere, alterumq;, quamvis denuò ad probationem admitteretur, contrarium non assertu-
rum,

11 rum, ubi æquè securus est, ac si Actor nihil probare posset. Si verò inju-
 12 stam se fovere causam sciat, ab initio statim ad restitutionem tenetur. Si
 de jure suo dubitet, consultius ipsi æstimarem, omnem potius movere la-
 pidem, ut alter probationis suæ fundamenta afferre, ipseque dubium su-
 13 um excutere possit. Nec poena illa tangit innocentem & impeditum
 Probantem sed verè negligentem, si namque quis vel factio Judi-
 cis, vel aliàs legitimè & fonticè impeditus, terminum probatorium
 non observet, jure suo neutiquam cadit. Vid. Carpov. in Proc. d. l.
 n. 172. seqq.

14 Jam ut ad ipsam probationem accedam, ea in praxi plerumque fie-
 ri solet per Positiones ex Libello Summario formatas, quas juramento
 Dandorum confirmat Actor, Reoque defert, ut per juramentum Respon-
 dendorum ad eas respondeat; eò igitur magis hîc veritatem urget con-
 scientiæ dictamen, cum non tantum simplex ad verum dicendum obli-
 gatio adsit, sed & juramenti vinculum concurrat.

15 Præter hunc tres principales probationum modi dantur: per ju-
 ramentum, per testes, & per instrumenta. De singulis in specie pauca.
 Probationem per juramentum quod attinet, disquiritur, an hæc locum ha-
 bere possit, si planè nihil adhuc probatum? Controversa est hæc quæstio
 16 inter Doctores. Negativam ex l. 4. C. de Edend. l. 9. C. de O. & A. haud
 pauci defendunt, quos allegat Carpov. P.I.C.12.D.2. & in Proc. tit. XI. art.
 1. n. 78. ipse autem cum pluribus aliis affirmativam fovet, per l. 34. §. 6. &

17 l. 33. pr. ff. de jurejur. Et hanc sententiam etiam conscientiæ dictamini
 convenire arbitror. Est enim juramentum judiciale perfectus & legiti-
 mus probandi modus, æquè ac qui fit per testes & instrumenta; hi igitur,
 cum nullam probationem præviam requirant, nec ille eâ opus habebit

18 Obstare videtur: quod non extra præsumptionem injustæ litis fit juramen-
 tum deferens, si nullæ aliæ probationes ipsi suppetant; sed Resp. in consci-
 entia foro hæc præsumptiones cessant, & dolus hîc semper patet, an solum
 vexandi adversarium animo juramentum deferat, quod faciens omninò

19 graviter peccat. Deinde commodum est hoc probandi genus ad litem
 citius dirimendam. Actorque probandi difficultatem evitare, & ingens
 onus declinare valet, maxime, si negotium, de quo controversitur, tali-
 ter sit qualificatum, ut non facile probatio suppetat, veluti accidit in cau-
 sa ex læsione ultra dimidium contra emptorem aut venditorem institutâ.

20 Carpov. in Proc. tit. XI. art. I. §. 2. Cum autem in potestate proban-
 tis sit, quo probandi medio uti velit, licitum omninò sine doli suspitione

com-

commodius hoc pro alio minus commodo eligere. Nec adverſa pars quod conqueratur habet, quippe quæ eo ipſo in propriâ cauſâ Judex conſtituitur, uti dicit *l. ult. C. de Fideic.* inſuper ipſi conſeſſum, ut vel juramentum delatum referat. *l. 9. C. de R. C. & jurejur.* vel ad probationem contrarii ſe offerat, *arg. 2. c. X. de Probat. ſi jurare nolit.*

Porro in Conſcientiâ quoque ſecurus eſt Deferens, ſi aliud probationis genus elegerit, mox deſiſtat, & ad juramentum judiciale conſugiat, modo in probando nondum deſecerit, ſic enim Reus eſſet abſolvendus. Nam cùm diverſis probationibus uti liceat, & qui unum probationis modum adhibet, eoque quod vult non ſatis evinci poſſe confidit, ad alium devenire poſſit, hic quoque ab alia probatione ad juramentum, quod legitimæ probationis ſpeciem eſſe ſupra aſſeruimus, ſalvâ conſcientiâ accedit. *Zœſ. ad tit. de jurejur. n. 35. 36.* Objicitur quidem: Nemo poteſt conſilium ſuum in alterius fraudem mutare; ſed conceditur regula de conſilio, ex quo jam jus alteri quaſitum; aliud ſi adhuc libera electio mihi competat, ut in noſtro caſu, quia tunc nemini fraudem facio, quemadmodum hanc regulam proponit & limitat *Gibalinus Scient. Canon. & Hieropol. Tom. III. L. 8. de princ. & reg. jur. Can. reg. 33.*

Ut autem juramentum hoc tam ab Actore, quàm à Reo, interdum ſuper exceptionibus peremptoriis &c. legitimè deferatur, requiritur, at approbatio Judicis accedat. *l. 12. §. 1. C. de R. C. & jurejur.* & utraque pars, deferens & acceptans, habilis ſit. In deferente a deſſe debet libera bonorum adminiſtratio. Quicumque enim non poteſt tranſigere, is nec poteſt juramentum deferre, quia juramentum habet vim tranſactionis. *l. 2. ff. de Jurejur.* Tranſigere verò non poteſt, niſi qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habet, quam regulam rationibus & exemplis confirmat, & declarat accuratè, ut ſolet Magnificus Dn. Præſes in *Colleg. publ. axiom. L. II. Tit. XV. memb. 2. ax. 1.* In Acceptante requirit *Balduin. de Caſ. conſe. L. II. c. 9. caſ. 5.* ut ſui juris ſit, & expendere poſſit quid juret. Ad horum numerum an Gentiles referendi, & an ab his Chriſtianus S. C. juramentum exigere poſſit? diſcuſſionem meretur. Videtur quòd non: quia juramentum, quod illi præſtant, non eſt verum juramentum. *Joh. Cunr. Durrius Tb. Mor. c. 2. Part. 2. §. 17.* quippe ad quod requiritur, ut res, per quam juratur, ſit in ſe ſacra, & non in ſolâ exiſtimatione hominum, quare oportet, ut per verum DEUM fiat, non per illum, qui putetur verus. *Fagundez. ad Decal. Tom. I. L. II. c. 1. num. 9. ſeqq.* Juramentum autem per falſos Deos non eſt verum juramentum, quia non invocatur verus DEUS in

- testem, nec obligatio ejus ad religionem aut pietatem verè pertinet, cum in veri DEI contumeliam tendat, & actum Idololatricum contineat. Sed
- 31 his non obstantibus respondetur ad quæstionem: Laborandum quidem esse Christiano, cui cum Gentili res est, ut per DEUM Creatorem Cœli & Terræ, quem ex naturali lumine cognoscere potest, juret; ab illo tamen recusante nihilominus tale juramentum exigi posse, verùm simpliciter, non præfigendo, ut juret per falsos Deos, aut ut tale vel tale idolum nominet, ad quod scit eum majori religione ferri, sed ut in genere religiosè juret, etiamsi non ignoret, eum id facturum non sine indololatriâ Ziegler.
- 32 ad *Grot. L. II. c. 13. §. 12. n. 2.* ex *Dannhauer. Diss. Decal. 7. §. 2.* Sicuti enim licuit Jacobo à Laban; ita cuivis fideli licet ab infideli excipere, imò exigere in necessitate, juramentum, etiamsi sciat infidelem juraturum per falsos Deos; ille enim nudum juramentum exigit, illud ipsum verò fieri per falsos Deos tantùm permittit & tolerat, idque ob justam causam sc. necessitatem, inquit *Corn. à Lapide Comment. in Gen. c. 31. v. 53.* allegatus à *Struv.*
- 33 *Synagm. jur. civ. Exerc. 17. th. 5. n. 2.* Obligat autem juramentum hoc Gentiles non ex se, quia non est verum juramentum, sed ideò, quia proficiscitur ex conscientia erroneâ, quæ habet vim obligandi sub eâ, quæ concipitur, ratione. *Azor. Inst. Mor. T. I. L. 2. c. 3.* *Gabr. Alvarez de Velasco in Jurdice pers. Rubr. 14. annot. 6. n. 7.* qualis ratio in nostro casu est, quando ex
- 34 istimat Gentilis, se per verum DEUM jurare. Vid *Fagundez. d. l. Osiander ad Grot. L. II. c. 13. th. 12.* *Lessius de Just. & Jur. L. II. c. 42. Dub. 1. n. 5.* Facilius admittitur decisso in Judæis, qui verum DEUM mundi creatorem
- 36 agnoscunt. Vid *Fagund. d. l. c. 5. num. 25.* Formulam juramenti à Judæo præstiti, qualem ex Actis transmissis aliquando in collegio privato communicavit Magnificus Dn. Præses, huc transcribere liceat, eaq; sic sonat: Adonay, ein Schöpffer des Himmels und des Erdreichs und aller Dinge/ auch mein und derer Menschen die hier stehen. Ich ruffe dich an durch deinen heiligen Nahmen auff diese Zeit zu der Wahrheit/ daß ich auff die an seiten Fiscalis wider mich eingebrachte Articul die reine Wahrheit unverholen vorbringen/ und mich keiner Falschheit oder Betrügligkeit gebrauchen/ noch in zweysfachen oder verdeckten Verstande anders antworten/ als die Sache an sich selbst ist und verhält/ ohne alle Gefahrde/ Argeißt und Verborgligkeit: Also bitte ich mit auch/ Adonay, zu helfen/ und zu bestätigen die Wahrheit. Wo ich aber nicht recht oder wahr habe in dieser Sache/ sondern einige Unwahrheit/ Falsch/ oder Betrügligkeit darinnen gebrauchet / so sey ich heram und

versuchet ewiglich/ wo ich auch nicht recht oder wahr habe in dieser Sache/ daß mich denn übergehe und verzehre das Feuer/ das Sodoma und Gomorra übergienge/ und alle die Flüche/ die in der Torah geschriben stehen/ und daß mir auch der wahre Gott/ der Laub und Gras und alle Dinge geschaffen hat/ nimmermehr zu Hülffe noch zu statten komme in einigen meinen Sachen und Nöthen. Wo ich aber wahr und recht habe in dieser Sache/ so helffe mir der wahre Gott Adonay.

Sequitur jam probatio per testes expedienda, & primò quidem de 37
 Producente quærendum, an hic S. C. Testibus pro testimonio dicendo aliquid dare possit? Non hic quæstio est de alimentis, expensis itineris, pretio laboris, si testis, quem notabilem subierit, accedendo ex remoto loco; neque de æstimatione operarum, quibus se privat eundo, stando & redeundo; ad talia enim simul atque ad interesse lucri cessantis & damni emergentis in utroque foro sine dubio tenetur Producentis. *Vid. l. n. C. de Test. & Dn. Brunnem. ad eand. Fagundez. ad Decal. Tom. II. L. VIII. c. 42. n. 17.* sed hoc quæritur: an ultra sumptus hos aliquid solum pro testimonio dicendo dari possit? Quod nego, quia hoc modo Producentis se suspen- 38
 sum reddit. Qui enim pecuniam alteri solvit, ut faciat id, ad quod tenetur, vix sine suspitione solvit. Jam justæ leges Producenti jus tribuunt, 39
 ut à teste jure justitiæ testimonium exigere valeat; & in praxi quis ad dicendum testimonium multatâ etiam impositâ compelli potest. *Carpz. in Proc. tit. 13. art. 4. n. 95. Gail. L. I. obs. 100.* pecuniam igitur pro eo solvi opus non est. Id nihilominus si fiat, sine dubio Pars adversa ad factæ 40
 corruptionis suspiciones movetur, maximè tali in negotio ubi hæc facillè metuenda. Hæ suspiciones verò aut justæ sunt, & in rei veritate fundatæ, & sic manifestò constat, graviter peccare dantem pecunias, quod 41
 testium animos corrumpere, & mendaciis causam suam ornare intendit. Aut sunt falsæ, & sic peccat pars adversa suspicando contra leges charitatis, utpote quæ non cogitat malum. Qui verò contra charitatem peccat, peccat etiam contra justitiam, & per consequens mortaliter. Omne siquidem peccatum contra charitatem est peccatum contra legem, cum in præcepto charitatis pendeat universa lex & prophetæ. *Matth. 22. v. 39.* 40. quod verò est contra legem etiam est contra justitiam, & meretur mortem. Si igitur tantopere peccat de proximo suspicionem fovens, à 43
 peccatò quoque immunis non erit suspitioni huic causam præbens. Qui enim in culpa est, ut aliquid contingat, (ut alter peccet) ipse ejus rei causa efficiens esse censetur. Parum autem interest, quod culpam concernit,

- nit, siue quis directò tale quid operetur, unde malum oritur, siue occasi-
onem ei rei præbeat; nec extra culpam est, qui offendiculum ponit pro-
ximo suo, quique non amputat occasiones, quibus ille ad peccandum in-
44 citari queat. Et ad tale offendiculum præcisè non requiritur factum
per se & suâ naturâ malum, sed illud etiam sufficit, quod speciem quan-
dam mali conjunctam habet, quippe à quâ nos abstinere jubet S. Scriptu-
ra *1. Thessal. 5. v. 22.* Hinc & ille peccat, qui circa adiaphora & indifferen-
tia proximum offendit. Etsi enim, qui tale quid agit, eâ intentione il-
lud non faciat, ut fratrem præcipitet, quia tamen periculum est, & quan-
doque certò constat illum hinc offendi, omittenda potius est actio illa
indifferens, præsertim si nihil boni inde expectandum fuerit, nullaque
45 necessitasurgens adfit. Quapropter multo magis nostro casu pecuniz
solutio omittenda, cum vix ignarus esse possit solvens. Productum eo
ipso maximè offendi, & ad sinistrè suspicandum induci. Hucusque ar-
gumentis ferè Ziegleri *in Dicast. Concl. 13. §. 6. 7.* quibus d. l. Judicem se fu-
46 spectum reddentem peccati arguit. His addi posset, quod ex eodem
principio inter Moralistas pro concluso est: Pro quo faciens non potest
accipere pecuniam, pro eo faciendo nec mandans solvere potest. Pro
testimonio verò dicendo pecuniam à teste accipi non posse, tradit Fagun-
dez. *ad Decal. T. I. L. VIII. c. 42. n. 18.* Peccat E. qui pro testimonio di-
cendo aliquid solvit.
- 47 Pariter peccat, qui testi pretium solvit pro veritate, quam certò cau-
re sui adiutorio futuram esse novit, dicendâ. Indubia enim & hic ma-
net iuris civilis & naturalis regula: Quicquid datur pro bono eliciendo
48 ut quod sponte quis tenebatur, turpiter datur. Exemplum occurrit pla-
nè simile *in l. 2. §. 2. ff. de Cond. ob turp. vel injust. caus.* si Judici quid solvam,
ut pro me in justâ causâ sententiam dicat; ubi lex non solum conditi-
onem dati denegat, sed & insuper dantem litem perdere iudicat; quan-
quam & Judicem & testem id, quod ideò accepit in F. C. restituere te-
49 neri, Moralistæ communiter statuunt. Fagundez. *d. l. Lessius L. II. c. 14.*
Dub. 9. in specie quoad Judicem vid. Ziegler. *in alleg. sapius Dicast. Concl.*
50 *20. per tot.* Ex quibus infimul probo, Litigantem S. C. Judici nec pro
judicando, nec pro justè vel injustè iudicando, quid largiri posse, quia
ubique eadem militant rationes. Vid. Gabriel Alvarez de Velasco *in Ju-
dice perjur. lib. 9. annot. 12. n. 11.*
- 51 Quoad illum contra quem testes producuntur, hic dubius esse pos-
set, an teneatur in F. C. unius testis omni exceptione majoris testimonio
crede-

credere, eoque contra se deponente Producentis petito satisfacere? Idco sc. quòd contra charitatem esse videatur, de quoquam velle præsumere, quod verum non dixerit. Sed dubio huic faciliè satisfaciunt verba Laymanni in *Theol. Mor. L.III. Tr.V.c.2.n.4.* quæ responsi locò sunt: Valdè expediebat, inquit, bono communi ad impediendas hominum callidorum fraudes certam regulam statuere, quæ proinde omnium gentium consensu recepta est, ut neque in judiciali, neque conscientiæ foro, quisquam cum suo vel alterius præiudicio stare teneatur soli dicto sive asseverationi unius, quantumvis probatissimi & omni exceptione majoris, testis, sed minimum duorum constitutione opus sit: quia alioquin plurimæ fraudes & injuriæ contingerent, cum faciliè unus homo perverti possit, non autem æquè faciliè duo pervertuntur, citiusque in duobus, si non conformiter per omnia lequantur, falsitas se prodit, exemplo duorum senum in historiâ Sufannæ. Non igitur productus testi unico plenam probationem denegans fidei ejus vim infert, quando jure suo utitur. Dari tamen casus, in quibus unicus testis plenam fidem facit, non nego; eorumque 17. recenset Prosp. Farinacius de *Testib. L.II. qv.63. per tot.* sed illi speciales sunt, & plerumque eò collimant, si adversario nullum, aut leve, inde oritur præiudicium.

Eadem responsio decidet: non teneri Reum testem injuratum admittere, quod iterum svadere videbatur præsumptio, quæ pro quolibet est, illum non minus sine quàm cum juramento verum dicturum. Hæc enim præsumptio si pissimè veritati cedere cogitur, quæ affirmat, quod corrupto hòc seculo rara sit jurata, nedum simplex fides. Nedicam, quod juramenti testium remissio in criminalibus, matrimonialibus, aliisque quàm plurimis causis, quas recenset Brunn. *Proc. Civ. c.20. n.65.* non sit in Partium potestate, adeoq; nec Statuto introduci possit; quia, quicquid non potest induci pacto, nec potest induci Statuto. Brunn *Proc. Inquis. c.8. m.2.n.44.* ubi simul addit: privilegia Austriacæ ac Svecicæ Nobilitatis de non præstando juramento testium, de quibus Gail. *L.I. obs. 101. n.13.* de causis saltem Civilibus, non Criminalibus, intelligenda esse, ut quàm minimum à jure recedatur.

Porro licitum est Producto occulta testium crimina revelare, si faciant ad eos à testimonio arcendos, vel ad labefactandam eorum depositionem. Cum enim superius c.1. evictum cuivis privato concessum esse alterius crimina sine animi rancore & vindictæ cupiditate Magistratui denuntiare, non minus id licebit hoc casu ad sui defensionem. Quemad-

- modum tamen in moderamine inculpatæ tutelæ paritas armorum attendenda, sic in hac defensione, si testis aliâ ratione minus noxiâ, vel delicti alicujus levioris objectione, repelli possit, gravius f. capitale quoddam non est revelandum. Quamvis enim aliâs delictum alienum denuntiare nullum peccatum involvat, hîc tamen indicans, qui defensioni suæ aliter satisfacere potest, non tam Reip. interessê, prout debebat, observare videtur, quàm proprium; atque aliqualis vindictæ cupiditas subest, cum Testis delictum, quod aliâs non accusasset, idèd revelet, quòd contra se testimonium dicere voluerit. Sed quid si lenius remedium non suppetat? Distingvo cum Lessio de *J. & J. L. II. c. 31. Dub. 1.* aut coactus est à Judice ad dicendum testimonium, & tunc, si causa, de quâ testandum, non magni est momenti, contra charitatem foret testem mortis periculo subicere; aut proprio motu ad testimonium accessit, qualis videtur jure suo cedere, Productoque permittere, ut omni modo adversus eum se tueatur, cum non possit esse ignarus criminis à se commissi, scireque debeat, facile id in Producti notitiam pervenire potuisse. Non igitur queretur de injuriâ, qui quasi inuasor est, & eo ipso, quo testatur, spontè huic periculo se exposuit; quippe ad testandum offerre se non tenebatur, imò in praxi etiam se offerens testis suspectus est. *arg. l. 25. ff. de Procurat.* Attamen & hoc casu habeat animum necesse est ab omni vindictæ ardore alienum, suamque solùm defensionem & interesse publicum attendat.
- Ad hoc probandi genus spectant Interrogatoria, quæ Productus formare solet, ut testes super illis examinentur. Refert Mevius in *Dec. Wismar. P. IV. Dec. 270.* sæpius in Actis reperiri, imò serè in mores abuisse, ut Interrogatoriis his Partes diras & execrationes adversus Testes addant, eos ad veritatem arctius astringendi causâ, quales sunt: Ob Zeuge bey seiner Seelen Seligkeit/ ob so gewiß als das höllische Feuer er vermelden wolle/ ob/ dasern ihn der Teuffel nicht holen solle/ er es also wahr sagen könne/ &c. quæri igitur meretur, an Pars S. C. tales formulas adjicere possit? Quod simpliciter negandum. Præterquam enim quod diras illas execrabiles impiæque temeritatis speciem dicant Theologi, & de ejusmodi formulis jurandi, quod gravissimæ sint & scandalum generare soleant audientibus, maxime cavendum moneat Sanchez *ad Decal. Tom. II. L. 3. c. 2. n. 36.* aliq; Moralistæ, quos magno numero allegat Fagundez. *ad Decal. T. I. L. II. c. IV. n. 6. in fin.* taliter interrogatoria formans peccat contra secundum Decalogi præceptum, quod prohibet nomen DEI assumere in vanum. Quæ verba inter alias hanc involvunt significationem, ne

vel pro re inani & inutili, vel sine maximâ reverentiâ, & non nisi urgente necessitate juremus. Vid. Pagundez. *d. l. c. 1. n. 18. & 19.* In nostro 65
autem casu Productus juramento hâc execratorio utitur citra necessitam & abundantis cautelâ gratiâ, quippe cum jam antea speciali juramenti vinculo testes obstricti sint, se in omnibus vera dicturos. Insuper in- 66
juriam infert testi, eumque impietatis cujusdam arguere videtur, quasi aded immemor sit juramenti modo præstiti, ut his execrationibus, quas nulla lex, nullum Superioris Mandatum exigit, ad veritatem dicendam adigendus foret. Abstineat igitur Productus Interrogatoria formaturus 67
ab illis, si illâsam vult servare conscientiam. Recteque has formulas ab Interrogatoriis etiam in foro Civ. à Judice rejiciendas esse statuit, & rejectas fuisse præjudicio confirmat Mev. *d. Dec. 270.*

Ultimo jam loco ad probationes per instrumenta devenimus, quam parum diversi à F. C. forum soli habeat. Maximè hoc notandum, quòd probaturus per instrumenta Conscientiæ suæ benè consulit, si cum ipso sit atim Libello instrumenta, ex quibus jus suum deducere conatur, exhibeat, eorumque Copiam, cum Originali per judicii Protonotarium collatam, Reo simul cum Citatione & Libello transmitti curet, ut hic eò meliùs instrui possit, an cedere vel contendere debeat, & si aliquid in factò habeat v. g. quòd instrumenta vel sigilla sint falsa, aut producens ea non rectè acquisiverit; illud in continenti unâ cum exceptionibus, Replicis vel Duplicis opponat, ne litigaturiens duplici processu & inutilibus sumptibus oneretur; prout hoc remedium *ex aut. Discurs. vom Justitiens Werck* p. 27. 28. allegat Winther *in Partben. litig. P. II. L. II. c. 13. num. 19.* Quod ipsum etiam injunctum est *in Rec. Nov. §. beyneben bleibt einem* 69
ieden &c. & in Electorata Saxon. utiliter constitutum, ut intra terminum probatorium documenta producantur sub pœnâ præclusi. Carpzov. *in Proc. tit. 14. Art. 1. n. 2.*

Deinde taliter probaturus sedulò caveat, ne pro obtinendâ victoriâ 70
falsa instrumenta componat, dicitet, in mundum redigat, aut Instrumenta, Registra, Rationes, Acta, Libellos, Cautiones, Chirographa, Epistolas scienter & in fraudem alterius lædat, corrumpat, mutet, adjiciat, demat, radat, deleat, falsò subscribat, falsa sigilla appendat; aliudve faciat, quò rei veritas non appareat; quæ delicta prohibita sunt *in l. 1. 2. 16. 23. 26. ff. ad L. Corn. de Fals.* & omninò mendacium, peccatum gravissimum, involvunt, eòq; magis vitanda in F. C. quò certior in hoc veritas, quæ in foro soli non semper dignoscitur.

- 71 Denique, cum hunc probandi modum sapius editio instrumentorum præcedat, hoc adhuc subjiciendum est, quousque Reus in F. C. ad editionem hanc obstrictus sit? in Foro civili quidem Actor Reo petenti omnia instrumenta, etiam quibus ipse usurus non est, ad fundandam exceptionem suam edere tenetur. *per l. 5. C. de Edend. quæ ad rationes solum non est restringenda. Dn. Brunnem. Comm. Cod. ad d. l. Carpzov. in Proc. tit. XIV. art. 4. n. 23.* Reus verò regulariter ea saltem instrumenta edere obligatus est, quibus uti vult in judicio. *l. 4. C. de Edend. cujus tamen aliquot dantur exceptiones, quas suppeditat Brun. in Repetit. Paratitl We-*
- 72 *senb. L. II. tit. 13. qv. 25. Carpz. d. l. n. 27 seqq.* In Foro Conf. Reus obligatus est instrumenta, etiam non communia, quibusq; ipse usurus non est, edere, quoties de lucro captando, alter v. de damno vitando agit. Nequaquam enim illa sam servare potest conscientiam, qui damno alterius
- 73 lucrum captare nititur. *Brunnem. in Proc. c. 19. n. 25.* Porrò quoties ex instrumento illo, quod apud se detinet & edere recusat, colligere potest, Actoris petitionem esse justam, & facile ex dicto instrumento probandam, id pariter edere tenetur. Cum enim vi dictaminis Conscientiæ petitioni tam certæ statim sine ullâ judiciali disceptatione satisfacere teneatur, multo magis ad instituendam probationem instrumentum illud edere obli-
- 74 gatur, ne duplici peccato se contamineat. Quod si verò jus Actoris aliquo modo fundatum esse posse ex instrumento animadvertat, non quidem quoad totam causam Actori cedere, instrumentum tamen edere tenetur. Eo ipso enim jam de jure suo dubitare incipit, cui dubio excutiendo multum confert, si instrumentum edat & Actorem inde jus suum deducere jubeat. Hoc verò si recuset Reus, periculo peccandi, &
- 75 aliena detinendi se exponit. *Vid. Lessius L. II. c. 6. Dub. 3. n. 12. in fin.* Eo igitur casu excusatum ipsum ab editione haberem, si jus actoris in instrumento isto planè non fundari videat. Sic enim, cum de jure suo secum certus sit, ulteriori deductione opus non habet, sed beneficiis sibi concessis uti potest. Alias edendo ipsum se damno afficeret, & prolixo processui implicaret, qui negatâ editione, & sic actore nihil probante, absolvitur.
- 76 Probationibus ita legitime peractis plerumque ad Conclusionem in causâ proceditur. Si tamen per Testes probatum, hanc Disputatio Attestatorum præcedit, in quâ Productus primò per scriptum Exceptionis (Exceptions-Schrifft) personas testium impugnat, dicta eorum obscura, contraria, vel varia adducit, & intentionem Producentis per testes probatam

batam non esse diducit. Huic Producens opponit Scriptum Salvationis (Salvations-Schrift) quo dicta testium salvat, atque ad propositum suum applicat, & ita consequenter. Quamvis autem multi, inter quos Rutger. Rulandus *de Commiss. P. I. L. 6. c. 3.* Ant. Faber *in Cod. L. IX. tit. 28. Def. 33.* allegati à Carpz. *P. I. C. 18. D. I.* utilius fore existiment, absque ulla disputatione Attestationes testium publicatas Judicis cognitioni statim subijcere, illasâ tamen conscientia Pars eandem adhibere poterit, modò eâ malitiosè non abutatur, & altercationibus ac disputationibus non necessariis multum temporis consumat, & litigia extendat. Disputatio enim hæc suâ neutiquam destituitur utilitate, nec propter intervenientem aliquando abusum totius rei usus tollendus erit. Post finitum tandem Attestatorum examen, & absolutam probationem Partes in causâ concludunt, atque ad sententiam submitunt, de qua

CAPUT V.

De

Conscientia Partium quoad Sententiam, ejus Impugnationem & Executionem,

S U M M A R I A.

Cautela si sententia ferenda à Facult. Jurid. num. 2.
 An semper S. C. sententiam expectare liceat antequam fiat Satisfactio? n. 3. seqq.
 Morosus debitor peccat. n. 4. 5.
 Si tempus solutioni adjectum ea adjecto tempore fieri debet. n. 4.
 Eo non adjecto petitio Creditoris expectari potest. n. 6.
 Ex delicto restitutio statim fieri debet. n. 7.

Pœna conventionalis ante condemnationem Judicis solvenda. n. 9. seqq.
 Non item pœna legibus imposita. numer. 13.
 Ampliatur decisio. n. 16. seqq.
 An condemnatus sententiam justam in se ipso exequi debeat? numer. 23. seqq.
 An quis pœnam capitalem in se ipso exequi S. C. possit? n. 26. seqq.
 Japonensium supplicium culpatur. numer. 27.

H 3

Quid,

*Quid, si executionem hanc precipiat
Judez, obtimeat? n. 29.*

*An Reo justè condemnato liceat ex car-
cere aufugere? n. 30. seqq.*

Cur carcer adhibeatur? n. 30.

Objectiones diluuntur. n. 37. seqq.

*Quid injustè ad carceres condemnato
liceat? n. 42. seqq.*

*Leges in presumptione fundata non
obligant in F. C. n. 45.*

*Res judicata sola non salvat conscien-
tiam. n. 47. seqq.*

*Cur res judicata tantum possit in foro
externo? n. 49.*

*Sententia injusta non obligat in F. C.
n. 50. seqq.*

Objectiones diluuntur. n. 56. 57.

Sententia injusta quocumplex? n. 58.

*Sententia ex falsis actis & probatis la-
ta quomodo obliget? n. 59.*

*Sententia formaliter injusta quomodo
obliget? n. 64. 65. 66.*

*Quid, si talis sententia capitalis fuerit,
obtimeat? n. 67.*

*Remedia juris contra sententiam ad-
hibere licitum, n. 73.*

*Frivole appellans graviter peccat. n.
74. seqq.*

*De quibus gravaminibus appellare li-
ceat? n. 78.*

*An si Appellationi juramento renunti-
atum? n. 79. seqq.*

*An, qui juravit se aliud testamentum
non conditurum, aliud condere pos-
sit? n. 83.*

*Cetera remedia enumerantur. nu-
mer. 87.*

*Quomodo executio fieri debeat? nu-
mer. 88.*

*An, si hac non fiat legitimo modo, re-
sistere liceat? n. 89.*

*An alterum ad saccum & peram. S. C.
excutere liceat? n. 92.*

Quousq; se quis obligare possit? n. 94.

- 1 **S**ententia fertur vel à Judice, coram quo causa hactenus ventilata, vel instantibus Partibus ad extraneum Judicem s. Facultatem aliquam Juridicam Acta transmittuntur, quò casu Parti non solum permissum certas Facultates Juridicas eximere, modò id sine dolo & ad sui defensionem faciat. Vid. Dn Brunnem. *Proc. Civ. c. 27. n. 6.* sed & cùm Facultas Juridica, si semel Informationem Parti alicui in illà causà dederit, non facilè à Responso suo recedere solet, consultum Parti adversæ est, ut à Judice petat literis ad Facultatem dandis hanc inseri Clausulam: *Solte aber ein Theil bereits in dieser Sache daselbst sich haben informiren lassen, so wollen die Herren die Acta ohn Abfassung einiger Urthel auff des beschweigenden Theils Unkosten zurucke senden; qvamvis eam sæpius Judex ex officio adjiciat.* Vid. Dn. Brunn. *Proc. Inquis. c. 8. membr. 4. num. 10.*

Sen-

Sententiam istam in Foro Externo impunè expectare licet, & poss³ cam latam differre satisfacionem Adversario debitam, quoties litem suscipere licet; quamvis ante tempus ferendæ sententiæ satis appareat jus ipsius certum esse & liquidum. In foro autem interno ab eo statim momento, quo de jure alterius constat, distingvendum: Aut agitur ad rem, aut ad pœnam. Quoad rem præstandam, sententia nunquam expectanda; Res enim petitur vel ex Contractu, vel ex delicto. Si ex Contractu, adjectum Solutionis tempus sine ullâ præviâ monitione observandum, quia dies interpellat pro homine. *l. Magnam 12. C. de contrab. stipulat. eodq̄ tempore si Debitor culpâ suâ non solvit, cum solvere possit, in morâ est, & peccat mortaliter, quia mora hæc injuriam infert & detrimentosa est Creditori.* Fagundez. *ad Decalog. T. II L. VII. c. 24. n. 1.* Laymann. *Theol. Mor. T. I. L. III. Tr. 2. c. 10. n. 1.* Hinc, quò longior mora, eò major insurgit solvendi obligatio, & eò gravior injuria; adeò, ut si ex hac morâ novum damnum oriatur Creditori, vel lucrum & interesse cesset, hoc etiam præter Capitale restituendum esse censeat Fagundez. *d. l. n. 14.* quia propter injustam solvendi dilationem horum omnium damnorum in ipsa causa fuit debitor, qui verò alteri est injusta causa damni, tenetur illud restituere in Conscientiâ ante ullam Judicis sententiam. Quod si tempus solutionis Contractui non adjectum, neque expressè, neque tacitè, Debitor quidem sententiam Judicis expectare non debet, ante tamen petitionem Creditoris nec solvere tenetur; antea enim non est in morâ, cum Creditor semper præstationem rei tamdiu distulisse censeatur, & quasi tacitè sic conventum videatur, ut Debitor ad solvendum prius non obligetur, quam Creditor exegerit. Valerius *voc. Debitum Diff. 3.* Fagundez. *d. l. n. 2.* Laymann. *d. l. Molina de 7. & 7. Tom. II. Disp. 564.* Multò autem minus sententia expectari poterit, si propter delictum restitutio vel satisfactio urgeatur, hæc enim statim, quantum possibile, fieri debet. *Ratio;* Quia in præcepto restituendi affirmativo continetur etiam negativum non retinendi, idè pariter ac rem auferre invito Domino, ita quoq̄ve retinere eandem invito Domino, est mortale peccatum; retinere rem furtivam enim idem est ac continuare furtum. *L. 6. C. de furt. furtum verò seu peccatum continuare est semper quasi de novo furari & peccare.* Fagundez. *ad Decalog. d. l. n. 5.* Laymann. *d. l. n. 2.* hinc illud superius ad delicta committenda restitimus. Si igitur non restituens retinendo æquè ac furando peccat; nullam Judicis sententiam expectet, sed rem eò restituat citius, quò citius ab injusta retentionis peccato liberari cupit.

Pœnam

- Pœnam quod attinet, ea iterum distingvenda in Conventionalem, & Legalem s. Judiciale[m]. Pœnam Conventionalem ante condemnationem Judicis non deberi, statuere videntur Lessius *L. II. c. 20. Dub. 15.* & Fagundez. *T. II. L. VI. c. 7. n. 11. in fin.* sed ab his, si ita statuunt, dissentire nobis liceat. Si enim qui ex Contractu obligatus est, etiam ante condemnationem ad solvendum tenetur, idem de pœna conventionali affirmandum; siquidem & hæc jure contractus & vi conventionis debetur, mensque contrahentium fuisse videtur, ut ipso jure transgressor ad pœnam teneatur. Laym. *Theol. Mor. T. I. L. L. Tr. 4. c. 15. n. 7.* Andr. à Marré *DEI Tr. XI. cap. 2. punct. 3. §. 2. n. 66.* sub eâ saltem conditione, si petatur; partim quia nullum solutionis faciendæ tempus adjicitur, partim, quia, quando non petitur, conficitur. Creditor consentire, ut sibi, licet alioquin debita, non solvatur quoties tamen dubium est an debeat, nec ne, consensio non teneri quæquam ante Judicis sententiam eam solvere. Rebellus *de oblig. Just. P. II. L. VIII. qu. 9. num. 6.* Vid. Valerius *Differ. urr. for. voc. Pœna. Diff. 2. n. 2.* Hoc certius inter Dd. Moralium determinatum est: Ad pœnam legibus impositam neminem obligari, nisi per condemnationem Judicis. Diana *Resolut. Moral. Tom. I. Tr. V. Resol. 63. n. 3.* Valerius *d. l. n. 1.* Laymann. *d. l. n. 3.* Svarez *de LL. L. V. c. 5.* Lex enim pœnalis arbitrium Judicis nunquam excludit, quippe quod plerumq[ue] expressè requirit, vel, si omittat, ad minimum tacitè subintelligit, ut sententia pœnæ inflictionem præcedat, cum minima quoq[ue] circumstantia movere Judicem possit, ne in pœna infrendâ strictum jus sequatur. Covarruv. *de Matrim. P. II. c. 6. §. 8. n. 12.* Soto *de J. & J. L. I. qu. 6. art. 6.* Nec credendum est, Legislatorem ita subditos gravare velle, ut eos inauditos ante judiciale[m] cognitionem sententiamque Judicis saltem criminis declaratoriam, ad pœnam in F. C. obligare intendat. Gabriel Alvarez de Velasco *in Jud. perf. Rubr. 9. annot. 12. §. 3. n. 8. 10.* Cui accedit, quod pœnalia strictè sint interpretanda, & in benigniorem partem accipienda. *l. 155. §. 3. ff. de R. J.* Vid. Barbosa *in Theol. locupl. L. XIV. c. 41. axiom. 43. 44.* Hinc statuit Valerius *d. l. Differ. 20. n. 3.* quoad Forum Consc. nihil interesse, an quis privetur bonis ipso jure, an privandus veniat per sententiam; & Lessius *L. II. c. 29. Dub. 8.* *pr.* hanc format questionem: Utrum leges humane, quæ statuunt privationem vel beneficii vel officii, aut bonorum confiscationem, eam vim habeant, ut commissio crimine beneficium statim vacet, & bona ad Fiscum pertineant, ita ut Reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam? eamq[ue] negat, etiamsi lex dicat *ipso facto sui privatus*; imò quamvis addatur:

absq[ue]

absq; aliâ declaratione: hanc enim clausulam intelligendam esse nojat de declaratione pœnam esse incurfam, non de illâ, quâ declaratur crimen tale esse commissum; hancque expositionem usu confirmatam tradit, cui plurimis autoritatibus allegatis ad stipulatur de Valasco *d.l.n.9. & 15.* Effectum autem tali legi pœnali hunc tribuit, ut delinquens statim amittat titulum ipsum, ita ut non sit amplius Dominus beneficii, & post latam sententiam executio ad tempus commissi criminis retrahatur, retineat tamen interim possessionem, quâ privari non possit, nisi causâ cognitâ. *Vid. iterum de Valasco d.l.n.47.* Limitat tamen ipse hanc suam decisionem, si de aliâ Legislatoris mente aperte constet, ut, si addat: *teneri in conscientia dimittere, vel non posse absolvi, nisi dimittat, vel beneficium eo ipso vacare, ut alteri liberè conferri possit;* quod admittit, si crimen tale in omnibus circumstantiis expressis certò commissum, secus si de hoc dubitetur, tunc enim iterum sententiâ declaratoriâ opus erit. Inde patet, quid de opinione Andr. à Matre Dei *Tr. XI. c. 2. punct. 3. §. 2. n. 56.* statuendum: ubi distingvit inter pœnam levem & gravem; in hac nobiscum sentit, in illâ verò sententiam expectari non posse tradit. Sed non video diversitatis rationem. Sententia enim ideo non expectatur, quòd executio pœnæ gravis in se ipso difficilis; sed ideo, ut per sententiam declaratoriam certò constet, an crimen illud commissum præcisè tale sit, quali per legem pœna imposita.

Huic autem sententiæ, postquam lata fuerit, si justa sit, condemnatus obedientiam præstare tenetur, imò eandem interdum per se ipsum exequi, non expectatâ executione Judicis, maximè si pœna levior sit, v. g. pecuniaria, confiscatio bonorum, & similis; lata enim sententia, cum obligationem ad pœnam inferat, tali effectu planè destituta esse non poterit, cum præcipiat justa & facillè possibilia; eum tamen hîc suppono casum, si nulla remissionis spes supersit, quamdiu enim hæc speratur, differre executionem, donec illa injungatur, salvâ potest conscientia. Dictatâ pœnâ graviori, vel corporis afflictivâ, non putarem ipsum in Conscientia obligatum esse ad illam sine Judicis executione subeundam, sed excusatum haberem, si Executori non resisteret, & eum spontè sequeretur. Amoris enim, quem nobis debemus, teneritudo non permittit facillè, ut molestum aliquod in proprium corpus decernamus, cum molestum omne per naturam aversemur & sedulo fugiamus: nec interest quicquam Reip. hoc casu, an ipsi pœnam subeamus, an executionem expectemus, modò

- 26 patienter huic nos subijciamus. Quòd si verò pœna per sententiam imposita planè sit capitalis, vel huic ferè similis, Condemnatus non solum non tenetur, sed nec S. C. potest eam in se ipso exequi. Hòc enim modo instrumentum nimis activum se praberet ad propriæ naturæ everisionem, quod certè est contra naturam, quæ mortem tanquam molestorum molestissimum omninò expectare jubet, non sibi ipsi inferre. Vid. Excel-
- 27 lentissimus Dn. D. Becmannus in *Medic. Polit. Dissert. XV. §. 3.* ubi simul frequentissimum illud Japanensium supplicium, quò Rei propriis manibus ventris sui sectionem administrant, improbat, & in seqq. subjicit, pe-
- 28 care etiam Reum, qui supplicium sibi accelerat, v. g. si suspendendus jam laqueo vincus ipse de scalâ defiliat, non expectatâ manu carnificis: illum verò excusandum putat, qui scalas paribuli spontè ascendit, propterea, cum factum prioris mortem necessariò inferat, ex posterioris autem facto mors necessariò non sequatur, sed id saltem juvet ad evitandam majorem molestiam, quæ metuenda erat, ne scil. ad scalas per vim raptus dolorem sentiret. Vide de hac materia Laymann. *Theol. Mor. Tom. I. L. I. Tract. 4. c. 15. num. 7. 8. 9.* Andr. à Matre Dei *Tr. XI. c. 2. punct. 3. §. 3. per*
- 29 *tot.* Sed, quid si Judex hanc executionem in se ipsum præcipiat, numne huic mandanti parendum? Respondeo verbis Fagundez. *ad Decal. L. V. c. 12. n. 12.* non est potestas vaga Judici statuendi hâc in parte pro lubitu, aut imperandi actum, qui quodammodò supra naturæ vires est; præsertim, cum hæc potestas Judicis in vitam alterius non ex jure dominij fluat, sed ad proportionem delicti restricta sit. Proinde sicut aliàs Judici non legitime præcipienti non obtemperandum, sic & hòc casu obedientia S. C. ipsi denegari potest.
- 30 Hic loci Moraliùm Dd. tractare solent quæstionem: An ad evitandam pœnam Reo liceat ex carcere effugere? Et distingvunt: Aut carcer adhibetur in pœnam, aut ob custodiam; hunc principaliorẽ ejus finem esse, docet *l. 8. §. 9. ff. de pœn. §. l. 1. C. de Custod. Reorum.* non minus tamen & pœnæ locò haberi Const. Carolin. *Crim. art. 57.* & Carpzov. *Prax. Crim. P. III. qu. III. n. 63. & 64.* testatur. Si pœnæ locò dicitur carcer, statuunt Lessius *L. II. c. 31. Dub. 5.* Zoel. *ad ff. tit. de custod. & exhib. Reorum §. 25.*
- 31 fugere posse incarceratum, si pœna carceris sit perpetua. Idem licere volunt, si carcer ad custodiam adhibeatur, per sententiam tamen latam morti reus sit adjudicatus. Vid. Valerius *voc. Defensio Diff. 9. & 10.* Ego
- 32 verò eum nunquam S. C. fugere posse puto. Si enim pœna carceris tem-
- 33 pora-

poraria, fugam licitam non esse ipsi largiuntur, nosque modò allegavi-
 mus Superiori justa & possibilia præcipienti obtemperandum esse. Si pœ- 34
 na carceris perpetua, idem obtinere affirmo. Hæc enim pœna eandem
 conditionem habet, ut alterius quàm puri executione minimè indigeat,
 isqve damnatus censeatur ad eam propriâ cooperatione subeundam, &
 idè eam subire tenetur in animæ judicio, inquit Covarruv. *Var. Resolut.*
L. l. c. 2. num. 14. quod ita intelligo, primò, ut ministrum Judicis in car- 35
 cerem ducturum spontè sequatur, & deinde, cum semel in carcerem
 conjectus fuerit, inde non aufugiat, non verò ut teneatur solus & proprio
 motu intrare carcerem. Pariter nec propter custodiam incarcerato & 36
 capitis per sententiam damnato ante executionem fuga permessa. Sen-
 tentia enim Judicis condemnantis, quæ ipsum ad pœnam sustinendam,
 licet non in se exequendam, obligat, tacitè vult, ut ex carcere non au-
 fugiat, quo effectum habere possit, nam sine expresso simul continentur
 media ad finem ducentia. Objiciunt dissentientes: Tantum juris es- 37
 se ad vitæ conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad
 eam non conservandam, si ipse adsit. Resp. de vita innocentis con-
 cedo; de vita verò nocentis, qui per delictum mortem promeritus est,
 Reipublicæque læsæ aliter quàm sanguine suo satisfacere nequit, ut hõc
 casu, nego. Insunt: Præceptum hoc esse nimis difficile & quodam 38
 modò superans humanam conditionem. Rursus nego: Quamvis
 enim videatur valdè repugnare vitæ conservandæ studio, ad quod quis
 naturaliter fertur; hoc studium tamen jam nimis serum est, cui incum-
 bendum fuisset ante delictum commissum, jam verò sibi imputet, quod
 in tantum periculum se conjecerit. Deinde adeò difficile non erit hoc
 præceptum homini Christiano, qui de crimine patrato seriam agit pœni-
 tentiam, & majorem animæ quàm vitæ rationem habet, hic profectò fa-
 tisfacere legibus, & tranquillare conscientiam discupiet meritam mortem
 patièdo, prout exempla sæpius demonstrant. Urgent ulterius:
 Reum non idè in carcerem conjectum fuisse, ut sponte ibi maneat, sed
 ut detineatur. Iterum nego: Includuntur quidem delinquentes car- 39
 ceri, ut manere cogantur & discedere nequeant; sed hoc ob malitiam
 hominum conscientiam parum curantium, cum aliàs paucissimi digno
 supplicio afficerentur; non ergo fuga licita erit: sic & tortura adhibetur
 ad confessionem Rei eliciendam, ergone Reus ante non tenebitur Judici
 delictum confiteri, sed S. C. torturam expectare poterit? Quare firma 40
 stat

stat sententia: Reum incarceratum nunquam fugere posse, nec ante sententiam latam; Non enim potest non ipsi cognita esse Judicis voluntas, ut maneat & sententiam expectet. Nam eo remedio coactivo contra ipsum nunquam uteretur, nisi ejus presentiam desideraret. Huic autem obtemperare tenetur, cum, ut dicit D. Thomas *L. II. c. 2. qv. 104. art. 2.* quacunque ratione constet subdito de voluntate Superioris sufficiat ad
 41 preceptum. Et tandem, si Citatus etiam ob delictum commissum capitale comparere tenetur, quod omnino asserendum, quid juvabit fuga, a qua per citationem iteratam revocari potest?

42 Dicta hæc de sententiâ justâ intelligenda. At verò sententiâ injustâ latâ, quæ non ex falsis Actis & Probatis, sed ob non servatum juris ordinem, vel Judicem affectibus præpeditum injusta est, si mihi mortem importet, nec regressus ad Superiorem, nec alia effugiendi occasio detur, non solum carcerem effringere, sed & custodes de innocentia mea admonitos, si hanc audire meque dimittere nolint, S. C. interficere licet, quod de custodibus injustitiæ consciis saltem admittit Diana *Resolut. Mor. Tom. VIII. Tr. V. Resol. 45. n. 2.* Lederer verò de *Jure belli priv. L. II. c. 11.*

43 §. 4. & 5. etiam in reliquis decisionem obtinere statuit. Insignis quippe defensionis favor, secura innocentis sanctitas, & peculiare insuper necessitatis, legum cancellis se coarctari non admittentis, privilegium militat pro injustè & citra culpam incarceratis. Videtur quidem injuria fieri custodi innocenti; sed custos hic Judicis injusti minister est: si igitur Judici resistere licet, idem quoque adversus custodem naturæ jus vitæ conservationem injungens concessit. Et, cum in omni negotio morali intentio & voluntas præcipuè attendenda, hinc patebit, resistantiam hæc & occisionem non ad nocumentum alteri inferendum, sed à se propellendum, directum esse. Generalitas igitur legum moderamen inculpatæ tutelæ approbantium, ob rationis identitatem hinc quoque locum inveniet. Tandem si injuriam aliquam experitur custos, eam non Rep justè resistenti, & ordinatæ charitatis leges observanti, sed Judici, ipsum in hoc periculum conjicienti, à quo summus olim Judex duram exiget pœnam, imputabit; aliàs enim injusta Judicum improborum mandata, simplicibus ministris imposita, in infontis detrimentum sæpissimè redundarent. Vid. Lederer. *d. l. ubi contrariis argumentis satisfacit.*

Sed

Sed dum ad Sententiam injustam dilapsi sumus, consideranda pau- 45
 lō exactius ejus obligatio; cui considerationi tamen in genere præmitti-
 mus: Nullas leges in præsumptione fundatas obligare in F. C. quando
 præsumptio fallit, seu quando præsumptioni deest veritas. **Ratio:** Nam
 vel illud, quod lex præcipit, revera est illicitum, & contra jus divinum,
 licitum tamen præsumitur à jure, aut ad minimum illicitum probari non
 potest; vel est licitum. Priori casu res clara est, non obligare legem,
 quia rerum turpium nulla est obligatio, eaque nos facere non posse cre-
 dendum est. *l. 15. ff. de Condit. Institut.* Nec ideo lex præcipiens peccat,
 quia aliud præsumit; ego verò obtemperando peccarem, quia in veri-
 tate aliter se habere novi. Posteriori casu, si id, quod lex, falsæ tamen 46
 præsumptioni innixa, præcipit, licitum est, nihilominus patet, quod lex
 non intendat obligare, quando fallit præsumptio, eò, quod secundum
 rectam rationem veritas debeat præsumptioni falsæ præferri. *Vid. de*
hac materiâ Andr. à Matre Dei Theol. Mor. Tr. XI. c. 2. punct. 4. ubi exem-
 pla adducit. *Joseph. Giballinus Scient. Canon. & Hieropol. Tom. I. L. IV. c. 8.*
qv. 6. §. 2. multisque regulam hanc autoritatibus firmat *Gabr. Alvarez de*
Velasco in Judic. perf. Rubr. 7. annot. 5. num. 23. Autoritas igitur rei judi- 47
 cata sola & per se nunquam securam reddit Victoris Conscientiam, nisi
 veritate sit stipata. Hinc agit quis ex instrumento super mutuo facto post 48
 biennium, reus negat pecuniam fuisse numeratam, id verò probare ne-
 quit, actor quidem scit, sed nihilominus fundat se in instrumento, pro
 quo est præsumptio; Reus succumbit, sententia transit in rem judica-
 tam; non blandiatur sibi actor, ob autoritatem rei judicatae se in consci-
 entia tutum esse, qui cum alieno damno vult locupletari. *Molina de F.*
& J. Tr. II. Disp. 302. n. 12. *Vid. Dn. Brunnem. Proc. Civ. c. 1. num. 9. seqq.*
à Matre Dei d. l. Quod enim in foro exteriori, si non appelletur, post 49
 decendum sententia, etiam injusta, sapius transit in rem judicatam, pa-
 ratamque secum affert executionem, ideò fit, quia veritas in hoc non
 ubique certa, proinde præsumptionibus aliquando standum. Præsu-
 mendum autem omninò semper pro sententiæ justitiâ, quam ipse quoque
 Reus, dum statuto tempore non appellat, agnoscere videtur, & hinc
 propter bonum publicum, ut litibus tandem finis imponatur, post
 elapsum decendum ulterior causæ discussio non admittenda. Jam, 50
 cum in foro interiori veritas certa nunquam non haberi possit, ideo-
 que nullus præsumptioni relinqvatur locus, in hoc sententia injusta non

obligat, nec timenda, nec observanda, nisi, ne Reip. utilitas planè sepo-
natur, scandalì vitandì ratio aliud exigat. Laymann. *Tom. I. L. I. Tr. 5.*
part. 1. c. 6. num. 2.

- 51 Quòd proluxius ita probo: Sententià est veluti lex quædam alicui
privatim imposita; quemadmodum igitur lex non obligat, quando ex
ejus observatione sequeretur id, quod est contrarium fini legis, sic, cum
finis sententiæ sit, ut suum cuique tribuatur, nec iniusta sententià obliga-
bit, eò quod ex observatione ejus contrarium fini huic evenit, quam ra-
tionem affert Lessius *de J. & J. L. II. c. 31. Dub. 4.* Deinde sententià ini-
52 justa & iniqva nullo modo tollere potest obligationem naturalem.
Peckius *ad c. que contra jus 63. Lib. 6. n. 7.* allegatus à Dn Brunnem. *ad*
l. 60. ff. de Cond. indeb. prout ipse Ictus Paulus fatetur, verum debitorem,
quamvis sententiã Judicis absolutus fuerit, si tamen solverit, repetere
non posse, licet enim absolutus sit, inquit, naturã tamen debitor manet.
53 *d. l. 60. ff. de Cond. indeb.* multò minus sententiã Condemnatoriã iniquã
obligationem naturalem inducere poterit, quia hæc facilius tollitur quàm
inducitur, iuraque procliviora sunt ad liberandum quàm ad obligandum
I. Arrianus *47. ff. de Obl. & AE.* Judex quippe nihil potestatis habet in
naturale jus, nec in conscientiam hominis, ut vel ex illo quid mutare;
54 vel hanc salvam reddere possit. Inde fluit: Eum qui sententiã conde-
mnatoriã injustã aliquã re privatus est, vel ad aliquid præstandum conde-
mnatus, non teneri in conscientia ad solutionem, & per consequens,
55 Victorem illã sententiã uti non posse; & vice versa: Eum, qui sententiã
condemnatoriã injustã absolutus est, nihilominus ad solutionem teneri, Vi-
ctumque S. C. rem petitã denuò petere posse. Cum enim semper pri-
or obligatio salva remaneat, & victus idem jus, quod antea habebat,
adhuc dum habeat, sententiæque hæc quasi non lata nihil operetur, pri-
56 stino jure suo S. C. utetur, ne cuiquam faciet injuriã. Videtur quidem
quem jus saltem præsumit, non verus est. Hic autem repetendum in
F. C. præsumptiones non attendi; hinc si victori constet, victum non
sententiã confirmandi, vel id, quod per eam omiserat, donandi animo,
sed molitias litis evitandì causa (quod citius credendum erat, cum nec
renunciatio juris, nec donandi animus unquam præsumendus) Appella-
tionem omiserit, non proderit ipsi præsumptus ille consensus, quem
veri-

veritas elidit, nec tutam reddet ejus conscientiam. Valerius *Differ. utr. for. voce Sententia Differ. 3.* Sed, quid si Victus sponte offerat Victori id, 57
in quod condemnatus erat? Respondet Valerius *d. l. nec tunc illarsâ conscientia oblatum accipi posse, nisi ex libera voluntate offeratur.* Exploret igitur animum offerentis Victor, an ex liberalitate, an coactus ad redimendas vexationes prolixioris litis obtulerit.

Est autem Sententia injusta, talia vel materialiter, ex falsis Actis & 58
probatis, vel formaliter, lata per injustitiam Judicis, vel contra jus, vel juris ordine non servato. Illam in foro exteriori nullam esse dicit Sebast. Vantius *de nullit. sentent. tit. de nullit. ex def. proc. n. 129.* & generaliter ex 59
falsâ causa latam sententiam non valere, affirmat *Mcv. P. III. Dec. 104.* modò semper tria illa requisita adsint, quæ habentur *101. tit. Cod. si ex fals. Instrum. l. testim. judic. sit.* eaque breviter explicat Dn. Brunnem. *ad d. tit. pr.* Quoad Nullitatem ipsam cõsentiant Dd. Alii statuant, sententiam illam ipso jure nullam, alii per Restitutionem in integrum rescindendam. *l. 33. ff. de Re judic.* hancque opinionem communiorum esse multis autoritatibus testatur Dn. Brunn. *Com. Cod. ad l. 2. d. 1.* Quicquid sit, 61
in F. C. sententiam istam consideramus vel ratione Partium inter se, vel ratione Partis condemnatæ in respectu ad Judicem. Priori casu existimamus, Sententiam ex falsis Actis & Probatis latam, quamvis hæc ob ces-
santem sapius falsitatis probationem in foro Exteriori obtineat, Partes in F. C. nunquam vel salvare, vel obligare; Præsumptio enim illa, quæ in Foro Soli pro Actis & Probatis militat, donec contrarium probetur, in F. C. semper cessat. Valerius *voc. Sententia Differ. 3. n. 1.* Quoad casum ve- 62
rò posteriore Sententia ista Judici tantum tribuit, ut eam S. C. executioni mandare possit; Partem condemnatam ad eò stringit, ut huic executioni S. C. resistere nequeat, quamvis inde damnum imminet irreparabile. Judicem enim leges secundum Acta, & probata judicare jubent, quod, quamvis præsumptivè jubeant, veritas tamen alia Judici non patescit, quippe qui dolum falsâ probatione uentis penetrare nequit, & quantum in ipso est, justè judicat, atque per consequens justè exequitur. Si igitur hæc executio Judicis est justa, resistitiam partis condemnatæ est 63
injusta, quemadmodum, quoties offensio iusta, defensio injusta. Insuper de jure procedenti de facto nunquam resistendum. Sententia formaliter 64
injusta, sive per fordes *l. 7. C. quand. provoc. non est necess.* sive contra jus certum in thesi lata, ipso jure nulla est. *l. 2. C. d. 1.* Ideoque nec in F. C. vel

65 vel Partium conscientiam salvat, vel Judici ullum jus tribuit. Hinc paratam executionem semper non habebit, & Pars, si nullum juris remedium suppetat. Menochius *Recuper. pass. remed. 1. n. 311.* eadem, ne in effectum deducatur, facti viâ obviam ire poterit. Judici enim de facto procedenti de facto potest resisti, hâc autem Judex de facto procedit, dum sententiam, quam nullo jure exequi potest, exequitur. Hâc tamen resistentia intra terminos defensionis manere, & factio Judicis proportionata, imò minor, esse debet.

67 Sed quid in sententia capitali, si pars per injustam sententiam formaliter periculum incurrat, licebitne ipsi Executorem ad interficiendum à Judice missum interficere, si possit, & aliter vitam servare nequeat? Distingvit Lederer (qui de hâc materia omninò videndus) *de jur. bell. priv. L. II. c. 11. §. 2.* an Executor sciat formalem illam sententiâ injustitiam, & per consequens, se injustè agere, & nihilominus aggrediendo alium innocentem in vitâ præcipitet periculum, ubi hunc ab invaso ad sui defensionem justè interfici concedit, consentientesque allegat Soto *de J. & J. L. V. qu. 1. art. 8.* Didac. Covarriv. *Variar. Resolut. L. I. c. 2. n. 13.* & alios, quòd

69 hâc Executoris offensio injusta, Ergo rei defensio justa; talemque Executorem nec in Conscientiâ securum esse probat Laymann. *L. III. Tr. VI. c. 2. n. 12.* An verò dubius sit Executor de sententiâ & executionis justitiâ: & hâc casu eum Magistratui obtemperando tutiorem partem eligere teneri, docet Grotius *de J. B. & P. L. II. c. 26. §. 4.* ideoque vult Lederer. *d. l.*

70 eum nec S. C. à Reo ad impediendam executionem occidi posse. Verùm dabitur mihi venia, si quoad posterius ab ipso dissentiam. Alia enim quæstio est, an talis Executor rectè agat, quod & ego affirmo, quia certum, Magistratui non manifestò turpia & iniqua præcipienti obediendum esse, præ

71 incerto, quæde est dum dubitat, an sententia sit justa, eligit & tenet, nec obligatus est sententiam illam in dubio discutere. vid. Dn. Ziegler. *ad d. l. Grotii.* & alia, annon Reus injustè ad mortem condemnatus per intercessionem Executoris vitam suam servare possit, quod ego similiter affirmandum puto. Si enim Reus in carcerem coniectus, & per sententiam formaliter injustam ad mortem condemnatus, si aliâ conditione elabi non potest, carceres infringere, custodesq; probatâ his innocentia, si eam agnoscere noluit, occidere S. C. potest, quod supra probatum dedimus, & ipse statuit Lederer, non video, quid obftet, quò minus & nostro casu in iisdem terminis occisio executoris licita sit, cum utrinq; eadem militent rationes.

Dicta

Dicta hæcenus semper intelligenda sunt de casu, si nullum juris remedium ad impugnandam sententiam ejusque executionem atropus superfit. Hoc ergo si detur, eodem Pars intra tempus legitimum utatur, quod si omiserit, non satis consulat conscientia resistendo injustæ illi sententia, quam culpa sua in rem judicatam transire passus fuit. Ista autem juris remedia nullam sapiunt iniquitatem, modò non frivole adhibeantur; nec Judici, à quo ullam afferunt injuriam, quippe qui sibi impudet, quòd justam non tulerit sententiam, quique hac lege à Superiori judicandæ potestatem accepit, ut in casum gravaminis illi cognoscendi facultas reservata sit. Et inter hæc remedia eminent Appellatio, ad quam tamen non cuius temerario litigatori, sed verè gravato. patet aditus. Quamvis enim in foro exteriori ex causa verosimili & probabili, licet eam veram non esse sciat, non puniatur; in foro tamen Consc. non solum mortaliter peccat, sed & parti adversæ ad damna causata tenetur. Valerius *voe, Appellatio, Diff. 3.* Namque si sine justa causa litigans graviter peccat, non levioris peccati Reus erit, qui frivole appellat. Per temerariam ejusmodi Appellationem, inquit Dn. Zieglerus *in Dicast. Concl. 52. §. 5.* violatur obedientia Superiori debita, impeditur juris executio & justitiæ cursus; injuria fit Judici, cujus sententia sine ratione reprehenditur; injuria fit adversario, cui non mox datur quod suum est; injuria fit ipsi Judici ad quem, qui frivole interpellatur. Quòd in foro exteriori poenæ semper non adhibeantur, non fit idèd, quasi impunis sit ista appellandi licentia, gravibus namque poenæ coërcenda talis libido. *vid. Rec. Imp. de anno 1654. §. 120.* sed quod intentio hominis occulta sit, & Judex, qui de occultis judicare nequit, eam, an pura & recta, an impura & obliqua, cognoscere non possit, Conscientia verò judicium omninò in occultis occupatum est. De iis autem potissimum gravaminibus appellare licitum est, quæ vel totam causæ justitiã pervertunt, vel, quamvis ad solennitatem & ordinem processus pertineant, insimul meritis causæ præjudicant & detrimentum aliqvod afferunt, non verò illis, quæ mera Processus solemnia concernunt, de quibus *vid. Mev. P. I. D. 77. 78.* & quoad Processum Criminalem *P. II. D. 321.*

Sed, an de his gravaminibus appellare licitum quoque erit illi, qui Appellationi juratò renuntiavit? Renuntiantem simpliciter indubitatè provocandi auxilium perdidisse, dicit *l. 1. §. 3. ff. à quib. app. non lic. vid. Scaccia de Appellat. qv. 17. limit. 2. per tot. Mev. P. I. Des. 99.* quæ tamen

- 80 suas patitur limitationes. Hinc *Mev. P.I. Dec. 147.* asserit, Renuntiationem juratò factam non impedire Appellationem, quòties eam non impedit Renuntiatio simplex, cùm juramentum non alteret vel augeat obligationem, modò in illa juramenti relaxatio adhibeatur. Verùm in F. C. paulò cautius procedendum. Juramenti enim vinculum, quò insimul obligatio DEO quæsitæ, quidni auget obligationem, quàmvis quoad
- 81 effectum agendi eam ultra naturam actus non extenderet? Certa est in hoc foro regula ex *C. quomv. 2. de pass. in 6to & C. cum contingat 28. X. de jurejur.* juramentum omne, quò sine dispendio salutis servari potest, & in dispendium Proximi non redundat, servandum. In hoc verò juramento nec ratione materiæ prohibitio, nec Proximi detrimentum sub-
- 82 est, ergo illud servetur. Ut rem hanc simili exemplo declarem: Condidit quis testamentum, in quo juravit, se aliud non conditurum, non obstante hòc juramento aliud condit, quæritur, an posterius prius rumpat & valeat? Respondetur: Valet testamentum; sed Testator committit perjurium. Vid. *Molina de J. & J. Tr. II. Disp. 15. n. 24. Valerius voc. Testamentum. Diff. 5.* Quando verò Dn. Brunn. in *Proc. c. 28. n. 28.* renuntiationem simplicem non obtare docet, si novum & non prævisum gravamen, de quo renuntians non cogitavit, obveniat, eandem limitationem etiam in nostro casu in F. C. admitto; nam & juramentum ad non cogitata non extendendum. vid. Dn. Præses *Tr. de Jure Serf. Dissert. X. c. 7. §. 3.*
- 83 *seqq.* Imò, si insignis fuerit in prima instantia adversarii dolus, Appellationem planè illicitam non putarem, partim, ne juramentum hoc ad peccandum invitaret, & quodammodo vinculum iniquitatis suppeditaret, partim, ne dolus ille maneret impunitus. Quamobrem Magistratus superior vel in pœnam dolosi juramentum remittere, vel ipsum, ut spon-
- 84 tè illud remittat, adigere potest. In dubio tamen, qui juratò renuntia- vit, ab Appellando abstineat, quia sic omninò partem eligit tu- tiorem..
- 85 Hac de Appellatione. Simile estò judicium de aliis remediis contra sententiam competentibus, quæ in Saxoniam est Leuteratio, quæ fit coram eodem Judice. Datur item Nullitatis remedium, Supplicatio; Revisio Actorum; & deniq; Restitutio in integrum, de quibus prolixè agunt Processuum judiciariorum Scriptores.
- 86 Tandem ad executionem deveniendum. Postquam enim sententia in rem judicatam transit, executio parata est; quæ quidem fieri debet ad ordi-

ordinem in l. A Divo Pio. 15. ff. de Re judic. præscriptum. Quid si igitur hæc non fiat legitimo modo, vel neglecto ordine, vel non attentæ Appellationis apud Superiorem interpositione, licetne S. C. eam impedire, & Executori resistere? In l. 5. C. de jure Fisci. ipsis privatis concessum Executori non legitime procedenti manus objicere, eundemq; à faciendâ injuriâ arcere. Idem confirmat l. 5. C. de Execut. & cum Rebuffo Tr. de Sent. Exec. art. 7. gloss. 14. sub n. 4. Mey. P. III. Dec. 108. Pariter consentit Anton. Gomez. L. III. resol. 13. n. 31. posse Cognatos & Amicos Condemnatorum armatâ manu resistere, si Judex, à quo provocatum est, spretâ appellatione sententiam suam exequi velit, quod tamen displicet Dn. Zieglero in Dicast. Concl. 52. §. 9. Ego hîc iterum distingvo: Aut superest remedium juris, quo inordinata executio & attentata ista emendari possunt, aut non; hoc casu resistentiâ in totum non improbo, modò non sit nimis violenta, quia non vides, quid obstet, quò minus adductæ leges Civiles etiam in F. C. obstant, & vim contra jus illatam vi repellere, permittant. Priori casu omnia juris auxilia prius implorare, quàm factò experiri decet, nisi per executionem illam inferatur magnum præjudicium, & damnum difficulter reparabile, ubi omnis resistentiâ non deneganda, modò sit moderata, neque, quantum unquam fieri potest, omnis erga Judicem respectus plane evanescat.

Hæc de eo contra quem; conclusio sit in eo, ad cujus instantiam fit executio: An hic alterum S. C. usque ad factum & peram excutere possit? Non loquor equidem de personis beneficio compètentix gaudentibus, quibus omnino tantum relinquendum, ut honestè vitam transigere possint. Sed de aliis. Ubi generaliter affirmativam probo: Ad casum enim necessitatis obligare se quis potest quoad bona, licet ipsi nihil remaneat, sed mendicando victum quærere teneatur, horum enim Dominus est; quòd si verò licitum est suo se pacto in tantum obligare, multò magis per legem ad id deduci potest, & per consequens, non peccat, qui suum exigendo proximum secundum indultum legis ad paupertatem redigit. Tutius tamen erit considerare, unde & ex qua causa obligatio, quæ mihi obstrictus est, nascatur, & quomodo ad egestatem hanc, ut solvendo non sit, pervenerit. Si casu fortunæ, charitatis Christianæ & misericordiæ leges exigent, ne planè ad incitas redigatur, & tantum ipsi relinqvatur, quantum ad vitam parçè sustentandam opus habet; afflictio enim tanta non est addenda afflictio. Soto de J. & J. L. IV. qu. 7. art. 4. Si verò culpa

culpá sua & luxuria facultates suas prodegerit, mihi que justa ex causa debeat, vix misericordia dignus erit; quí enim aliorum charitatem experiretur, qui erga se ipsum nullam gerit, necessariæque vitæ subsidia, quæ modo per luxum in DEI contemptum, piorum scandalum & familiæ dedecus perdidit, alter cum damno suo ipsi relinquere teneretur? Hoc sanè foret peccatis similibus occasionem præbere, & plures ad prodigaliter invitare. Vid. Joh. Petrus Ala *Tr. de Advoc. & Causid. Christ. p. 1. qu. 48.* quem allegat Winther *in Parthen. liig. L. 1. c. 8. n. 34.*

Habes, L. B. quæ de Conscientia Partium in judicio, juveni in foro hætenus parum versato scribere licuit. Plura addi non poterant, ne Exercitii Academici limites nostra egrederetur disputatio. Hæc ut æquè bonique consulas, & in meliorem interpreteris partem, Tua Tibi dicat conscientia, & ego idem obnixè peto. Tibi verò, æterne DEUS, certissime Conscientiarum Scrutator, humillimas solvo grates pro concessis animi corporisq; viribus, quòd non solum felicem paginis hæc colophonem imponere, sed & Studiis non sine omni successu hætenus incumbere licuerit, & devotissimas fundo preces, velis impofterum quoque conscientiam meam ab omnibus sceleribus puram servare, & coeptis ita benedicere, ut per assidentiam Spiritus S. feliciter cedat actionum mearum principium &

FINIS,



6
L. D. B. V.

JUS HOMINIS IN SE IPSUM

Consensu Magnif. Jurecons. Ordinis

P R Æ S I D E

DN. SAMUELE STRYKIO, J.U.D.

Com. Pal. Cæsar. & Antecess.

Celeberrimo,

*Domino Doctore & Patrono suo observantissime
colendo*

Die IV. Febr. Anno M DC LXXV. Horis Antemeridianis

Eruditorum Examine submitte

AUTOR

CASIMIRUS AB OSTEN,

ÆQV. POMER.

Cum privilegiis.

Denuo edita Anno M DC LXXXIII.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Sumptibus JEREMIAE Schrey/ & HENR. JOH. Meyer.

Vol. II. Disp. XV.

Reverendissimo, Serenissimo & Celsissimo
Principi ac Domino

DN. ERNESTO

BOGISLAO,

DUCI CROIÆ & ARSCHOTTI,

S. ROM. IMPERII PRINCIPI,

MARCHIONI DE HAVRE, COMITI ET DOMINO

FONTENOY, BAJONIS, DOMPMARTINI ET VI-

STINGIÆ, NEC NON NEOGARDIÆ &

MASSOVIÆ,

DUCATUS BORUSSIÆ, POMERANIÆ AC

PRINCIPATUS CAMINENSIS PRO-PRINCIPI, AC EJUS-

DEM CAPITULI PRÆPOSITO &c. &c.

Principi ac Domino Meo Clementissimo,

Procumbit ad pedes Tuos nostra de Jure Hominis in se ipsum disputatio: Et subjectissimum sui Autoris testatura obsequium, eò vestigiò advolvitur, quod supplices decet, *CELSISSIME PRINCEPS*. Lubrico enim gradu, an lapsu dicam, in publicum prodit, qui consimili ad tam præalta fastigia ruinâ suos non auspicatur passus: Nec serenum diem sperare potest, qui non jacuit in Illustri umbrâ. Unde & noster labor Scholasticus sibi de virili quòdam robore jam blanditur, quasi auctior majorque evaserit, quia *Celsitudinis Tuae* nomen immatura ambitione sibi inscripsit. Ignosce, *Clementissime Domine*; Unicum hoc verbum saltem occurrit ad humillimam deprecationem; Et si propria Principibus Clementiæ fama, eò facilius ignosces, quò in Te, qui in aliis sæpe quæritur, luminosus eminet Princeps. Nimirum cumulatissima me ubique circumstabant argumenta, & retinentem spei metum non levi specie componebant. Occurrebant devotissimis omnium pectoribus impressa cœlestia Tua in patriam Beneficia, quæ saluberrimis Consiliis præfens dispensasti, tot nactus obsequentissimos debitores, quot illa numerat Incolas. Quæ etiam cum Principalis manus ad immortalitatem seminarit, non videbantur admittere florum ingenium (hoc scilicet non nemo vulgari beneficiæ metuerit) tam diu gratorum, quam diu recentium. Nam & nostra licet Pomerania conqueratur, quod præsentissimis illustrissimi sideris suis orbari aliquando radiis debuerit, & alterius provinciæ votis, sed Fato impar cedere, ubi pacificus Princeps in tantâ Animorum utrinque concertatione litis materia fuisti; Non abstulisti tamen lucem, quia dividebas, sed nostrum eminus adhuc serenas horizontem: Et tot sonantissima omnium vota pro incolumitate Tua docent, Te nondum esse prorsus in alienò solò. Alia adhuc fiduciæ meæ, jam non leviter animatæ, addebatur ancho-

ra. *Clementissime Princeps*, in Honestissimarum Artium disciplinas diviniſſima Tua humanitas: Volebantque Muſæ non obſcure, tenuiorem Minervæ conatum ſubſternendum eſſe Tibi *Clementiſſime Domine*, qui inter Summos Sapientiæ Antifites Exemplum maximum, & inter Principes ſine exemplo eſſes *PRINCEPS ERUDITISSIMUS*. Conſenſi, & quæ illæ effuſiſſimis prædicabant encomiis, infra Tua adhuc jacere celſiſſima merita adverti; Sterilis enim propemodum in Tuis laudibus Eloquentia eſt, quia propriâ & nativa rerum indole cuncta longe ſuperaviſti, tropis uti non licet, nec figurarum apparatus. Conſenſi, inquam; Eoque jam acclini prece, & devotiſſimis animi Deſideriis Tuo Clypeo imbellem calamum, Illuſtriſſimæ luci, tenebroſum hunc Themidis ſubmitto partum, cui ad laudem præmiumque ſuffecerit, ſi quid interleverit principalis manus, ſi ſplendescere tam illuſtri limâ poterit in illâ Aulâ, ubi ad maturitatem cuncta Auguſtâ opera formantur. Jubbet ita confidere Clementia Tua *CLEMENTISSIME PRINCEPS*: Noſtramque hanc votô obſignamus fiduciam. Beet *CELSITUDINEM TUAM* Incolumitatemque auguſtis ſemper incrementis Æternum Numen; Et conſilia proſperrimô ſucceſſu ſecundet: Faxit denique, ut, quo Te ſuô merito digniſſimum fecit, cœlum ſerò accipias.

CELSITUD. TUÆ

Devotiſſimus

CASIMIRUS ab OSTEN.

*In Nomine Sacro-Sanctæ
Trinitatis.*

Non fuerit arrogans nostræ disputationis titulus, atit in aliquod DEI Jus iniquus. Novimus enim cuncta subesse cœlestis Imperii Legibus, nihil eximi sine crimine Læsæ Majestatis. Ergo venerabimur, quod indulgit Hominum generi divina clementia; removebitur, quod incauta mortalitas non ritè usurpat. Sed quid usurpat ritè? postquam enim discessum ab innocenti vitâ, causâ mali acceptâ à malò, non quæritur amplius perfectio, sed quod ab illâ non nimis recedit; eoque operosius est de jure in se ipsum judicium. Scilicet peregrinantibus nobis nulla pharus melior foret suiipsius notitiâ: Sed in via tantùm accenditur, in beatis autem patriæ sedibus radiabit clarissimè. Unde fluctuat calamus, & in tam obscuro dicendi campo Æternæ DEUS à Tua umbrâ lucem emendicat. Benedicas ex alto conatui, ignoscas errori quem ingesserit fortè tenuitas, voluntas. Nam supplicum nec fiduciam soles, nec imbecillitatem dedignari, sed omnes unò admittere in VERBO. Quod uti jam precamur submitte, ita expectamus constanter. In abyssò enim semel factæ pacis, quæ ipsius DEI sanguine constat, non defuit unquam, quod & possit, & velit sublevare infirmos, non imputare infirmitatem. Jam breviter esto dissertationis nostræ methodus. Primò agemus de obligatione sui in genere, post de Jure in Animam, tum de Jure in Vitam, corpus, famam,

CAPUT I

DE

Jure seipsum obligandi.

SUMMARI A

- U**nde descendat vocabulum Juris
 n. 1. Aliquot ejusdemceptiones
 2. Famosior 3. An permessa possint
 Jus vel iusta vocari, & quomodo? 4.
 Significatio hujus loci 5. An liberta-
 ti repugnet Jus semet obligandi 6.
 Quod negatur 7. De imperio intel-
 lectus & voluntatis remissivè 8. De
 morali vinculo obligationis. 9. De vi
 soactiva 10. Dubium Connani. 11.
 Solvitur cum ratione prima. 12. Alià
 ratione. 13. Quid civile Jus circa pa-
 tiorum obligationem disponat. 14.
 Quid corrigat praxis 15. Regula
 Mevii 16. De promissione internà
 num. 17. An propositi & promissionis
 aliqua differentia? 18. Alleg. con-
 sentientes, & dissentiens Mol. 19. Li-
 mitatur conclusio 20. De pena cogi-
 tationum 21. De obligatione Legis
 Civilis inconscientia. 22. Afferitur &
 probatur. 23. Conciliatio dissentien-
 tium. 24. De obligatione ante acce-
 ptationem. 25. Distinctio Molinæ
 num. 26. Quid requirat Jus Ci-
 vile num. 27. Quid Jus natura?
 num. 28. & 30. Responso ad Moli-
 na distincti. 31. De distinctione
 Groti 23. Mente Lessii 33. Gro-
 tii 34. De debito constantia. 35.
 An nuncius extraneus intervenire
 possit? 36. De acceptione absentis
 nomine. 37. Quid de Regula Me-
 vii in casu extranei referentis. 38.
 Deciditur nil immutare Juris. 39.
 Ratio generalis 40. Explicatio Re-
 gule Mevii. 41. An potestati emi-
 nenti repugnet Jus semet obligandi,
 num. 42. Subest Juri natura 43.
 Soluta civilibus legibus 44. Ratio
 45. Exceptiones 46. de L. 23. ff. de
 Leg. 3. & 4. C. de Leg. 47. Negan-
 tur habere vim Reversalium 48.
 Si princeps se velit suis legibus obli-
 gare, an possit. 49. Clausula de non
 mutanda lege 50. De lege commissio-
 riâ in Imperiis 51. De jure resisten-
 di ex pacto 52. De divisibili Ma-
 jestat. 53. De nexu feudali 54.
 De contractibus Imperantium. num.
 55. Subditorum cum Excepti. 56. &
 seqq.

Pendet

Pendet ex hoc Jure non unius quæstionis solutio :
 Neque infra Jus Hominis in se ipsum respectu Principis, patriæ &c. neque quod debemus ipsi nobis, omissâ hac disquisitione satis intelligetur. Hanc igitur suscepturi, de natura vocum, quibus titulus constat, exponemus non nulla, ne aliquam deinde caliginem offundant. Vocabulum Juris unde descendat potissimum, cum ambigant docti, nos exponere superfedebimus pace Ulpiani *l. i. pr. ff. de J. & J.* V. Molin. *de J. & J. disp. 2. n. 2.* Wilh. Gröt. *de princip. J. N. c. 1. num. 2.* Wissenb. *ad ff. disp. 1. l. 2. th. 8.* Dictum autem vel à voce jussum, vel Justitia. Jus, ut leviores significationes præmittam, notat necessitudinem *l. 12. ff. de J. & J.* Prætoris sententiam, etiam cum iniquè decernit *l. 1. §. f. d. t.* Locum Judicii *l. 1. inf. eod.* In famosiori acceptione significat primò regulam Actionum moralium, & dispescitur notissim. divisione in jus Naturale, Gentium, & Civile. Secundò denotat id, quod justum est, sive præcipiente illud, sive permittente lege. Nam & permittere virtus legis est *L. 7. ff. de Leg.* Quod non uno modò explicant. Grotius, quod agente sensu justum non est, vocat justum sensu negante; ut justum sit, quod injustum non est, *de J. B. & p. l. 1. c. 1. th. 3.* Alii termino positivo, quæ præcepta non sunt, malunt appellare Juri convenientia. Quod ita eleganter in iis, de quibus expressè disponunt leges; Secus in aliis. Uti enim illa secundum Jus, ita hæc præter illud fiunt, & sic neque convenientia juri dici merentur. Verum hæc latius exponere, ipsos etiam permissionis gradus, quatenus vel jus agendi tribuit, vel solam impunitatem, & quæ de suasivâ ratione juris adferri possent, enucleare hujus loci non est. Videatur de variis acceptionibus Juris D. Hahn. *observ. ad Wesemb. tit. de J. & J. n. 14.* Colleg. Argent. *cod. n. 5.* Restat significatio nobis propria, ubi Jus notat facultatem moralem personæ competentem ad aliquid justè habendum, vel agendum; qua comprehenditur tum potestas in se, quæ libertas, tum in alios quæ patria, & dominica appellatur. V. Grot. *d. l. Th. 4.* Restringimus autem Jus, ut sit Hominis in se ipsum, & sic in præsentia illa potestas, quæ Grotio libertatis nomine venit, quam tamen moralem facultatem, non naturalem interpretamur, per dicta. Sequitur jam Jus se obligandi. Quod non dari videri posset. cum repugnet conditioni voluntatis nostræ (cui & contradictionis, & contrarietatis libertas propria;) Et non sit Homini imperium in voluntatem, sicut nec dominium in corpus. Sed largimur, non posse cogi

cogi voluntatem nostram, quoad actus ut vocant elicitos, eoque manere salvam semper libertatem, utpote quæ solo discrimine rationis distinguatur ab ipsâ voluntate, si scholis credimus. Quod autem semel placuit velle, ut nunquam volueris, idque volendô efficere, id ita integrum voluntati non est, sicut nulli potentia, reddere infectum quod factum est. Velimitaque hic separe actum à potentia, insuper accomodes, si libuerit, quæ Philosophi, ubi de propositionum veritate agunt, afferre solent de necessitate ex suppositione antecedente, & suppositione consequente. Quanquam mihi placet simplicius respondere, quod nimirum usu conservetur Jus, non amittatur; & quod voluntas quia libera est, hoc vel illud voluerit, non verò desinat esse libera, quia voluit. De imperiô quod dictum, illud non obstabit Juri semet obligandi. Nam qui fundamenta morum exponunt, solent prolixè ventilare, an intellectui in voluntatem, an contra, imperium aliquod competat, & illud civile sit, num despoticum, formale, an virtuale; illud etiam determinare, quatenus à judiciô practicô intellectûs dependeat voluntas. Conf. Franciscus Pavonius Catacens. in *Introd. in Aristot. & Theolog. Doctr. Moral. disp. 2. qu. 3. propos. 1.* B. Meisn. *Sobr. Philos. p. 3. Sect. 1. qu. 6.* Verum hæc spinosa disquisitio rem sæpe magis involvit, quam explanat. Ergo de morali vinculo obligationis porrò inquire? Respondeo, licet quoad internum actum recedere cogitatione possimus ab eô, quod signis sufficientibus ante transactum, seu conventum, id tamen non enervare aut rescindere quicquam quoad vim Juris. Est enim voluntas nostra sub inspectione & censurâ rectæ rationis, quæ non permittit mutari voluntatem in injuriam alterius, aut alteri per alterum inferri conditionem iniquam *l. 57. l. 74. ff. de R. 7.* aut non custodiri quæ placuerunt: **10** *l. 20. c. de pact.* Secundô imminet hic compulsio civilis potestatis. Velle si non potest, auferatur vel addatur posse. *Arg. Extrav. com. divinis inf. de pæn.* Et coacta voluntas, voluntas est *l. 21. §. 5. ff. quod metus causa.* Verum uti hoc in iis, quæ Synallagma habent, indubitanter verum, ita de promissionibus negat Franciscus Connanus, quod oriatur ex iis naturaliter obligatio. V. Grot. *l. 2. c. 11. tb. 1.* Dn. Ziegl. *ad Lillum Grotii.* Sed parum accuratus, ne dicam falsus, hæc in parte Connanus est; Et pessimè actum fuerit cum humanâ societate, si hoc admitti, & ita fidelitas, commune illud Hominum inter se vinculum salvô Jure negligi posset. Consistit enim in eô, ut præstes, quod promissisti; aut non promittas, si **12** animus non est servandi. Deinde viderit Connanus, quomodo transigere cum

cum veracitate queat, quæ utique exigit, ut verum faciamus quod verbis ostendimus; & quomodo ita non aboleatur omnis dīctorum certitudo, & animorum tranquillitas, quæ obſignatur promiſſorum implemento. Accedit Jus translatum in alium, quod tamen illa ſā Jūſtitia auferri nequit. *L. 4. C. de Emancip.* Quod enim traditio efficit, ratione juris in re, id efficit promiſſionis acceptatio in acquisitione juris ad rem, unde porro obligatio Jūſtitia dependet. *V. Leſſ. de J. & J. l. 2. c. 18. dub. 8.* Et an translatio Juris conſiſtat in non reſiſtentiā. *Domin. Pufend. de J. N. & G. l. 3. c. 5. §. 2.* Cæterum Jus civile non omnem vim pactis reliquit *l. 7. ff. de Pact.* licet Prætor exceptionem daret. *V. Zoef. tit. de Pact. n. 57 Dn Brunnem. in queſt. ad Weſemb. tit. de Pact. qu. 54.* Concurrit tamen in ſpecie ad nonnullas conventiones, quæ inde pactorum legitimorum nomen invenerunt. *l. 6. ff. de pact.* Unde multiplex de multiplici pactorum veſte quaſſio, de adjectis ferè inſolubile certamen; quæ ſalubrior praxis fecit non multum utilia. Eſtque de moribus certum, ſi de Jure Canonico dubium, de quo tamen idem probat *Molin. diſp. 257.* cum plurimis, contra non paucos, inter quos *Zoef. tit. de pact. n. 60.* dari actionem ex pacto nudo. *Carpz. p. 2. conſtit. 19. Def. 17. n. 8. p. 2. Conſt. 32. D. f. 10. n. 9. Mev. P. 5. Decif. 408.* qui aliud etiam in hâc materiâ nobis ſuppeditat ſubtilitatis remedium, aſſerens, ceſſare interdictum legis, de non quærendo jure alteri per alterum. *P. 4. Decif. 112. n. 5.*

Sed hæc de promiſſione externa, de internâ non minor difficultas, an in F. C. inducat obligationem, ſeu an homo poſſit ſolâ cogitatione obligare ſe homini efficaciter? Quod negamus. Promiſſio enim eſt actus reſpectivus & hominis cum homine. Tali autem actui nequit voluntas in mente retenta accommodari, cum mea cogitatio nemini immediatè innotefcat, ſed opus ſit externis ſignis. *V. Barb. ſa locuplet. l. 19. c. 41. Axiom. 31.* Secundò non ſatis explicari poteſt quomodo differat quoad vim obligandi proſiſtitum à promiſſione, ut non obliget, ſi mente dicam promittam; obliget verò ſi dixerim; promitto. Sane hic generaliter ſolemus dicere: proſiſtitum non indicatum nihil operari *l. 7. C. de cond. ob. cauſ.* & eſſe abortivum, quod nunquam lucem aſpexit. *V. Magnif. Dn. Præſes in trakt. de J. Senſ. diſp. 10. c. 4. n. 5.* Quò tamen rolo ſublata omnem differentiam proſiſtitum & promiſſionis; in noſtro ſaltem caſu nimis ſubtile foret eam admittere. *Molin. diſp. 262. n. 1. & 2. Leſſius! 2. c. 18. dub. 5. n. 30.* aliâ utitur ratione. Dicit; verba, do, promitto eſſe ſigna practica, efficiencia hoc ipſum quod ſignificant, & n. 33. requiri non tantum, ut

voluntas & affectus per ea significantur; sed etiam, ut ipsa donatio & promissio per ea fiat, & licet tota vis obligandi sit à voluntate, hanc tamen
 19 requirere externum actum tanquam instrumentum. Consentit Grot. l. 2. c. 11. licet non satis clare. V. Osiand. ad Grot. L. d. 1b. 2. & 3. Zoef. tit. de donat. n. 39. Dissentit Molina disp. 266. quamvis & nostram opinionem propter
 20 auctoritatem D. Thomæ explicet L. cit. n. 17. & seqq. Limitamus tamen dicta, ut non procedant, si promissio cadat supra materiam necessariam seu debitam. Secundo si referatur ad finem honestum, vel contineat implicitè votum. Tertio si quis solidà deliberatione prævia sine causa mutare animi destinationem velit. Alias propositum non fragit, qui mutat in melius C. pervenit 3. X. de Jurej; Vel consilii mutatio in melius sapientis est. Quod pœnam concernit, non lui ullam cogitationum in forô externo manifestum, est ex L. 18 ff. de pœn. Ipsa quoque conscientia hic admittit gradus, & celebrata satis distinctio inter motus primo primos, & secundo primos. V. Dn. Præf. Tract. de J. Sens. disp. 10. c. 1. n. 11. 13. 14. Quomodo etiam Lex civilis attingat cogitationes ratione culpæ, pendet ex quaestione, an lex civilis obliget in conscientiâ? Hic se diversimodè explicant Dd. licet neminem putem potestati Civili vim omnem adimere hæc parte, quam Apost. ad Rom. 13. divinâ sanctione tam expressè, tam diffuse munivit. Sed alii hic allegant vim Juris naturalis, cui innicitur Civilis lex per determinationem quandam & modum; nonnulli collocant robur omne in virtute generalis principii, quò tenemur sanctum servare Magistratui obsequium. Sed breviter suppono legem determinantem rem mediam & indifferentem; Jam quæro, quare transgressor ejus immediate in conscientia quod reus sit, vincatur. Sanè proxima concludendi ratio est, quia lex Majestatis est Si inquiras ulterius, unde vel originetenus Majestatis Jus in genere, vel hoc Jus obligandi? consenties facilè, manere à summâ Majestate, omnis Bonitatis fonte. Ubi consistes, & veneraberis illum Autorem omnium, qui dare voluit Eminentès potestates, & dicere, Date Casari, que sunt Cesaris, & per Præconem suum sancire in perpetuum valiturò Edictò, omnes esse subjiandos Principibus & propter iram & propter conscientiam. Ergo dicta vis radicaliter à DEO est; Principi tamen specialis aliqua & propriè talis, licet beneficiaria & subalterna, licet, cum perpetua reflexione ad suam origem, non
 24 deneganda. Adverte tamen eos, qui mediante generali principiò obligari conscientias legibus civilibus statuunt, quantum nobis cernere datur, re ipsa vel nihil, vel parum dissentire, modò in re indifferenti, seu lege divinâ,

divinâ, vel naturali non præceptâ nasci parendi obligationem in conscientia admittatur. V. Hulseman. *in Extens. Brev. c. 20, Th. 13. Osiand. ad Grot. l. 1. c. 1. Thef. 14. Obs 2.* Nam nulla hic immediatio fingenda est, quæ sit sine morali actu, sive, quæ interesse cogitationibus possit, eas formando intrinsecus, aut movendo ad eas, quod finitæ potestatis non est; seu nullum Jus in conscientias, quod penes solum Deum est, qui corda renesque scrutatur. V. Balduin. *de Cas. Conscient. l. 4. c. 12. Casu 15.* sed immediatio ratione modi inferendi necessitatem per medium proximum, quod etiam B. Meisner. *in eleganti suo tr. de Legib. L. 4. Sect. 1. qv. 11.* non negat. Illi ergo tantum improbabiler sentiunt, qui planè in re indifferenti nullam subesse culpam eximant, si quis Principis legem transgressus fuerit. Sufficit enim ad substantiam obligationis, quod lex civiliter justa, quod Juri Divino & naturali non adverfa. Vidimus, quid Juris sit homini in cogitationes. Nunc porrò, si accesserint signa externa, an se homo per ea possit, nondum **25** interpositâ acceptatione alterius, ita obligare, ut teneatur in conscientia, breviter exponendum; ubi Molina. *disp. 263. n. 13.* distinguit inter promissiones onerosas, & gratuitas, idque discrimen putat magnopere advertendum esse. Ut sic quæstio nostra limitatè procedat, nempe de ipsis potissimum donationibus. Et notandum primò civili jure ex promisso gratuito ante acceptationem nullam obligationem nasci per *l. 10. ff. de donat. arg. l. 38. ff. de acq. possess.* Quò facit & C. *si super X. de offic. deleg. ut ante eam liberè revocari donatio possit.* V. B. Brunnem. *ad d. l. 10. & Zoef. Comment. ad ff. tit. de donat. num. 77.* Excipe donationem factam Ecclesiæ B. Brunnemann. *ad L. 6. C. de donat.* Pollicitationem *l. 3. ff. de Pollicit.* Notandum secundò, non videri affirmandam quæstionem de obligatione in foro internò. Ratio, quia nemo inficias ibit, donationem nomen & naturam paci sortiri, unde inter pacta legitima refertur à Dd. secundum *l. 35. C. de donat.* Pactum autem est duorum vel plurium in idem placitum consensus *L. 1. §. 2. ff. de Pact.* vel, quod putò à nemine negandum esse, alias enim fingerem donationem, quæ nemini offerretur; donatio est actus respectivus. Relatio autem necessariò requirit terminum, quem respicit, per quem & completur, neque dici ante perfecta potest. Nam non litigabo in præfenti cum Scholis, an terminus, seu connotatum ingrediatur essentiam relationis, an verò requiratur tantum necessariò ad illam, seu tanquam connotatum extrinsecum intrinsecè requisitum. V. P. Johan. Moravvski. *in princip. totius philosoph. disp. 4. qv. 2.* Hæc inquam secure prætermitto, modò jam constet, cum perfecta non sit donatio ante assensum,

sum donatarii, non posse Jus aliquod in hunc transferri. Idem enim est, actum non incipere, & inceptum non perfici, sicut non fieri. & non legitime fieri, per vulgaria Juris. Quod ulterius confirmatur hōc modo: In omni translatione Juris debet esse, qui transferat, & acquirat. Quomodo enim dicitur aliquod Jus quaesitum, quod tamen qui quaesiverit ostendi nequit. Non potest autem acquirere, qui non censentit vel per se vel per alium, voluntate vel generali vel speciali. Quod solet explicari à Jureconsultis, ubi agitur de peculiō, actione negotiorum gestorum, quod jussu &c. Neque hic alleganda praesumptio est; nempe acceptum iri benevolentiam, cum id non obtineat in omnibus & sit etiam illa naturalis obligatio ad remunerandum *ex l. 25. §. 11. ff. de heredit. petit.* in animō gratō saepe satis onerosa. (licet minus plena à Doctoribus appelletur,) neque transferat aliquid praesumptio, nisi lex ipsi assistat, imprimis generalis, & ita prolata. Ad Molinæ rationem, quando dicit, donationem esse absolutam, nec respicere acceptationem, respondemus, negandō assumptum; scilicet requiri in liberalitate semper actum mentis, quō simpliciter se obligare velit donans non cogitandō etiam de acceptatione; Nam poterit liberalitas exerceri animō se non obligandi ante acceptationem, ut nihilominus maneat donatio: Secundo, quamvis etiam priori voluntate liberalitatem quis exerceat, non tamen Jus transferri in alium, licet aliqua imperfecta obligatio admitti possit in donante, de quā statim. Tertiō absolutam quidem esse donationem hoc sensu, quod acceptationem non requirat, tanquam innexam partem essentiae suae, si aliquid discrimen admittendum inter contractus onerosos, & gratuitos, quod impensē monet notandum idem alleg. *L.* non tamen absolutam omnimodē i. e. ut etiam acceptationem requirat, tanquam conditionem necessariam. Consentit Dn. Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 11. ib. 14.* Hæc pace lectoris diduxi latius. Nam non inveni in iis, quos evolvi, quaestionem hanc vel latē satis tractatam, vel cum plenā refutatione argumenti Molinæ, ut ita facilem conamini mei veniam sperem.

Negavimus itaque posse hominem se obligare in conscientia, vel intentione tacitā vel significatā verbis ante acceptationem. Quid jam dicam de Grotii distinctione, quā asserit, si quis se pro futuro tempore determinet cum sufficienti signō per severandi illum teneri debitō constantia, seu fidelitatis, licet non det Jus alteri, cum multis casibus eveniat, ut sit obligatio in nobis, & nullum Jus in aliō, ut in debitō misericordiae, & gratiae reponenda *V. l. 2. c. 11. ib. 3.* Quam sententiam tenet etiam Dn. Puffend.

fend. de *J.N. & G. l. 30. §. 5.* & obligationem hanc vocat imperfectam. Alio autem casu idem cum eodem d. l. statuit, si quis explicet animum suum nudè, qui nunc est de futurò, illum non ita adstringi, cum animus humanus habeat non tantum naturalem potentiam mutandi consilium, sed & Jus V. Dn. Pufend. Hic Lessius de *J. & J. l. 2. c. 18. dub. 6. n. 39.* responderet 33
 in genere, sequi ex hâc sententiâ, quod ille, qui apud se, nemine audiente dixerat, promitto, vel do Johanni 100, obligetur ut hanc suam sententiam manifestet, quod durum sit, & credibile, nusquam Gentium usitatum. Dico itaque in casu Lessii, nullam subesse obligationem veritatis, & talem promissionem parum vel nihil differre à promissione internâ. Secundò puto deliberationis intensiorem gradum, si solus ad majus robur allegari potest in primâ specie Grotii, efficere equidem, ut difficilior sit ad pœnitentiam reditus, non tamen eidem via planè præclusa, etsi forte Juri revocandî, seu mutandî propositum promittens tacitè renunciaverit. Nempe ut ipse docet Grotius, & supra diximus, vitium mutationi non inest, nisi ex materiâ; si posteriores cogitationes vel non æquale, vel pejus eligant, vel si quis propositum mutet sine causâ. Aut enim hic homini aut DEO quæ sita obligatio. Neutri, ut ipse Grotius fatetur. Ergo, quod nunc incidenter statuo, nec sibi ipsi homo obligari potest, cum habeat Jus sibi remittendi eandem obligationem. Conf. Dn. Pufend. *l. l. c. 6. §. 7.* nec seipsum obligare nexu insolubili, nisi vel materiâ, vel causa, vel Jus tertio quæ situm hoc imperet. Nam debitum constantiæ 35
 non obligat præcisè, ubi justa subest pœnitendi causa, & veritas satis sibi constat, si pro tempore, quo promitto consona menti verba, verbis non dissona mens est.

* Coronidis locò in hâc de acceptance materiâ nota, adeo Jure Civili acceptationem requiri ad valorem promissionis, ut nullus extraneus eam possit validè denunciare sine mandatò promittentis. Carpz *p. 2. C. 12. d. 21. n. 8.* Neque acceptare validè Notarius, licet de moribus non nihil affirmet Zoësius *tit. ff. de donat. num. 67.* & limitatè Carpzov. *p. 2. C. 11. D. 20.* nempe si adhuc vivò donatore rata fuerit habita donatio; ex ratione Juris, quâ alteri per alterum non solet acquiri obligatio. In eò tamen consensu non exiguae est Doctorum, posse eum, qui mandatò instructus est, validè acceptare. Carpz. *p. 2. Consil. 12. Def. 20.* Sed quid hodie, cessante 38
 te illa regula juris, in primò casu dicendum, & quantum requirat hic jus naturæ? Fortè dici poterit, si tamen sententia hæc eruditis placuerit, qui-

39 bus libenter cedo; Qui absenti promissit, non teneri nomine eius acceptanti statim assentiri, quamvis ille mandatum habeat, & hoc non tenens ignoret. Ratio, quia nec absentis nomine solemus credere, & scire, ut scire, qui absenti promittit, id semper facit per via deliberandi, & scire, quia cum solemus absentium favore sæpe benevolè loqui & sententiam tamen simpliciter determinatam voluntatem habere, licet hoc non sit, sed propter famam, proutque. Auget namque presentia rei deliberationem, & scire absentia motam ex sui naturâ quasi concedit. *Fontana licet* *ex l. 6. ff. de Offic. Proconf.* uti inhumanum est, & nemine acerbissimum esse vilissimum, & omnia avarissimum. Quæ causæ sunt prudentibus etiam, ut sint in hoc genere non perinde, sed cum cautione quadam liberales in accipiendo: Facit semper accipiendum frictu, quod promittimus, & scire determinatione, neque semper satis explicitam, & circumstantiarum circumspeditione definitam mentem adferamus. eo momento, quod consequitur acceptantis actum, & scire missionis durare, civiliter tamen, videatur, seu jus ex eo saluum manere. Regula Mevii intelligitur ceteris, nempe interdictum Legis de non querenda alteri per se, ne modo tamen alia requisita adint, atque inter consensus.

Expedivimus sic aliqua in genere de obligationibus, & scire men pertinet siq̄ dubiò disquisitio an Princeps, & scire ligare, præciudicando, ut ita dicam, à differentibus, & scire ipsis nempe obligationibus in specie, qua suis objectis discernuntur. Quod nunc compendiò & quasi per quatenus, quatenus advertimus non ea brevitate, qua decebat, & scire propositos.

42 Quandoquidem potestas Eminens supra, & scire evenit sortem, cuncta videri infra se, non queritur, & scire potest cum ea cessat, & scire jus semet obligandi in Principe, & scire 43. Verum cum de legum, rum de contractuum obligatione, & scire concernit, non dubitant pii Principes, quin divino, ac naturali jure inferiores sint; impios etiam conscientia convincit. Quis mensus est pugillò aquas, & cœlos palmò ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera? Qui sedet super gyrû Terræ & habitatores ejus sunt velut locustæ &c. *Es. 40. 12. 22.*

Hic

Hic sane se contrahere debet, quicquid mortalis fortunæ est, & veneratione tantæ Majestatis in verecundam convolvi submissionem. Ergo de 44
civilibus legibus potissimum quæritur, de quibus enunciat *L. 31. ff. de leg.*
Principem illis solutum esse. Licet enim à Regiò exemplò non exiguum 45
pondus observantiæ legum accedat, si Princeps exprimat in se, quod ab
aliis exigit; studiò quoque servandæ æqualitatis in communi materiâ
nihil sit efficacius ad retinendum in obsequiò populum; non tamen illicò
dixerim, peccare Principem contra Justitiam, qui contra suas leges agit,
etiam in materiâ universali, quod videtur *Zoesio tit. de LL. n. 27.* Nam di-
cta, & quæ alias afferri possunt, ostendunt, quid suadeat justitia, non quid
omniò præcipiat. Ratum enim, fixumque manet, legem esse mandatum
Superioris, eoq; vi propria non contingere eos, quibus non est præscripta.
Excipe tamen primò, si Princeps contra leges agendo jus tertii lædat, aut 46
Reip. detrimentum afferat, ubi agit contra officium boni Principis. *V. Dn. Struv. Syntagm. J. C. Exercit. 2. tb. 19.* Secundò, si de voluntate Principis de-
finitè, & sub vi pacti constet, quod velit obsequi suis legibus, ubi ex con-
sensu Jure Gentium tenebitur. Quò pertinent reversales, seu promissa,
quæ subditis faciunt Principes suscipientes imperium. *Dn Struv. d. l. tb. 10.*
in fin. Sed an vim Reversalium, seu naturam promissorum habebunt *l. 23. 47*
ff. de leg. 3. §. l. 4. C. d. LL? Id non videtur simpliciter. Nam non pacti voces 48
sunt, sed legum; neque adeò proprie nomine promissorum venire possunt,
aut aliquod jus transferre. Significant itaq; sublime Principis propositum,
non alligandum tamen ad aliquod necessitatis punctum, nisi quatenus
prudentiæ & constantiæ ratio, quæ plurimis argumentis commendata ef-
se debet Principi, illud exigat. Qui de voluntariâ subjectione has leges in-
terpretantur, de quò *V. B. Brunnem. ad L. 4. C. forte non simplicem etiam &*
strictam subjectionem asserent. Conf. Dn. Præf. Disp. Inaug. ad L. Æmilius c. 6.
n. 11. cum eleganti refutatione distinctionis inter potestatem absolutam &
ordinariam n. 11. Distingue autem in l. 23. d. sententiam ab exemplò. Nam
an ex Testamento imperfecto Princeps possit capere legata, si heredes ex-
issent ab intestatò, poterit, ni fallor, ex eo colligi, quod habet Dn. Carpz p. 3.
C. 4. d. 41. n. 7. scilicet Principem non posse efficere, ut testamentum coram
duobus testibus minus solemniter conditum, post mortem testatoris
convalescat, cum Jus heredi proximo semel quæsitum sit. Confer eundem
p. 3. C. 28. d. 16. ubi de legitimatione in præjudicium agnatorum. Sed
quid si Princeps se velit suis legibus, quæ talibus, obligare? Hoc non 49
poterit. Obligari enim per modum legis, est obligari per modum
superiorioris. Et de vi coactivâ hoc certissimum, cum illa ex

genere

genere suo requirat distinctionem agentis & patientis. *arg. C. fin. X. de Insti. De vi directivâ breviter notamus, eam quidem dari & dirigere etiam actum Imperantis, quem submitit; Jus tamen dirigendi pendet vel ex jure Gentium si pactò, vel ex sola Principis voluntate, si sine eò subicit legibus Principatum.*

50 Consequenter de clausulâ non mutandæ legis dicendum, quod non habeat vim obligandi præcisè, si legis appendix sit, si verò interpositâ conventionem obtinuit, vel esse intelligendam cum exceptione extremæ necessitatis, vel inferre requirendi consensus popularis conditionem necessariam. De quò tamen si constare nequeat ob magnum partium dissensum. neque moram res ferat, poterit salvò jure Princeps, vel ex majori præfidiò lites altercantium decidere, vel statuere, quod præsentissima discrimina exigunt. Quod in simili statuit B. Hulfem. *in Extens. Brev. c. 20. lb. 12. §. 9.* Ratio, quia non videtur Resp. suâ se culpâ necessariâ majorum medelâ, & tuendi statum facultate privare voluisse. Sanè perniciosum navi foret, si vector ingruente tempestate non posset gubernacula convertere. Quod ex Arniszò *de Majest. c. 7. n. 2.* repetit Carpz. *in L. R. Germ. c. 2. Sect. 10. n. 25.*

51 De lege commissoriâ major difficultas, an se Princeps possit obligare, ut si hoc vel illud non fiat, resolvatur parendi nexus, ipsumque ipsò jure imperium? Clarissimus Boeclerus exempla memorat *ad Grot. l. 1. c. 3. d. 16.* (*V. & Carpz. in Reg. Germ. c. 14. Sect. 5.*) neque putat tales formulas cum absolutò jure regnandi consistere posse. Quò si intelligit splendorem summi imperii externum imminui, ipsamque habendi plenitudinem, nulla dissentendi causa est. Si verò ipsam summi naturam convelli existimet pace viri dixerim, posse contrarium videri. Vulgatum enim est, nullam conditionem impedire principium essentiz contractus. Imò, si rectè judicandum, pura traditio Imperii est, licet resolvatur sub euentu. Jure cons. id exprimunt notionibus conditionis suspensivæ, & resolutivæ, quarum tamen illa principaliter termini naturam sortitur. V. Dn. Gothofred de Jena *Dissert. Theorico Pract. de lege Commiss. lb. 8.* Non obstat, quod talis clausula Imperium faciat temporarium; Nam & de hoc, an summæ potestatis appellatione venire possit, non una omnium sententia est. V. Grot. *l. 1. c. 4. lb. 14.* Neque propriè temporarium est, quod certus eventus tale efficit, qui in potestate erat, quem non necessitas imperavit, sed voluntas, Dices; adstringi tamen Majestatem, & satis esse vinculi, si ipsi

si ipsi limites figat humanum arbitrium. Resp. Id voluntatis erat ab initio, quod autem ex post factis evadat necessarium, hoc inter Gentes constans ratio efficit, seu divina lex mentibus insita. Quæ uti libertatem non impedit, ita nec Imperii summitatem convellit. Non video certè in quo vis major sit, & quasi splendor Majestatis, posse nunquam desinere regnare, an posse cum certà ratione regnum dimittere. Absoluti ratio sub divina lege est. Secunda assertionis nostræ ratio est, quia jus abdicandi non negandum Principi. Licet enim non probet frequens usus abdicationem, dedit tamen non admodum remota exempla, vel ob inclinatum Heroum fortunam, vel sublimem animi destinationem. Argutus in hoc argumento Strada de *B. Belg. l. 1.* & subtili indagine in rationes Caroli V. dignus tanto Imperatore scriptor, inquit, licet ex mente, quod dicit, callidiorum, Si postrema Casimiri Poloniae Regis tempora P. Albertus Ines in sua *Lechiade* vidisset, non sine colore transmisisset illum sceptrorum contemptum. Sed de his plura subjungere, dispendium foret brevitatis. Sufficit nobis inferri posse, cum & ratio & usus recipiat abdicationem simplicem, non posse etiam improbari eventualem, & sic nec ipsam clausulam commissoriam. Observa tamen, ejus verba esse inspicienda, ut quantum Principi liceat, quantum subditis, inde queat defumi. Si non liqueat de translata quadam in populum potestate, vel vindicanti Jus, vel cognoscendi de tali Principis actu propria autoritate, non suaserim, ob publicam tranquillitatem, armis experiri contra continuantem Principem rupta fide Imperium. In stipulationibus enim pro omisso habetur, quod expressum non est *L. 29. ff. de V. O.* Et contra eum facienda interpretatio, qui potuit clariorem cautionem exigere *arg. l. veteribus 39. ff. de Pact.* Imo quod minus est in dubio accipimus *l. 9. ff. de R. J.* vel quod commodius fieri potest *l. 21. ff. de R. Dub.* maxime in materiâ subjectionis, ubi semper præsumptio pro Principe. Neque vero hic corruet actus, aut erunt verba sine effectu. Hunc enim habent, quod conscientiam Principis constringant, hanc judicem constituent, & numen vindex, licet non videantur aliquod belli jus transferre. Hoc ita probabili ratione disputatur, nobis autem nec debent hic, nec possunt simpliciter definiri, ne in illum satis intricatum articulum, de jure abdicandi, impingamus, quod principibus quondam competierit in exemplis Adolphi Nassovii, & Wencéslai, de quibus & Historici viderint & rerum status ignari disceptent. Nos ea decet modestia, quam nulla ad huc rerum experientia suadet, exigit etiam obsequii ratio, quæ non permittit semper loqui, etiam

circumspèctè de superiorum actibus, quatenus scilicet magis optandum, ut in ipsis rerum quam verborum argumentis obtineat justa ratio. Quanquam varia imperii facies, quam subinde commutatæ vices non uno modo colorarunt, discrimina faciat; & aliàs pactionata regna eminenti lege à vulgaribus regulis veniant distinguenda. V. Carpzov. c. 14. Sect. 6. Limm. Tom. 5. ad l. 2. c. 11. p. 61. Tom. 10. ad l. 2. c. 11. p. 63. Boecler Notit. imper. R. G. l. 4. c. 1. p. 62. & 63.

52 Porro de resistendi jure ex pacto cum Principe sunt, qui putant illud apponi posse, salvâ ratione summi Imperii, neque tunc esse retentam aliquam partem Imperii, sed libertatem saltem naturalem, uti vult Grot. l. 1. c. 4. th. 14. Sed licebit hic dissentire. Certum enim esto, Jus de non resistendo actibus, etiam injustis Superiorum, non proficisci ex consensu subditorum, aut cum Principe definitis capitulationibus, sed potissimum præceptò DEI, & immediatâ origine Majestatis. Quæ quidem sana morum doctrina seditiosis nonnullorum vocibus impetita, & invisâ quidvis spargendi sentiendique libidine plurimum exagita: Clarior tamen inter illas nebulas sarrexit; nempè & ultricè flammâ vindicata. (V. B. Hulsem. d. l. c. 20. th. 11.) & voce publicâ contra asperiores linguas asserita; in quò genere mutuis exarsit odiis etiam Catholicorum dissensio, estque & Becani non satis integer sensus à Sorbonâ, & Bellarmini minus bellus de Summa potestate Pontificis stylus, gravissimâ Parlamenti Lutetiani censurâ condemnatus. V. Grammond. l. 1. Histor. Suppositâ hâc præcepti necessitate, porro Jus illud non resistendi superiorum arbitriis, sub notis tamen distinctionibus, non erit sic comparatum, ut illi Princeps tanquam beneficio renuntiare possit. Sicut enim privatus alterius injuriam, nisi objectum ejus in potestate privati fuerit, nequit ita tolerare, ut eam inferentis actum legitimum faciat; Ita illud majori ratione verum erit in Imperantibus. Nequit enim concipi Majestas, quin simul menti se insinuet parendi debitum, quatenus paradoxum est, esse subditum, & tamen esse in possessione non parendi, V. Dn. Ziegl. ad Insit. Lancellos. l. 4. tit. 13. S. 28. Ergo multo minus Summitatem Imperii licebit mente assequi, si aliquid resistendi Jus in Subditò concipias. Nempè, aliquando non obsequi, cum Reverentiâ Numinis jubet, vitus est; resistere autem, quod nunquam jubet, lapsus est à regulâ. Dicendum itaque, si manifestò appareat, Jus resistendi tributum esse populo, tunc esse illum vocatum in partem Majestatis, nec posse amplius Jure meri subditi censerì. Quòd consilium est illorum Principiis, qui posse, minui Majestatem asserunt, & facultatem

cultatem ejus affici. Ziegl. *ad Groi. l. 1. c. 3. §. 16.* posse dividi Boecler. *ad Groi. l. 1. c. 3. §. 16. p. 251. c. 4. §. 14. p. 295. V. & L. 1. c. 3. §. 6. p. 206.* Ipse Grotius *l. 1. c. 4. lib. 13. V. & B. Hulsem. in Extens. Brev. d. l. lib. 11. Carpzov. ad L.R. Germ. c. 14. Sect. 5.* Et illorum fortè non adversum Regulis, qui Romanam Monarchiam dicunt Aristocraticè mixtam. *Conf. Limn. Tom. 1. L. 1. c. 9. Burgold. ad Instrum. P. ac. p. 1 p. m. 255. & sqq. Hun. ad Hunenf. in monit. Imper. & animadvers. in Herimont. §. 2.*

Prioribus novi multos contradicere, estque eorum de non divisibili Majestate subtilis cogitatio, quæ satis arridere potest scrupulosius veritatem exquirenti. Sed vel plurium Imperium ita non est adstruere integrum, vel saltem explicare difficillimum, uti videtur aliis. Nam si in unò residet Majestas, erit quidem indivisa, sed non Imperium plurium; Si autem sparsa per plures quomodo dici poterit indivisa. Sanè mentis intentio, quâ concipio plures ut unum aliquod mutuâ relatione, & nexu legum cohærens, suffi. it ad morale vinculum unitatis, sed non infert ipsam, ut ita dicam inexistentiam realem. Id me puto sine Lectoris fastidiò & bonâ omnium pace adjecisse Dices; Majestatem esse immediatè à DEO, neque posse humanum arbitrium vel addere quicquam, vel demere, aut in ipsam etiam Facultatem ejusdem pertingere. Resp; verum esse prius, utpote non Orthodoxis tantum, sed alias egregiè defensum, quos inter probant communiter Marc. Anton. de *Domin. de Reg. Eccles. l. 6. c. 2. §. 26. V. & Anton. de Rosell. in Tract. de Potestate papali: volum. 30. column. 4. inf. qu. 1. Mich. Ulcurus in Tr. de Regim. M. ndi. Schaller. in Dissert. contra Milton.* Cui connexum & illud de Regio Jure *l. Sam. 8.* concedimus, quod non sit merè usurpativum, vel Tyrannicum, cum non paucis contra plurimos. Hæc inquam concedimus, sed DEUM fingi hac in parte otiosum, admittere non possumus, qui eum, uti in aliis subsidiò communi, ita in Rerump. moderamine immensæ suæ potentix & gratiosæ voluntatis præsidio præesse, dirigere cuncta. Submissa veneratione agnoscimus. Nempe idem qui dedit, dividit & transfert Regna, sociat etiam divisa, stabilit translata. Binis adhuc lineolis de nexu feudali, & precarii clausulâ notabis: Primò illum non satis sociari cum summitate Imperii. Nam præter ea, quæ habet Dn. Ziegl. *ad Groi. l. 1. c. 3. §. 23.* non apparet, quomodo possit, sicut domini in directum & utile distinctio, ita etiam Majestatis ipsius admitti. Precarium adhuc majori ratione abesse ab Imperii rationibus advertes, si repetieri ex titulò de precario, illud tantum transferre usum in alium, & quidem obnoxium libe-

re revocationi, de in possessione. n. naturalem, non civilem. V. B. Brun. ad tit. ff. de Precar. l. 2 § 15.

55 Hæc præter intentionem de legibus creverunt non satis connexè. Unde nec adderemus de contractibus, nisi contra promissi rationem foret. Ergo observabis, & à ratione Juris, & ab ingenuâ veritatis professione, & Principum dignitate eos abesse, qui somniant, Principem contractibus solutum. Patefacere aures tam subdolis vocibus eò minus Principem decet, quò est utilius eas nunquam assentantibus concedere. Si juramenta sunt verba Principum, quod robur habebunt contractus? Si probrosum fallere fidem in privato, quid in Principe juris erit? Faciunt sanè, qui ita sentiunt, si qui serio sentiunt, ut Principem habeant, in quo nihil desiderandum sit, præterquam quod Princeps non est, quem formant; cui sub nullitatis lege quodammodo connexum est, nosse se, uti superiorem subditis, ita infra immortalis DEI præcepta. Nec ad rem pertinet, quod Principis contractus pro lege habeantur ex l. penult. C. de donat. inter Virum & Uxor. Nam hæc de solennitatibus sunt intelligenda, quas supplet præsentia Principis. V. Reinking, de Regim. Secul. & Eccles. l. 1. Claf. 1. c. 5. n. 58. vel arguunt perfectionem talium contractuum, nulla ratione temerandam.

46 Sed omnia Principum Jura hic excutere non convenit proposito. Dimittet lectorem caput, exposita subditorum obligatione, quam putamus jure imperii non impediri in genere. Ratio, quia gentium jura non adimit, sed stabilit jus regnantium. Veniunt autem contractus, ex his
57 deinde obligationes, ex gentium jure §. 2. Instit. de J. N. G. & C. Excipe primò venditiones, quatenus vel imperantur aliquando, vel ipsæ certum pretium imponitur ob utilitatem publ. Dn. Brun. ad L. 1. ff. de Offic.

58 præf. prat. n. 20. Secundò collegiorum usum promiscuum; Sunt enim
59 regulariter prohibita l. 3. §. 1. p. ff. de Colleg. Tertio specialius jus protectionis, seu defensionis petendæ, quod non procedit illimitatè seu ex regula. V. Reinking, de Regim. Secul. & Eccles. l. 1. Claf. 5. c. 4. §. 49. seqq. Lim. Tom. 1. J. P.

50 l. 4. c. 9. n. 78. 79. & seqq. Quarto fœdera inter se mediatorum municipiorum, nisi vel præscitu domini fiant, vel absente Domino in præsentissimo discrimine. v. plura apud Limn. ad A. B. C.

15. §. 1. Obs. 5.

CAPUT II.

De

Jure Hominis in Animam.

S U M M A R I A.

Connexio n.1. An detur aliquod effectu juramentorum 18.19. Quomodo sequatur naturam actus 20.21. & 22. In animam Jus 2. Juramenti definitio varia 3. De juramento per falsos Deos.4. Observatio Sagundez 5. Rejicitur juramentum per creaturas 6. Rationes 7. Quid jus civile sequatur, & ex parte Canonicum 8. Explicatio verborum Christi Matth.5.9. An conveniat Christianis juramentum 10. Ratio dubitandi 11. Affirmatur cum rationibus 12.13. Agitur de mente Patrum 14. Salvatoris 15. Respond. ad rationes dubitandi 16. De formulis aliquot juramentorum 17.18. De juramento in alterius animam 17. De intentione jurantis 23.24. De votis in genere 25. Licet votere 26. An vota sint cultus 27. Qui possint votere 28. De filiis familias 29. De conjugum votis in genere 30. De voti circa reddendum debitum 31. De commutatione votorum 31.32. De irritatione eorundem 33. De jejunio connexio 34. Requisita jejunii legitimi 35. Divisio 36. Si aliquod jejunium prescribat Ecclesia quid juris 37. Resp. sub distinctione.

ESt anima nostra illa pars hominis, de quâ humani generis Servator **DEUS** Matth. 10. & Luc. 12. præcipit, eum esse timendum, qui animam perdere potest, non verò magnò opere formidandos, qui cum corpus occidunt, Animam nequeunt; Est inquam illa pars, cujus scædus cum ambiret **DEI FILIUS**, fieri homo debuit, & cruentatâ purpurâ à devictis prostratisque hostibus sponsæ suæ amores consequi, solo amoris usus argumento. Quod satis evincit, non esse quicquam Juris in suam animam homini, nisi quatenus illud cœlesti indulgentiâ concessum. Et est concessum aliquid, cum tam insigne talentum, propter quod omnia alia talenta, non velit otiosum esse, qui dedit. Unde nascitur non una dubitatio de juramenti, an liceant, & sub quibus notionibus, de votis, jejuniis, utrum-

cum Reip. Christianæ libertate consistere possint, & quâ ratione, Quisvisuri breviter ac primò quidem nonnulla de juramentis, illorum naturam, & requisita exponere jam aggredimur.

- 2 Juramentum autem est religiosa asseveratio legitimè facta per invocationem DEI in testem Struv. *Exercit. 17. th. 1. n. 2.* vel invocatio DEI DEIQUE NOMINI. in testimonium veritatis illius rei, quam affirmamus, vel negamus. Fagund. *in preceptis Decal. l. 2. c. 1. n. 2.* vel ex conceptu generico cultus divinus secundum D. Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 13. th. 1. Observ.* vocatur etiam religio L. II. C. Si certum L. per. videamus 4. §. 1. ff. de in litem Jur. Sed hæc diversitas sententiarum, cum fere rem ipsam & quæ commodè explicant, non detinebit festinantem. Sequitur autem inde primò, Juramentum per falsos Deos non obligare ex vi Juramenti. Intentio enim erronee jurantis, non efficit ut DEUS sit, quem invocat DEUM, neque unquam in casu vero operatur fictio idem, quod veritas; seu, uti hoc Fagund. declarat; Ad valorem Juramenti requiritur, ut res per quam juratur sit in se sacra, & non in existimatione hominum. Est enim juramentum actus religionis in se sumptæ, & non in existimatione hominum. Clarius, juramentum est species divini cultus, invocatio infallibilis judicis, & vindicis severissimi. Quomodo autem vel idolum infallibilis Judex, aut impius de DEO sensus vera religio? Consentiant hic Molina de *J. J. disp. 574.* Lessius *l. 2. de J. & J. c. 42. n. 5.* Tenebitur itaque Ethnicus ex conscientia erronea, quæ habet vim obligandi sub eâ, quâ concipitur ratione V. Struv. *Exer. 17. th. 5.* Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 13. th. 12.*

- 4 Cæterum quod Fagund. habet *l. 2. c. 5. inf. V.* & Molina *l. 2. Manu* Judæos, & alios qui verum Deum agnoscunt mundi Creatorem, capaces esse obligationis juramenti, cum quælibet existimatio de vero DEO sufficiat ad colendum eum per juramentum, aliquo saltem imperfecto modo, uti putat, plane sentire Paulum ad *Rom. 1.* de eò constabit inter Theologos. Volenti autem curiosius vestigare dabunt cogitandi ansam B. Hulsemani verba in *Extens. Brev. c. 2. th. 2.* Finis & effectus cognitionis naturalis tum ex intentione DEI, tum ex intrinseca facultate notitiæ est, ut homines creatorem glorificent, ulterius inquirent, & contemptores inexcusabiles fiant. Sequitur secundo non esse licitum juramentum per creaturas, sive id fiat relative, quatenus nimirum in illis splendet DEUS, uti hoc explicat Fagund. *l. 2. c. 1. numer. 17.* sive absolute, sistendò in creaturis, quale deferri in cælo regnantibus Angelis & sanctis à Pontificiis

ciis, asserit Amef. *de conscient. l. 4. c. 22. num. 2.* conferatur tamen d. L. Fagund. & Zoef. *ad Tit. de jurej. n. 15.* Probatur assertionis primum membrum, unde concludi contra alterum fortius poterit; quia talis restrictio eruditorum est ignota plebeis, nec per se satis explicabilis. Splendet enim in omnibus DEUS, quatenus vel laudis divinæ materia sunt; vel nos jubemur cuncta referre ad eandem, *Coloss. 3.* Ergo vel per res etiam vilissimas jurare licebit, quod tamen diffitentur, vel per nullas unquam creatas. Nec id satis vero consonum, quod sufficere ordinem natura rebus insitum existimant, licet non cogitetur à jurante. Quomodo enim invocabit DEUM, de quò nec expresse cogitat, nec implicite? & quomodo jurabit, si non invocat, si non veneratur Numen? Plenissima hæc sunt periculosarum vocum, latet hic aliqua impia metaphora translatai divini honoris in creaturas. Nam & hoc scio, qui per aliquem Sanctorum jurat, maxime ignarus & rudis illius restrictionis, ut seponam illam dubitationem de absoluta invocatione jurantis, illum hanc venerationem imputare pro sua simplicitate sanctitati ejus, per quem jurat. Ut taceam satis esse etiam verba incommoda, & vi sua gignere nimis duram catachresin. Jurare enim per aliquem est vel invocare eum, vel sub ejus invocatione religiosa asseverare actum. Et hic non parum ex iniquè traxit civile Jus V. Struv. *Exercit. 17. lib. 8. & C. tibi Domino Johanni dist. 63.* Quantò vero religiosius *C. 9. C. 22. qv. 1.* contra clericum fulminat, & *cap. etsi Christus X. de jurejur.* negat, per creaturas jurari posse. Quæ velle contra morem Ethnicorum interpretari, quod facit Lessius *l. 2. c. 4. 2. dub. 3. n. 16.* est luci nebulam offundere, & legis sententiam circumvenire contra *L. 29. & 30. ff. de LL.* Ex cap. autem alleg. *Etsi Christus ad Matt. 5. v. 33.* responsio peti poterit. V. Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 13. ad th. 11. Dn. Struv. Exercit. 17. lib. 7.* pulchrè Rivet. *in Explicat. Decalogi Exod. 22. v. 7.* De obtestationibus civilibus confer D. Bald. *de Conscient. Casib. l. 2. v. 9.* Nobis enim non licet prolixius immorari argumento alterius cathedræ.

Cæterum ex dictis multorum sunt otiosæ observationes de juramento per paleam, per barbam &c. quid juris sit, si simpliciter memorentur; quid deinde, si addatur in obliquo DEUS; v. g. juro per hunc aërem, per hanc paleam DEI. Item si Monachus juret per habitum D. Francisci an vim ac naturam juramenti talis formula habeat, an si Monachus dicat, per hunc habitum, quem gerò &c. Quæ sanè steriles sunt quæstiones, & non nisi talia trudent.

Acce-

- IO Accedimus nunc ad controversiam, cujus causa dicta præmissimus, & quæ nobis exhibet aliquod hominis jus in animam, nimirum an Christiano licitum sit jurare? Dubitandi ratio est, quia juramentum spirituale vinculum est, quod DEI judicium, & severam vindictam invocat. V. Tabor in *Barb. locupl. lit. I. c. 93. ax. 7.* Est spiritualis tortura. Reinking. de *Regim. Secul. & Eccles. l. 1. d. 3. c. 9. n. 52.* Non licet autem in animam, quod implorat vindictam, quatenus videndum potius, ut suo Domino reddatur, quam exponatur alienæ servituti, & revellatur à primi regnantis imperio. Novimus etiam & hoc, non haberi semper in numeratō conscientiam, excidere multa, alia non satis pensitari, eoque quod in æstimatione jurantis fulget, non probari statim discretionē Judicis, qui interest
- 12 cunctis, ipsa etiam examinat momenta. Verum suppositis iis, quæ de naturâ juramenti adduximus, insuper quæ de comitibus juramentorum, veritate, judicio & justitiâ ex *Cap. Etsi Christus, & Jerem. 4. v. 2* latius exponi solent, affirmans sententia verissima, eamque divina religio omninò recipit. Et cur non reciperet, quæ juramentum novit esse partem divini
- 13 cultus, cadere supra materiam debitam: procedere ex honestō motivō, & respicere debitum finem. His enim absolvitur honesti natura, nec quod his definitum limitibus est, defectus alicujus aut malitiæ postulandum. Qui ergo novos quærunt, viderint, ne ipsius DEI justitiam laceessant; juravit enim V. Fagund. *l. 2. c. 5. n. 15.* jurarunt sancti, angeli etiam Rivet. *explic. Decal. Exod. 22. v. 7.* Nempe eos petimus, quos impius error agit & firmat in contrario sensu præfracta obstinatio, & fallit aut fefellit unquam præsumptio, aut prurigo novitatis. V. Hulfem. *extens. Brev. c. 22. th. 14. inf. D. Gerhard. locor. Theol. Tom. 3. c. 1. Sect. 9. memb. 2.* Si piis hic exciderunt incommodius dicta, revocari ad Analogiam fidei possunt, & habent veniam
- 14 Fraternitatis jure. Quod de nonnullis Patrum licet asserere, fatent etiam Suarez. *l. 1. de Juram. c. 4. n. 15.* Faciunt huc verba Cypriani allegata à D. Chemnitio in *Exam. Concil. Trident. ubi de traditionibus agit p. m. 73.* *Si quis de antecessoribus vel ignoranter vel simpliciter non observavit, & tenuit, quod nos dominus facere exemplo & Magisteriō suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentiâ Domini venia concedi. Nobis vero non poterit ignoscere, qui nunc à Dominō admoniti & instructi sumus: Qui dum instituit in futurum, quid facere debeamus, de præteritō ignoscit, quod simpliciter erravimus &c.* Hæc inquam commonē reponi possunt arguentibus contra veritatem nostræ assertionis ex Patribus; non est tamen necesse secundum Suarez. *d. l.* qui dicit; Patres eos refutasse, qui juramentum affectandum esse

esse dixerunt, juxta illud, qui bene (i. e. multum) jurat, bene credit; minus etiam secundum D. Osiandrum *ad Grot., l. 1. c. 2. ad 1b, 9, Observ. 3.* qui abstinentiam à juramentis Christianorum priorum fuisse præcepti non consilii asserit, ne cogèrentur scilicet per idola jurare; Nam & per salutem Principis jurasse, quod explicat Rivet, *d. l.* Non dices, recessum esse ab antiquis tabulis in novo sedere, quod perfectiorem viam ostendat. Moralia enim veteris Testamenti abrogata non sunt, & tantum abest, ut Christus Salvator tollere legem voluerit, ut potius expressè fateatur, *Matth. 5. v. 17.* quod venerit legem non solvere, sed adimplere; & minimum futurum in regnò cælorum, qui unum de mandatis illis minimis solverit & docuerit sic homines *v. 19.* Ergo dum dicit, omninò non juratis, vel ut Suarez, alleg. probat, significare voluit per quascunque formas, quæ sequuntur, jurandum non esse; vel improbare levitatem jurandi, aut temeritatem Pharisæicam. V. Balduin. de *Casib. Consistent., l. 2. c. 9. c. 1.* Conjungatur his eleganter Struv. *sepius d. exercit. 1b 3.* Zoel. *ad tit. de jur. c. 1. n. 2.* Ad dubitandi rationes facilis est responsio, procedere illa de perjuro, quem vel impium lucrum, ut in vanum DEI nomen duceret, vel contemptus religionis, aut causa alia extimulavit; non de eò, qui ut calculum veritati daret, vel fidei vacillanti subveniret piè juravit, & servavit juratum. Velle autem naturam rei ex eò, quod accidit ex iniquo metiri, & quæ turpis usus depravat, proscribere ex societate humana, non patitur regula sanæ rationis, imò terminorum sapit fallaciam. Si tamen quid desideras amplius, si quis timor implicat mentem, aut quâdam Numinis reverentia fatagis esse meticulosus, indulgeo (non tamen concedet, ubi res exigit, judex) illud ex Augustinò, uti allegari solet; *Falsa juratio exilis est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secunda est. Sed conf. l. 8. pr. ff. d. condit. Instit.* ubi remittitur apposita jurisjurandi conditio.

Vidimus an Christiani mores reprobennt juramenta; Nonnulla etiam de formulis. Quod tamen adhuc ulterius pertextere . erit operæ pretium. Omittimus enim, quæ de divisione juramenti ex civili jure solent passim exponere Doctores, quos inter consuli poterit Schneideyv. *ad § 11. Instit. de Actio.* Et quæ apud alios occurrunt in genere de juramento assertorio, & promissorio, cujus exempla nempe quatenus & comminatorium comprehendit, de quo V. Sanders. *de juramenti Oblig. prælect. l. §. 9.* sacris reperies *1. Sam. 25, 22. Act. 231, 12.* Item, quæ prolixius expendunt de juramentis nudis & execratoriis. Hæc inquam omittimus, nisi

quatenus etiam de execratoriis formulis breviter quædam annotanda sunt. Nimirum & nobis quandoque, & nostris solemus imprecari jurato mala. Perdat me DEUS, dispaream; Hæc mihi faciat DEUS, hæc addat; per salutem meam, meorum, per meum caput, meorum. Conf. Dn. Pufend. l. 4 c. 2. 33. De quibus notamus primò, non videri omnibus tales formulas efficere juramentum propriè dictum: Quod observat Dn. Ziegl. ad Grot. l. 2 c. 13. §. 10. quem intelligimus de casu, quò simpliciter res charissimas nobis ad confirmandam fidem devovemus. Nam si Numen invocetur animò jurandi, & res talis illius severo judicio subjiciatur, quin dici possit talis asseveratio juramentum, non dubitamus, & consentiunt plurimi. Non repugnat enim in obliquo creaturam addi juramento, ut in illa ultionem potissimum divina justitia expetat. Secundò arbitramur, non esse confundendas execrationes, & obtestationes civiles, neque eundem fortiri modum explicandi. Nam in his non comprehenduntur dicitæ, nec explicandæ vi verborum præcisè de maledictis: Quod repetes ex Autoribus supra allegatis de juramentis. Quamvis diffiteri nequeam implicite semper latere, ac intimè involvi, si non repugnet omnino verborum contextus, aliquid maledictionis, etiam in obtestationibus jurantis. Nam qui jurat per caput suorum, vel salutem eorum; per suos filios &c. potest rectè explicari, quod rem illam, quam asserit, ita veram testetur, sicut chara ipsi vita familiæ &c. Qui autem testatur cælum & terram neque expressè neque implicite illas DEI creaturas subjicit vindictæ divinæ. Undè, quod ajunt, in omni juramento invocari DEUM testem, & judicem, id verum est respectu jurantis, si perjurus fiat, non in obliquo adductæ creaturæ. V. Fagund. l. 2 c. 4. n. 5. quæ dicta non de execratione & obtestatione simplici, sed quam invocatio Divini Nominis comitatur intellecta volo. Notamus tertio, nec in simplici obtestatione, aut execratione, nec in religiosa communiter esse adhibendam particulam per relatam ad creaturam, ex Ames. l. 4 c. 22. qu. 3. n. 16. Quamvis enim dubia verba reum non faciant, si mens integra fervetur, & suorum quilibet verborum interpres sit; attamen & in illis vitanda mali species, nec unquam simplicius aut verecundiùs loquendum, quam cum DEO, maxime ubi induci in errorem proximus poterit. Porro nec consultum puto, si & consonum satis regulis Christiani moris est, jurare per salutem, per vitam suorum. Cur enim non juratur per propriam. Sit sanè chara tibi tuorum salus, sit dulcissima proximorum vita; Obligandi tamen eam DEO, quod fieri tali verborum conceptione, mens Augustini est, alle-

allegata Dn. Pufend. *l. 4. c. 2. §. 3.* potestas non est, nisi desuper data. Tabulæ verò concessionis non satis ostenduntur. Si enim perjurus fias non servandò juratum, provocasti divinam nemefin, laceravisti consumentem ignem, qui nulli parcat delinquenti. Quomodo autem provocare potuisti, ut tua delicta puniat in aliis justitia? Sanè nisi omnes essemus rei, nunquam se effunderet pœna in alios ob contumax delictum aliorum. Imò præstabat exorare benignissimum Numen, ut parceret tuis, neque imputare tua delicta aut pœnam eorum posteritati. Si tamen jurasti per tuorum salutem, transgressor factus juramenti, aut senties ipse vindictam, aut ex clausula illa justissima appendice divinorum præceptorum tui senties, tu in illis, vindicantem malitiam DEO, Jure suo, nullò tui arbitriò. Non improbo itaque tales formulas absolutè, si alii non rejiciunt. Nam & antiquos Christianos quondam novi per salutem jurasse Imperatoris, de quo Conf. Rivet. *l. alleg. supra*, & est aliqua prosperorum societas ac participatio inter liberos & parentes; quæ sic posset oppignorari; insuper quoq; de obtestationibus non juratis remissius sentiendum. De particulâ per jam habes singillatim.

Ceterum in illis clausulis in conscientia, in fide, in fide Nobilis, sub fide Regia, non latere naturam juramenti, volunt Lessius *l. 2. c. 42. n. 6.* Zœf. *tit. de Jurej. n. 13.* latè Fagund. *l. 2. C. 2. n. 15. §. 16.* Non enim hic divina fides, sed humana fidelitas allegatur. Temperat tamen hoc ex Mev. & Carpz. Dn. Struvius *exercit. 17. lb. 11.* nempe factas sub fide illustri vel nobili obtestationes, ubi juramenta non præcisè exiguntur, quoad firmitatem promissionis æquipollere juramenti. Subtilis hic Mendoza allegatus Fagund. *l. cit. n. 16.* asserens, si plebejus sub fide bona promittat, cum qvalitatem personæ non habeat, per quam juret, promitti juratò; secus si vir nobilis. Verùm nulla ratio subtilitatis, nulla hic concludendi vis est. De verbo, juro, simpliciter prolato, cum analogum sit, secundum dialecticum rigorem in famosiori significato accipiendum esse, Svarez. *Tom. 2. l. 7. de juram. c. 3.* notat, cum aliis plurimis: Sed usum esse ambiguum, & respiciendum ad circumstantias & intentionem jurantis. Quod non videtur reprobandum, cum & Dn. Struvius *alleg. l. 1b. 12.* ex plurimis affermet; firmulas; an *Endes statt/ an recht geschworenen Endes statt/* esse tantum firmiorem assertionem, non juramentum propriè, nisi mente ipse DEUS hâc formulâ verbis prolata invocetur, ubi erit juramentum minus solenne, qvalem limitationem in verbis certo certissimè adfert Zœf. *d. num. 14.* Cujus rationem

suppedito, quia verba priora possunt accipi de effectu, & ad juramenti valorem vel a DEI veneratio requiritur, exferens se secundos actu. Ex dictis sequitur, quid judicandum sit de formula bey meiner Seele / bey meiner Seelen Seligkeit/non posse eam, si fiat deliberato, & res exigat juratam fidem, improbari; ubi tamen solenne juramentum exigitur, in foro exteriori non habebit eundem effectum cum solennibus. Sicutidem de formula; bey Gott/exponit Carpz.p.2.Const.16.def.6.item de formulâ, beyrn Worte der ewigen Wahrheit/ per quam intelligit cum Luthero & aliis Verbûm Patris, Quod limitat, ut fiant solennia talia juramenta per adjecta ex solennibus juramentorum receptis in imperio: So wahr als mir Gott helffe / und sein heliges Wort. Nota tamen, qui per animam jurat, eum non jurare per creaturam, sed potius directe invocare DEUM vindicem Animæ. Cui ratio moralis non obstat. Nulla enim hic vel injuria, vel jactura animæ à juramento metuenda, sed à perjurio; quod qui committit parum interest, ultrices DEI flammæ expetierit, nec ne. Nam comprehendent etiam invitum: Et qui delinquit consentit in peccatum. Dixeris; venia potius exoptanda esset. Respondeo, non utimur veniâ ad peccandum nec indulget futuris DEUS gratiam Sequitur autem juramenti actum perjurium. Nunc porrò evincendum, jus esse hominî suam animam per alium præstito juramento obligare. Quæ sententia multis displicet, quorum causam agit & suam Justus Oldekop. in *Dissert. Juridico-Polit. de jurejurandò in alterius animam*. Qui rem voluerit expendere curiosius, separabit puncta controversiæ; & civilis juris momenta, & quid Gentium jura permittant, tum mandatari cautiones distinctè ponderabit. Nos primâ prætermittâ quæstione dicimus breviter, non prohibere dictamen connati juris, quod intendit Oldekop. Ratio, quia juramentum est comparatum ad hoc, ut inducat firmam obligationem. Obligatio autem non requirit præcisè verba, sed signis & nutu contenta est: Imo quandoque ex præsumpta etiam ignorantis voluntate nascitur per L.2.ff.de *Negot. gest.* Et qui patitur fieri negotium, mandare videtur L.8.ff. *mand.* Cujus ratio, quia non forma signorum obligamur, sed oratione, quam exprimunt arg. l.38.ff. *de O. & A.* Ut sic maximè literæ, quæ signis pressè acceptis & nutu sunt certiores, proficiant ad obligationem validam; Nec minus subsistat, quod scripturâ, quam quod vocibus linguâ figuratis significatur per d. L. Quæ quidem ex civili sanctione derivata, sapiunt tamen ipsos naturæ fontes. Ut mirer Scholasticorum hic triplicem sententiam, quorum nonnulli in valentibus proferre verba, eadem

dem requirunt ad juramenta; alii simpliciter verba ad substantiam desiderant, plurimi communiter nulla. Cum quibus & nos porro, cum juramenta ex nulla ratione, quæ ostendi possit abunde, exigant verba, pronissima sequelâ inferimus, fieri posse per alium. Sed secundum argumentum strictius petet dissentientes. Nempe aſtimatione morali, qui per alium quid facit, ipse videtur fecisse, non tantum ratione quærendæ obligationis, sed ipsius etiam reatus. Quod civile jus ex parte cum discrimine recepit, longe tamen laxius dictamen rationis. Dices, excipi personalia, & ubi aliâ personæ industria electa est, non esse locum substituto. Juramentum autem esse personalissimum. Resp. id tantum verum esse quoad vim perjurii. Secundò & personalia expediri per alium posse, exemplo matrimonii ex *c. de procurat. in 6.* Dices secundò, hic subesse specialissimam rationem invocationis scilicet religiosæ, quam ita nequeas vicariò munere expedire, sicut aliena salute nequis beati. Respondeo. Probè advertendum est, juramentum non esse ita comparatum, ut affectandum sit tanquam simpliciter intenta veneratio cœlestis veritatis. Novimus enim ex *Syrac. 23. 12.* repleri iniquitate virum, qui multum jurat, & si cessaret controversia inter homines, non fore locum juramento *Heb. 6. 16.* In terminis ajunt, juramentum non appeti in thesi, sed hypothesi debitæ necessitatis. Oſiand. ad *Grot. l. 2. c. 13. sb. 1. obs.* Esse cultus speciem secundæ intentionis DEI, non primæ. *Fagund. l. 2. c. 1. n. 18.* Hæc, dum aliquam diversitatem innuunt inter alias divini cultus species & juramentum, arguunt, non posse hic strictè concludi ex regula parium. Deinde nego invocare illum, qui jurat per alium. Hoc enim esset, non jurare simpliciter. Non retinent, aut impediunt divinam vel vindictam vel scientiam locorum intervalla. Ubi que Numen præsens est, neque à veneratione ejus ulla distantia loci volentem removebit. Non tamen necesse est, ut fingamus concurrere tunc eum actu mentis explicito, qui per alium jurat, cum juratur. Nam de illò articulo temporis quomodo ipsi constabit; Sed sufficit, quod sit affectu, qui permanet, semper præsens. Novimus enim, non tantum verbis aut suspiriis adorari Salvatorem nostrum, sed tota, ut ita dicam, mentis habitudine, quam penetrat, quam inspicit, exigit etiam acceptat potissimum. Imò & hoc recte dici posse putem, quod eò momentò, quò committitur alii jusjurandum, qui commisit, jam jurarit, si seriò commisit, nisi forte ipsam consummationem, & quasi plenam obligationem ad externum actum præstationis referat. Quod

qui fecit, ut si succurreret circumstantia, quam hic & nunc ignorat, revocare posset mandatum, religioſe cogitavit: Qui autem expedita veritate fucum facturum, interim cum ſua adhuc luſtando conſcientia, & perjurii metu, committit tremulò judiciò negotium religionis, graviter peccat, remiſſiori tamen gradu perjurii, ſi revocet ante completum ab alterò actum. Inſtabis; Si ita, qui mandavit jurat, fruſtra jurabit procurator, & ſterili ſonò verba dabit. Reſp. invocat non in ſuam animam, ſed alienam, non facturum teſtificationem veritatis DEO, ſed homini, cujus conditio exigit externa ſigna. Suademus tamen ex mente Dn. Puffend. *l. 4. c. 2. num. 16.* non frequentanda talia juramenta, & conſultiſſimum eſſe quandoque, cum receperint mores gentium ſolemnibus quibusdam ceremoniis anguſtiora reddere juramenta, ſi res magni momenti ſit, ut vel expectetur preſens, vel in loco domicilii v.g. abſens præſter juramentum Conf. ſic opinatur no Feltmannus in *Tr. de Jurej. in alterius animam*, ubi examinat argumenta contraria, quem etiam brevitatis cauſa conſules in iis, quæ obſervanda ſunt præſtanti alterius nomine juſjurandum *c. 3. V. Zoef. iii. de Jurej. n. 42.* Sanè tamen ſpeciale mandatum requirimus V.B. Brunnem. *ad iii. ff. de Jurej. l. 9. n. 4. Fag. l. 2. c. 22. n. 19.* Cæterum ex dictis de non requiſita neceſſitate verborum ad juramenti valorem concludit Fagund. *l. 2. c. 1. n. 7.* Qui ſubſcribit chartam, in qua continetur juramentum, eum cæteris paribus jurare: Et inferimus nos ex Dn. Präſid. *D. Tr. de Jure Senſ. diſp. 4. c. 4. n. 27.* nuntium ex accidenti jurare poſſe in ſcriptis, nec non ſolò nutu, & externis ſignis; ſi hæc certa & indubitata ad ſint *n. 30. 31.* Ex quò duo adhuc notamus, ad juramentum non requiri neceſſario verba, ſi de juramenti præſtatione & prolatione agatur. conceptionem tamen verborum utique de ſubſtantia eſſe. Secundò, ſi ſpecialis ratio prolationem verbalem forte requirat, poſſe aſſum in muti animam jurare *d. l. n. 41. & 44.* Quæ de juramento in animam alterius dicta ſufficiant.

18 De effectu juramentorum condigne exponere, majoris otii labor eſt, nec tam anguſtis pagellis includi poſteſt. Communia hic recitantur ex doctrinâ Juſſi Brocardica; obligare juramentum ad unguem, eſſe implendum in formâ ſpecificâ, demonſtrare conſenſum ſpecialeſ; habere vim clauſulæ, omni meliori modò Conf. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccl. l. 1. c. 3. c. 9. n. 46. 47.* Habere vim expreſſi caſus, ſi de eò cogitari potuerit; ſupplere ſolemnitates rei excludere pœnitentiam, ut in contractibus innoſmihatis V.B. Brunnem. *in queſt. ad tit. de jurej. qu. 38.* ubi reperies plura, cui addatur Seraphinus de Seraphinis in *Tract. de Privileg. Jurament.* ubi

tibi prolixè hæc omnia prosequitur. Quò & referri possent, quæ nor-
 mam interpretandi juramenta concernunt. De quò V. Sanderf. *de Oblig.*
Juram. prælect. 2. & 6. specialior effectus est, quòd lites finitæ juramentò
 voluntariò & Judiciali nec prætextu perjurii, neque ob instrumenta no-
 viter reperta retractari queant, secundum *L. admonendi 31. ff. de Jurej.* Quòd
 asserenti jus suum juramento, detur actio prætoriana §. ii. *Instit. de Act.* Quæ
 partim notissima, partim sub certis restrictionibus capienda, quas qui
 voluerit aliquot lineolis expendere, fecerit infra materiæ dignitatem;
 nec satis fueris prosecutus Jus hominis in se ipsum. Illud meretur hic
 adduci, quòd allegant de juramentò, sequi illud actus naturam; cui ac-
 cedit, ut qui juravit se voluntatem ultimam non revocaturum, possit ni-
 hilominus, si voluerit, cum ambulatoria hominis sit voluntas ad mortem
 usque, nec sibi quis eam legem dicere possit, ut ei non liceat à priori arbi-
 trio recedere *l. 22. ff. de leg. 3.* Quòd de civili jure verum esse largiuntur
 communiter, estque eò certius, quo obscuriora sunt verba *L. 2. C. de R. C. &*
Jurej. & ultra naturam actus extensæ obligationis juratæ rariora exempla.
 Confer tamen *L. 41. C. de Transact.* & ad eandem B. Brunnem. Item *amben-*
ricam Sacrament a puberum C. si aduersus venditionem. Verum de eò non
 leuiter ambigitur, an quòd obtinet civili jure securam reddat conscien-
 tiam. Quòd Dn. Struy. *Exercit. 32. th. 38.* distinctè accipit. Si enim quis
 juret, hanc esse suam ultimam voluntatem, eum posse licite revocare testa-
 mentum. Si verò juret, se non revocaturum, non fieri sine peccato revo-
 cationem, præsertim secundum Jus Canonicum. Prior casus habebit
 rationem ex eò, quòd intelligatur juramentum, permanente rerum statu, si
 tamen qui juravit tacita destinatione non præcidit viam ad aliud supre-
 mæ voluntatis elogium divertendi. Posterior sine dubiò verissimus. Res
 enim licita juramento promittitur, quòd seruandum semper, cum potest si-
 ne dispendiò æternæ salutis, *c. quamvis de pactis in 6.* Faceffit saltem cogi-
 tanti negotium Molinae distinctio *Disp. 151. n. 24.* quam sequitur Dn. Struy.
d. l. & adducit Zoef. *d. Tit. ff. de Injustò Test. n. 28.* estque à plurimis recepta;
 Nempe revocationem ipsam subsistere, & posterius Testamentum esse
 jure conditum, licet perjurus fiat, qui illud revocavit. Actum enim
 testandi suapte naturâ, & civilis Juris dispositione esse revocabi-
 lem, neque Juramentum ferri supra testandi actum, sed su-
 pra promissionem, neque transire illum per juramentum in
 aliam speciem actus. Quòd illustrat exemplò ejus, qui de-
 dit

dit mandatum juratō & revocat. Secundō, ejus, qui alicui rem vendit cum Juramentō de eādē alteri non vendendā, & vendit nihilominus, traditque alteri. Aliud exemplum lege apud Zoel. *alleg. L.* Eō, nisi fallor, reduci quæstio poterit, an, qui revocavit testamentum contra Juramentum, teneatur illud iterum infirmare, an vero possit sine continuatione perjurii relinquere in valore suo? Respondeo primō, non pertinere hūc disquisitionem de civili jure; nam illud in actibus permissis non facere securam conscientiam, constat. Quid requirat Religio, & vis juramenti ex se, ut queat dilucidē proponi, præmittendum, in juramento promissorio vel confirmatorio esse obligationem unam respectu Dei, alterum respectu Hominis *V. Mol. disp. 150. n. 2. Fagund. l. 2. c. 18. n. 1.* Seu, uti habet *Sanders. de Oblig. Jur. c. 1. n. 13.* In juramentō promissoriō alia est obligatio, quæ cadit supra conscientiam jurantis, & obligat ad dicendam veritatem, ne ducatur in vanum Nomen DEI, quæ ipsi cum assertorio communis est; Alia, quæ cadit supra materiam juramenti, vi cujus tenemur non tantum in præsentī intendere aliquid, sed de futuro etiam præstare, quod intendimus. Jam concludo; Actus juramento promissorio deductos in obligationem, si sint permanentes, vel iterabiles per se aut per æquipollens, in fallente fidem juratam continuare perjurium. e. g. qui recusat dare promissum, committit perjurium, si cætera concurrant, & quam diu non implet sed refutit promissam fidem continuat idem perjurium. Ratio, quia manet in affectu peccandi contra juramenti fidem, quam diu durat debendi nexus & non reddendi voluntas. In terminis non admodum dissimilibus solent dicere; non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum *6. P. scarum de R. 7. in 6.* Unde infero porro, qui jurato promissit heredi, in suo testamento instituto, se non revocaturum illud si fallat, teneri illum ad rescindendum posterius testamentum, & restituendum prius aut alias satis faciendum promissario. Et inde, cum *Molina*, uti eum *c. 1.* adduximus etiam sine acceptatione nasci validam obligationem in F. C. asserat, judicent alii, an consequenter satis in proposita dubitatione affirmativam sententiam teneat Vir aliàs acutissimus. Sed addit pulchram limitationem *n. 15. d. disp. V. Lessius l. 2. c. 19. dub. 8. circ. f.* Addo denique & hoc, si votivè concipiatur juramentum additum testamento, ut in eō res aliqua certa destinetur pio corpori &c. tunc posterius testamentum non posse subsistere salvā conscientiā Testatoris. Quod non dices semper evenire, si quis jurejurandō confirmet testamentum. Nam non promittitur in

testamento

testamento directè DEO , sed homini , neque etiam, nisi methaphoricè dici fidejussor DEUS poterit , sed gaudet munere judicis, vindicisque. Quid autem verum sit præcisa obligatione, aut sententia illa Molinæ de non requisita acceptatione, in præsentia non vacat determinare. Est enim quæstio, quæ implicat, aut explicat etiam nimis conscientiam. Aliquam tamen differentiam inter actus revocabiles, & non revocabiles admittendam esse suadent exempla; memorata initio, & evincit Molinæ ratio: Nec videtur adesse in revocabili actu aliquod momentum principale, cui innitatur continuatio perjurii,

De intentione jurantis nunc accipe aliquot lineolas. Nempe, 23 qui animò jurandi repetit verba prælecta, reservatò mentaliter alio eorundem sensu ab eò, quem habere novit eum, cui juratur; Item qui habet animum jurandi, sed non implendi; vel qui habet animum jurandi, sed se non obligandi: Vel qui nec jurandi, nec se obligandi animum habet; vel obligandi se quidem speciali obligatione justitiæ, & veritatis, non verò juramenti, & si qui alii fingere quid tam detrimentosis restrictionibus pejus possunt, eos nihilominus omnes obligari vi juramenti, si præssent externum ejus actum debitè. Ratio *ex c. 9. C. 22. qv. 5.* Quacunque arte enim verborum quisque juret, DEUS tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Cui non obstat *cap. humana aures 11. c. 22. qu. 5.* nec *c. 6. & 15. X. de V. S.* Nam his multiplex responsio accomodari potest, quod insipienti potescet. Neque obstat, quod actus agentium non operentur ultra intentionem. Nam cur id non fieret propter dolum agentis V Barbof. *l. 9. c. axiom. 5.* Dissident tamen hic Scholastici, & in nonnullis obligationem tantum oriri ratione scandali alii afferunt, negant alii.

Nunc de votis pauca subjungam. In quo genere nimis sibi placuit humana fragilitas, cui suo figmento pulchrius nihil. Viluerunt enim præcepta Æterni Legislatoris, quæ servare quasi populare esset. Successerunt consilia, ex quibus demum posset erogari, quo conduceret ad perfectam vitam, sublevaret alios infirmiores, redderet debitorem ipsum DEUM. Quam sarcinam sensim auxit præsumptio & potuit eo facilius, quò latet magis, & piis etiam imponit. Lubricò enim talò stant errores: Nec consistit malum in primâ sui figura, sed serpit semper manatque latius; & quod infirmis hæsit opinionibus,

transit consuetudine in quoddam robur Juris : Si Jus est, quod habet speciem, non veritatem. Acerbæ tamen cordatorum querelæ, quæ uti simplicitati multa condonassent, ita noluerunt cedere obstinationi, subinde hac in parte auditæ, utinam essent fido caractere omnes ad posteritatem transmissæ. Quam in rem pulchra plurimis argumentis collegit D. Chemnit. in *Exam. Concil. Trident. ubi de Traditionibus*, Vir, quem ne hostis quidem civilior contempserit, quem vid. Tenebimus itaque veritatem detersâ nube; tenebimus confessionem sanctam, quæ & permittit vovere Christiano, commendat pia vota. Quod pro modulo nostro explicandi dabit ansam conclusio Hulsemanni *Extens. Brev. c. 12. tb. 13.* - Vota soli DEO nuncupanda sunt, eaque talia, quæ circa divinum miraculum sunt in potestate nostra circa objecta vel à DEO præcepta, vel permittæ, non ad cultum voluntarium DEO præstandum, sed ad excitandam devotionem, citra neglectum ullius boni operis, quod in præcepto est. Quæ verba sistunt fines ac metas votorum, exhauriunt etiam omne illud, quod hûc adferre circa naturam & requisita votorum vel indulget cathedra, vel angustia temporis permittit. Collige autem, quid judicandum sit de votis edendi confessionem omnium peccatorum, aut implendi legem exactè; illa etiam sub conditione auxilii divini non esse valida, cum sine illo nihil possimus, & operetur insuper, vel cooperetur secundum mensuram fidei, & virium, competentium, in Viatorum Statu V. Balduin. *de Cas. Conscient. l. 2. c. 8. c. 4. num. 3.* Secundò rem indifferentem merè talem, seu quæ referri nequit ad pium aliquem ac specialem voti finem, nec esse voti materiam proximam, nec remotam, ut votum de non edendis capitibus animalium, non tollendæ forte paleæ &c. V. Azor. *tom. 1. Inslit. Moral. l. 1. c. 16. qu. 5.*

26

Conclude tertio, esse licita vota Christianis. Quod jam tum dictum. *Cum votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus DEUS tuus à te, & reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris Deut. 23.* Plura scripturæ dicta pete ex *d. l. Hulsem. Conf. & Rivet. explicat. Decalog. Exod. 20. v. 7.* ubi de votis. Addatur Brochmand. *in System. Theol. Tom. 2. art. 18. c. 2. qu. 7.* Dices; gravissimam esse voti obligationem, unde periculum maximum animæ immineat, neque proinde consultum aliquid vovere. Respondeo, verum esse prius, quod ex Amel. *de Conscient. l. 4. c. 16. qu. 16.* Riveto *d. l. petes,*

petes, & Scholasticis communiter, qui etiam voti obligationem excedere ipsam juramenti vim, solent determinare, V. Fagund. *l. 2. c. 51. n. 17*. Repetendum tamen hic, quod supra de juramento dictum, periculum esse tantum transgressorum, quod avertere cum potuerint, si sua culpa sentiunt, sentire non intelliguntur. Nec periculosum est, quod DEO gratum, nec ideo vel contempta, vel contemnenda virtus, quia ardua; Quanquam concedatur non esse de præceptorum genere vota: ut sic abstinencia in vitio non sit. An expediant quandoque, disquiri potest, & conceditur communiter. Defendit tamen bene Lessius votum de non vivendo, nempe sine prævia deliberatione *l. 2. c. 40. dub 7. n. 45*. Non obstat, quod sic operemur ex necessitate. Nempe omnes sumus sub legibus, & vi illarum ad agendum impellimur, nec tamen ideo perit omnis boni operis ratio. Alia est enim necessitas coactionis, alia honestatis. Illud non æquè expeditum, quâ ratione votum dici mereatur cultus divinus. Novimus enim, non esse in illo censu, quod ex divina lege ostendi non potest. Perkinf. *de casib. Conscient. l. 2. v. 14. n. 2*. respondet, si votum sumatur pro moralis obedientiæ promissione, quæ in baptismo fit, esse cultum. Si accipiatur pro ceremonialis alicujus officii promissione, pertinere ad vetus testamentum. Si vero pro externi operis promissione, ut abstinenciæ à cibis, elemosynis &c. esse adminiculum tantum cultus. Alii dicunt vota secundum actum formalem, qui est promissio religiosa obligatoria, semper esse cultum, cum ille actus sit formaliter cultus, & species quædam orationis; actum autem materialem, alias non præceptum, si attendas, secundum hunc non esse cultum, sed cultus tantum adminiculum V. *disputatio de Orthod. Votorum Christian. habita sub D. Langio. Addatur Rivetus d. l.* Sed quomodo erit cultus, si voluntarius, si non præceptus? An sufficiet, vota in scripturis proponi per modum consilii, quod aliquos velle video, aut non improbari in Novò fœdere, & conducere sæpe ad excitandam pietatem? An conabimur dicere, si cui maximè expediant. tunc videri præcepta, cum qui voluit, ut cultus Christianorum, & religio procedat ex totò corde, totis viribus, implicite simul præceperit modos, qui vel necessarii sunt, vel conducunt maximè? Nota hæc Theologis. Qui autem vivere possint, & qui prohibeantur, id cum ex conditione civili personæ, tum facultate naturali, tum qualitate materiæ, petendum est. P. Laym. *tom. 2. l. 4. tit. 4. c. 6. art. 1.* statuit, omnem viatorem tam puberem, quam impuberem, postquam rationem sufficientem ad naturam

Voti cognoscendam nactus est, vovère posse: Non præsumi autem, ante septennium adesse sufficientem rationem, doceri tamen signis; post septennium præsumi, sed refutari contrariis indiciis. Nos putamus, punctum temporis mathematicum ostendi non posse hâc in parte, neque etiam quemvis rei intellectum sufficere; metas tamen Laymanni approbare non possumus in tam arduo negotio, in quò non tantum facere sed & velle damnabile *arg. c. voventibus 17. qu. 1.* Est alias *cap. venientis X. de voto & vot. redempt.* hic mitius, dicens: in tenera ætate promitti facilitate, non arbitrio discretionis. Aliud etiam in testimoniis disponit *c. 1. c. 3. qu. 3.* per quem infra 14. annos testes non admittuntur; in juramentis *c. parvuli, c. puer C. 22. qu. 5.* Conf. *Zoef. ad tit. de Jurej. numer. 5.* *Struv. exercit. 17. th. 15.* Nota insuper, quæ de gradibus tenellæ obligationis exponunt Jureconfulti. V. *Ludvvel. ad Tit. Inpit. de inutil. Stipul. §. 9.* Neque interesse puto in Judicio juret puer, an extra illud. Hac enim circumstantia non variatur usus rationis, licet hic aliquid velit *Zoef. d. 1.* Et porro idem generaliter de votis sentiendum. Quamvis neque hic præcisè 14. annum urgeam, sed accipiam cum latitudine aliqua, prout se exerit discretio constantius maturiusque: Insuper in perpetuæ continentis voto nolim sumi vulgares terminos ex *1. Tim. 5. v. 9. 14.* ubi Apostolus in viduis annum quasi professionis ponit 60, juniores autem viduas vult nubere. Quomodo olim inter mares & fœminas ratione voti distinctum fuerit, ut illi 14, hæc 12 annò vovère potuerint, notum est, nec latet, quatenus recesserit ab hac sententia Tridentinum concilium *Sess. 25. can. 15.* ubi D. Chemnitius confutatur. Non obstat autem dictis in genere, esse capacem obligationis, qui doli capax est & posse committi perjurium ab impubere *ex c. 1. X. de Delict. puer.* quod allegat *d. 1. Zoef.* Nam quicquid sit de communi & humanâ obligatione; religiosa tamen non debet illò argumento statim induci; plurima enim malorum semina connascuntur nobis, boni verò tantum quidam igniculi: Ut taceam, cultum veri DEI non arcessi ex principiis connatis. De perjurio certum est, illud posse committi, licet non statim fieri legitime votum possit aut juramentum, cum ex ratione allegata, tum quia bonum ex integra causa est, malum etiam respectu singulorum defectuum. Aliud etiam perjurium est materiale, aliud formale, aliud secundum defectum modi legitimi, aliud ex ratione non secuti implementi. De Furiosis, prodigis &c. non attinet dicere.

Filios familias quod concernit, eos impediri tum ratione materiae, 29
 quatenus ex alieno non licet offerre, tum ratione potestatis, quatenus
 votum impedit officium domesticum, clarissime ostendit *c. 30. Num. Idem*
Judicium ex eodem de puellis, quæ manent in domo patris, & uxoribus
ratione maritorum ferendum est. Sed varia de conjugum votis dici 30
possent, de continentia etiam donò, an jus sit obligare se voto ad ali-
quam perpetuam continentia regulam. Itur enim opinione perfectio-
ris vitæ sæpe in vincula, quæ deponere non licet, postquam ex interval-
lo experientia assumpta; solvere autem dispensatione, non satis vere-
cundum videtur, nec admittitur communiter, nisi præcedente gravi
causa. Intra quas olim constitutus angustias S. Casimirus maluit mo-
ri, quam fœdari V. Darinhavv. de Hierarch. Oeconom. e. 1. de Conjug. qv. 2.
circa f. & exemplum contrarium apud eundem ex Piascocio cujusdam
sacerdotis Poloni d. l. Addatur omnino in hoc argumento B. Chemni-
tius p. 3. Exam. de Cass. c. 2. § 3. In specie de quaestione, quomodo cœliba-
tum conjugio præferat Paulus d. P. 3. de cœlibat. c. 2.

Circa reddendum debitum multa occurrunt. Sic determinat P. 31
 Laym. Tom. 2. l. 4. tr. 4. c. 7. n. 16. Uxoris votum etiam sine mariti licentia
 editum de non petendo debito subsistere, quia conjux conjugii non ob-
 ligetur ad petendum mutuum usum matrimonii, sed saltem ad præstan-
 dum. Quod non licere viro, quia inferret grave onus uxori, quæ
 ob nativum pudorem petere non solet, autor est Henricus Hinriquez.
 Summ. Theolog. moral. l. 1. §. 15. §. 8. 9. Qui statuit, etiam si alter conju-
 gum emiserit votum de non petendo, videat autem altertum virtualiter
 seu signis saltem petere, posse invitari petentem non periclitante voto.
 Quæ non discussio; quod autem *idem d. l.* & Laym. assert, si unanimi con-
 sensu votum ediderint conjuges de non petendò & reddendò debitò,
 subsistere illud nec posse rescindi, licet suaderi non debeat vegetis ad-
 huc, & valentibus conjugibus, ut tale votum suscipiant ex *1. ad Corinth.*
7. nescio, an conveniat verbis ac menti Apostoli. Sane ignorant
 sanctæ scripturæ, damnant etiam iniquiorem de matrimonio sensum.
 Unde qui pollutionis & imperfecti status nomina allegant, & probra
 confingunt, & constare ex stupro divinitus instituti & consecrati matri-
 monii usum asserunt, viderint quomodo cum autote ejusdem transi-
 gant, & quomodo sacramenti appellatione veniat, quod tam sinistre
 profcindunt. Nos novimus, Salvatorem nostrum his symbolis

lis fœderis sui cum Ecclesia mysterium complecti, & noluisse nasci nisi ex desponsata, de quô habet sequentia Augustini verba Dannhavv. *d. l. qu. 1; Nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus CHRISTI, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum JESUM; fidem, quia nullam adulterium; Sacramentum quia nullum divortium. Quæ licet cum adæquatâ similitudine non veniant intelligenda. In genere tamen evincunt, & demonstrant, honorare matrimonia DEUM, ne contemnantur ab homine, sed in praxi vitiosâ non semper omnis*

32 Christi actio nostra institutio est De commutatione votorum, vel generalius relaxatione, quæ & illam certo sensu, & dispensationem includit ita prolixè tractatur, sicut dubium est, an talis potestas homini concedi possit. Et quomodo concedetur, si legitimum votum, & emissum cum debitis circumstantiis, simpliciter reddendum, illegitimè factum autem, ipsò jure, ut ita dicam nullum sit? Sed sapiunt hæc aliquod imperium in conscientias, & impia vox est cujusdam erroris apud Balduin. *l. 2. c. 8. c. 17.* non tolli legem divinam sed explicari. Explicatio enim aut authentica est, aut doctrinalis. Illam interponit, qui legem tulit, hæc sequitur legem, ejusque mentem, nec quicquam addit juris. Sed persequi tam diffusum argumentum nobis integrum non est, uti nec de ipsa irritatione agere pluribus: Quam vel antecederet fieri, negando consensum asserunt, vel consequenter. V. Laym. *Tom. 2. l. 4. tr. 4. s. 7. Lessius l. 2. c. 40. dub. 14.* Quid Prælati possit respectu Religiosorum sibi subditorum, quid pater, tutor, conjux (V. Less. *d. l. dub. 34. 15.*) Hæc tuto omnia transimus, ut & infinita plura. De Jejunio aliquot saltem sententias dabimus. Nam licet actus illius quâ externus est potissimum corpus respiciat, quatenus tamen DEO placens, & acceptus esse debet & afflictionem quandam totius hominis continet, imo comprehendit exercitia pietatis ratione ordinis, & termini; Nam referri aliò non debet, pertinet omninò ad animam hominis, & considerari hoc loco potest. Plurima autem ad Jejunia ritè celebranda requiri, nemo ambigit, quæ persequitur dilucidè B. Chemnit. Exam. Concil. Trident. *P. 4. ubi de Jejuniis.* de divisione jejunii confer. Balduin. *l. 2. c. 14. pr.* Brochm. in System. Theol. *Tom. 2. artic. 19.* qui addit falli multum eos, qui vel vetita jejunia dicunt, vel minus utilia ex *Matth. 17. vers. 22. Marc. 9. vers. 29. 1. Corintb. 7. vers. 5. Act. 10. vers. 30. cap. 3. vers. 23.* Periculosa in hoc genere, & in con-

conhexis aut similibus quæstionibus sententia est, de effectu bonæ intentionis, quæ à diversâ religionis sociis pulchrè coloratur, & reprobatur à B. Meisn. *Sobr. Philos. p. 3. cap. 3. Sect. 1. qv. 3.* Ardua etiam, nec una omnium Pontificiorum sententia de obligatione Jejunii, an indictum ab Ecclesia, transgressorem faciat reum mortalis peccati; in quâ materia puto separari posse, potestate ipsâ voluntatis quæstionem, ut si seriò præcipiat, & generaliter, nemo jus habeat se eximendi, aut fingendi aliquod privilegium, aut indictum Ecclesiæ ordinem violandi, nisi quatenus causa quandoque veniam facit. D. Balduin. *de Casib. Conscient. l. 2. c. 14. c. 3.* obligari conscientiam in tali casu generaliter & indirectè asserit, sub mortali tamen. De lege Civili supra putavimus *c. 1.* posse dici eam etiam specialiter obligare, seu rationem concludendi proximam, quare transgressor legis fiat reus, esse hanc; quia lex Magistratus est, in re ipsâ tamen nihil esse discriminis. Quod ita & h. ⁴⁰ accommodari posset; quamvis insuper distingui, si tamen Theologi consentiunt, an Ecclesia capiatur pro visibili cœtu, præcisâ mentaliter relatione ad caput suum, ut tunc in signò rationis solum ipsi ministerialis aliqua vis tribui debeat; an verò conjunctim illa sumantur, quo casu non vis aliqua subalterna, sed principalis alleganda. Quæ tam diu competit Ecclesiæ, quam diu audit Christi vocem, & currit in unguentis sponsi. Dixi autem mentaliter & in signo rationis. Nam in objecto & re ipsa nunquam illa in verâ ecclesiâ separantur. Hæc proposueram diducere latius: Sed cogimur nunc sequi temporis compendia. Quod de civili obligatione *c. 1. numer. 23. 24.* diximus, eleganter explicat Danhavv. *de Conscient. p. 1. Hiær. Sect. 2. Physiol. artic. 4. p. 57.* verbis *lex quæ talis, Magistratus quæ talis &c. IV. et. p. 56. 57.* Conf. Sanderf. prolixè *de Obligat. Conscient. præl. 5.* per tot: Eundem ad argumenta contraria *d. Præl. §. 31. 32.*

34. &c.

CAPUT

CAPUT III.

De

Jure Hominis in vitam.

SUMMARI A.

Connexio n.1. De Defensione licita in genere. 2. Præcepta 3.4. De moderamine defensionis 5.6.7. An fiat autoritate publica 8. De proprietate 9. Reprobantur exceptiones aliquot 10. 11. 12. Quid liceat in Principem. 13. De obligatione erga patriam 14. 15. De jure se obligandi ad servitia militaria 16. 17. An occidi pater invasor possit 18. Quid liceat ex moderamine defensionis in innocentem 19. Proponitur distincte 20. 21. Agitur de diversitate sententiarum. 22. 23. An omitti possit defensio ob salutem aeternam invasentis. 24. Negatur cum rationibus. 25. Agitur occasionaliter de amore erga proximum, ejusque gradibus 26. 27. An quilibet teneatur defendere injuste invasum. 28. Affirmatur cum exceptionibus 29. 30. Limitatur ne-
 gatione periculi, 31. Cujus exceptio iterum in eò, qui tenetur ex officio 32. Quod incumbit distincte principibus 33. De sacerdotibus remissivè. num. 33. Quid juris si executio supplicii demandetur reo 34. In actibus negativis, ut sit inedia moriendum, an abstinere à cibo possit num. 34. Concluditur, nec rigide nimis, nec remisse procedendum esse 35. An transfuga se possit defendere 36. Quid juris in bannitò, adultero num. 37-38. De mendaciò illicitò in periculò vitæ num. 39. Agitur de diversitate sententiarum 40. De ratione formali mendacii 41. 42. De equivocationibus politicis. 43. Negatur dari mendacium, quod sit licitum. 44. An furtum in extremà famis necessitate licitum sit 45. Quod affirmatur. 49. Negatur adesse furti ratio. 47.

Vidimus Hominis Jus in Animam: De eò quod ipsi in vitam competit jam agere, ita ordini consentaneum est, uti nihil commodius jungi potest. Latisimus autem campus hic se aperit, qui tam exiguò pagellarum numerò expleri nequit. Non enim tantum exponendum est, quid cuique liceat in suam vitam, sed etiam quid liceat in alterius

ob

ob suam. Nam si nullum Jus tibi in alterum competit ex moderamine tutelæ inculpatæ, competit in te ipsum. Si autem licet in alterum, non licebit in te ipsum; cum omittere defensionem nequeas cæteris paribus, nisi vitam deferendi jus sit; nec exponere illam, si desit facultas impetendi alienam. Sed aliqua tantum ex tam diffusô argumentô excerpemus.

Et licere quidem vitam suam cum occasione in vasoris in debitis circumstantiis tueri, etsi aliqui videantur hæsitasse, qui pietatis & patientiæ regulas exigebant scrupulosius, quos inter Augustinum, & Ambrosium numerat Grotius de *J. B. & P. l. 1. c. 3. n. 2.* Et refert Richardum de S. Victore, & Bassolis Osiander ad Grot. *l. 2. c. 1. tk. 3.* probatur tamen à Doctoribus passim magnô consensu. Nempe revolvamur cogitatione ad statum, qui fuit ante constitutas civitates. Sane in illo negare homini aliquod Jus defendendi se ipsum, imo & suos, perquam alienum fuerit à ratione, & communi utilitate. Si enim hodie bella dicimus licita, cur negabimus potuisse olim singulos vim opponere singulis, detrectantibus mitiorem viam. Nam si Judicia Gentium essent, & servari communi quâdam jussione censoriæ potestatis rerum concordia posset, non forent hæc duriora sæpè justitiæ remedia. Sed exigit necessitas, quod non expetit, quod declinat humanitas. Dices fortè, fructuosorem tantis malis esse patientiam. Sed neque hanc intentio immortalis DEI, neque probabilis ratio evincit. Qui enim vitam cuique indulsit, & certos Agelli sui limites, qui auxit domum prole, familiâ; attribuit quoque clementissimè illa defendendi necessaria remedia. Quæ porrò, magis tamen definite, formatò publici Regiminis statu, locum habere eò minus negabis, quò clarior legum civilium sensus eadem admittit, cum etiam an potuerit tollere dubium sit, vel certum potius non potuisse. Alii urgent naturalem etiam rationem scilicet irascibilem appetitum, frustra datum non esse, quod tamen foret dicendum, si ad tam severam patientiæ legem nos formasset natura.

Non miraberis, si dixero, amplius, nec permissam tantum sui defensionem esse, sed & præceptam. Hujus ratio est, quod teneamur defendere proximum periclitantem: Cur non itaque & nos ipsos? Respondebis permitti hoc nobis, ut tamen renuntiare nostro beneficio possimus, & sic nequeat sequi idem ex diversis. Imo hoc ipsum non minus illustri argumento refellitur; quod non simus nostri, non habeamus aliquod membrorum dominium, non liceat nobis discedere est statione

nostrâ sine voluntate superioris. Quæ si vera, quid de tuo Jure remittes, cum in voles in alienum. Ergo jus non est, ut serves alium, non defendere te ipsum. Superbè hic philosophati sunt veteres, qui sibi cuncta licere putaverunt in suum domicilium. Sed in tam densa caligine, cum nondum mitesceret orbis ad mansuetudinem Servatoris sui, sed falleret imago gloriæ, & vanæ ostentationis, quid lucis accedere veritati potuit? Repete tamen hic *l. 13. ff. ad L. Aq. pr.* Tertia ratio perinde solida, quod nemo teneatur alterum magis diligere, quam se ipsum; imò incipiat ordinata charitas à se ipso *l. 6. C. de Servit. & aq.* Quod non sustulit divina lex. Nam in præcepto charitatis, diliges proximum tuum sicut te ipsum, particula *sicut* non paritatem, sed sinceritatem affectus notat, secundum Matth. 7. v. 12. V. Amel. *de Conscient. l. 5. c. 7. qv. 1.* D. Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 1. th. 4.* Laym. *Theol. Moral. l. 3. Tr. 3. P. 3. C. 3. 1.* Et dato non concessio, particulam illam innuere aliquam paritatem, quomodo inde poteris omittere defensionem necessariam? & quomodo cedendo alterius injuriæ, non magis diliges proximum, quam te ipsum?

5 De ipso verò tutelæ moderamine prolixa disputatio est. Arbitror tamen, & Civili jure & Gentium posse illud ex inevitabili periculo bene definiri. Zoel. *ad Tit. de Jur. n. 51.* Unde specificam proportionem armorum non requiri notat Brunnem. *ad L. 2. C. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar.* non obstante *L. 3. ff. de Vi & vi arm.* Et contra pugno fortissimum ex Batt. concedit ensen Schneidevv. *ad Inst. Tit. de J. N. G. & C. §. 1. numer. 15.* Recte quoq; inferitur, præscribi momento idem moderamen, secundum *l. 3. ff. de vi & vi arm. §. 6. & arg. l. 2. C. 3. §. C. d. i.* & qui retulit pedem, nisi animò redintegrandæ pugnæ id fecerit, eum præcidisse jus activum defensionis, quod ex Mariò Salomoniò repetit B. Brunnemann. *ad L. 3. ff. pr. J. & J.*

6 Satis itaque caute hic agunt Legum Doctores: Qui simplicius res pensitant, ipsaque principia naturæ evolvunt, sæpe periculosus desistent. Nam & illud de puncti latitudine in moralibus, quod Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 1. th. 5.* prodidit, nisi tantum de impunitate intellectum velit: Item, quod idem *d. l. th. 10.* de facultate morali in infinitum contra invasorem exponit, ob defectum proportionis inter læsionem & defensionem requisitæ, & ob communem hominum inter se cognationem *ex l. 3. ff. de J. & J.* nequit omnino tolerari. Minus autem verum est, occidi posse eum, qui in causâ etiam non capitali falsum contra nos testimonium diciturus

dicurus jam adit judicem: Et quæ de præventionē disputant, eam in casu necessitatis induere qualitatem defensionis justæ, ubi Grotius aliquid etiam indulget *l. 2. c. 1. ib. 5.* valde dubia sunt, imo non vera. V. Dn. Ziegl. *ad d. l. Grot. de armorum proportione Conf. D. Lederer præceptor noster pie defunctus desideratissimus de Jure B. priv. c. 14. p. 1. Fagund. in Decal. c. 5. n. 6.* Caterum an inculpatæ tutelæ moderamen expediatur autoritate publica, & ad privata, non constat inter Dd. Dicimus, si termini propriæ capiantur, occidere quidem privatum, sed autoritate præcisâ à publicâ & privatâ i. e. concessa jure naturæ, quatenus verum est nec adimi posse hominum arbitrio, nec ultra metas ab illô definitas extendi. Unde formam defensionis à jure civili tributam esse, quod vult Schneidevv. *ad Inst. tit. d. 7. N. G. C. §. 1. numer. 11.* verum est de declaratione, non novâ formæ constitutione.

Sed obstant hic, quæ superba Antiquitas de Avtocheiria commenta est. Christianorum enim constans sensus est, saltem orthodoxæ ecclesiæ fides, non licere cuiquam sævire in suâ membra. Si enim nocentem alium sine legitima autoritate nequeo occidere, multo minus potero me ipsum, Dixit Dominus, *ego occidam, ego vivere faciam. Deut. 32. v. 39.* Multi tamen hic aliqua excipiunt in hypothesi, uti casum, si deinde in probrum DEI victurus sis, Hebræi, de quo Grotius *l. 2. c. 19. ib. 5. n. 4.* Quod mirum. Aut enim hic proprium peccatum metuitur, aut alienum. Si illud, novimus, virtutem DEI perfici in infirmitate, & dare eum perficere bonum, qui dedit averfari malum. Si hoc, non licet peccare, ne peccet alter; cum non sint facienda mala, ut eveniant bona ex *Epist. ad Rom. 3.* Prædixit veritas, futurum mundum sine charitate, necessaria esse scandala crescere Zizania ad messem. Cave itaque ne vel sapientio rem te DEO fingas, vel statuas ejus tolerantæ arroganter metas, cum sustineat in multa patientia vasa iræ, ad *Rom. 11.* Væ dissolutis corde, quia non credunt Deo, id eo non protegentur ab eô *Siracid. 2. 14. Conf. omnino. Dn. D Calov. in oper. Bibl. ad 1. Sam. 31.* Fortè instabis dicendo; licere seipsum ob peccatum præteritum detestandum, ergo etiam ob declinandum futurum, occidere. Sed altum hic scripturarum silentium, imo contra tam fabulosam restrictionem vocalissima earundem veritas. Aut enim animus satisfaciendi est violenta morte, aut testandi saltem dolorem. Ille est nimis impius; cum omnium sit saltem in unô salus: Hic tenet confinia desperationis, vel potius absolvit omnes ejusdem numeros. Non vincit, qui

succumbit tentationi. Addo verissima; si licet è vitâ exire, cum volueris, cur non statim post sacrum baptismâ fellinas vel ad præcipitium, vel ad suspendium, aut aliud supplicii genus. Sic enim peccare defines, si non jam tum vel unicò illò factò peccandi mensuram implevisti. Vidit hoc Augustinus, uti de eo testatur Osiand. *ad Gros. l. 2. c. 19. 1b. 5.* - Et memorabilia verba ipsius sunt, quæ allegat D. Calovius *ad Jud. c. 16.* Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, vel ut fugiendo molestias temporales, ne incidat in æternas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipsò incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienam. Quid de sanctis scæminis judicet idem, quæ ne hostilem cogerentur pati injuriam, servandæ pudicitix amore in flumen se præcipitarunt, exponit D. Calov. *alleg. l.* Confer. in genere *J. 1. cob. 2. 10. 11.* V. Gerhard *loc. Theol. tom. 3. de lege DEI, §. 155.*

- 12 Sed quid licebit anticipandorum æternorum gaudiorum causa? Respondeo non patitur & hanc regula veritatis exceptionem. Et impingit manifestò in sanctæ spei anchoram, Non est fas egredi in occursum sponso, nisi cum venit. Vult æternus DEI Filius, ut servet suos in mundo Pater à malo, non tollat è mundo: Vult insuper, ut compatiamur coronandi. Habet itaque hoc tam luculenta scripturæ testimonia, ut quem vel levis sensus pietatis afficit, eum contrarium sentire non permittat Conf. D. Gerhard. *loc. d. Fagund. in Decal. l. 5. c. 11.* Puffend. *de Jure N. & G. l. 2. c. 4. §. 5.* Quid vero Jus civile statuat in milite, tentante saltem avthocheriam *ex l. 38. §. 12. ff. de pæn;* quid circa bona disponat *ex Tit. C. de his, qui sibi mortem conf. quid de sepultura Jus Canon. ex c. 12. c. 23. qu. 5.* abunde constabit.

- 13 Progredimur nunc ad Principem, quid respectu illius Homini in suam vitam competat, breviter exposituri. Ubi improbanda illico sententia illorum, qui aliquod defensionis moderamen competere contra Principem, ut occidi possit, si aliquem invadat notoriè injustè, scriptis produnt. Quod non tantum Vasq. *Controv. Illustr. l. 1. c. 18. n. 8. & seq.* Sed Bachov. etiam ad *Treutl. volum. 2. disp. 32. 1b. 6. L. F.* statuit, ut taceam Lessium, & quos citat, *de J. & J. l. 2. c. 9. dub. 8. num. 41. in fin. & num. 42.* Molin. *de J. & J. Tom. 4. disp. 7. num. 2. & disp. 14. num. 1.* Rationem autem assertionis nostræ petunt multi ex immediata origine Majestatis. Quod improbare animus non est, licet saltem dubitare, cur ex dependendi modo, & non magis ex ipsa Majestatis ratione, seu quatenus summa potestas est, id desumi debeat. Nam quia fastigium, in quò eminet

Prin-

Princeps, superius aliquod in terris tribunal non agnoscit, neque delinquendo amittitur, quod periculose putat. Vasq. l. 1. *controv. illust. c. 18.* recte asseritur inviolabilis non ex illò causæ ordine. Quo & status Ecclesiasticus, & conjugalis gaudet, neque tamen personæ illos administrantes ea ratione inviolabiles sunt. Conf. D. Hulsem. *Extens. Brev. c. 20. th. 3.* Ratio itaque verissima est. Quia non licet omnibus subditis Tyrannò (puta exercitio tali, non titulo, uti loquuntur) grassanti in totius patriæ viscera opponere vim. Ergo nec uni illorum id licebit defendendæ vitæ causæ. Non sapiunt enim, quæ de aliqua sententia ferenda Molina suggerit, *d. disp. 7. n. 2.* Nec quæ remissivè habet Layman. de coercenda sævitia Superiorum *Theol. Moral. Tom. 2. l. 3. Tract. 3. P. 3. c. 2. num. 2.* Nec quæ de aliquâ necessitatis exceptione exponit Grót. *de J. B. & P. l. 1. c. 4. th. 6.* Et superius *c. 1. n. 52.* de hoc jure non resistendi aliqua dicta sunt. Ceterum quem casum excipiunt dissentientes, si alius æquè idoneus heres non superfit, vel sequerentur maxima bella civilia, aut alias grave damnum Reip. immineret, tunc monere publicam utilitatem, ut absteineat à cæde Principis invasus, eoque suspendunt ab aliquo utilis eventu Justitiæ obligationem, id posset placere, si sufficeret, aut penetraret satis vim summæ potestatis. Sed non rectè privatorum judiciorum Regna transferuntur, vel hereditates, quas cæleste solum arbitrium dividit: Nec quod immutabilem legem habet, arbitrarias & fragiles inter metas coarctandum est.

De patria plurima jaçantur majori specie, quàm veritate. Quæ tamen exponere operæ pretium non est. V. Dn. Puffend. *in disp. de oblig. erga Patr.* Aliqua nobis determinanda sunt per aliquot sententias, ut quantum hic in vitam cuique liceat appareat distinctius. Dico primò, pluralitas ex se non efficit, ut in casu gravissimi illius periculi extraneus solo dictamine naturæ teneatur cum certissimo vitæ suæ dispendio eidem succurrere. Sic nemo tenetur, si quos videat destinatos supplicio, si posset omnium illorum vitam servare, etiam si sint innocentes, id efficere certissima sua morte. Ratio est, quia nemo suæ vitæ dominus: Nec talis pluralitas auget intensivè obligationem; Neque ob bonum naturale conservandum aliorum, obligatur aliquis ad deponendum proprium. Dico secundò: nec societatem ex ratione sui talem obligationem inducere. Ratio, quia obligat tantum ad commune periculum, non ad vicarium. Dissentit Andreas à Matre DEI *Theol. Moral. Tract. 3. de Resist. C. 2. de Resistit. & c. punct. 1. §. 3. n. 4.* Adversantur omnes, qui dicunt, jus esse

esse pro bono virtutis, pietatis, observantiæ exponere vitam, seu quando vita proximi cum tali ratione conjungitur; & tunc ordinem dilectionis inchoari à proximo. Quod illimitatè infra h.c. non ditemus.

Dico tertio; præcipere justiciam, ut pro patria vel Rep. Nam de discrimine harum vocum non licet jam agere, quatenus id finis societatis hujus exigit, audeamus etiam maxime periculosa pro conditione status, nobis in Rep. competentis. Ratio, quia hic specialis ratio auget obligationem: Et privilegiata hæc pluralitas ex jure civilis consociationis est. Non dices, quod jus in vitam non habetur, adferri non posse in communionem. Nam Jus in vitam subditi, quatenus id exigit necessitas, & conditio ejusdem, ex imperii virtute descendit, & sic à DEO; ut autem evadas subditus, pendet ex voluntate tua, si nec dum subiectus es: Jus verò habendi subditum ex eadem majestate est, quam qui dedit id addidit, ut quæ ancipitem pariunt sæpe dubitationem, illò argumentò optimè concilientur, & nunquam magis tranquilla conscientia sit, quam sub imperio boni principis, nunquam lætior pia mens, quam cum non injusto mandato subest imperantis. Conf. Layman. *d.l. assert. 1. & Johan. Frideric. Hornius politic. parte Architect. de civit. l. 2. c. 2.*

Nam faciunt huc, quæ in genere alias de Imperio in personam, seu caput disputari solent. Objicies; competere tamen ex dictis homini facultatem obligandi vitam suam? Respondeo; si id fiat Principi, vel Reip. nasci validam obligationem, & accedere aliquod objectum, in quod se imperium in personam actu secundo extendat; si verò privato fiat, nego id posse rectè evenire, nisi quatenus vel ratio in genere permittit, impendere vitam proximo, vel societatis initæ respectus arctius devincit ad commune etiam periculum; Nam sicut suadet societatis natura, ita etiam hæc in parte specialius se obligandi tribuit facultatem. Distingue itaque debitum ex pacto, ab imperio in caput, competens vi Majestatis; Quod uti nemo hominum habet in se, ita nec transferre potest. Dicitur autem in conclusione tertia, competere jus in vitam Reip. vel patriæ pro statu competente cuivis in civitate. Nam non soli milites impendunt vitam patriæ, sed quilibet in sphaera suæ functionis, & qui præsumunt consiliis maxime? Lucent enim aliis, consumuntur sibi. Conf. de Advocat. *l. 14. C. de Advocat. Divers. Judic.* Ferunt quoque tempora, ut sustinere necesse sit etiam hic pericula vitæ maxima, ut si quis ad barbaram gentem mittatur legatus, vel obses. Nam licet jura nihil indulgeant in

in vitam legatorum vel obsidum, excepta ratione delicti. V. Grot. l. 3. de J. & P. c. 21. tb. 112. Hering. de Fidejuf. c. 10. n. 2. 281. & seq. & c. 20. n. 61. seq. Novimus tamen multa sæpe intervertere jus; nec latet, quid circa obsides quondam usus approbarit.

Ex dictis specialius colliges, non licere Reip. Civem innocentem occidere, postulante id Tyranno, ad declinandum commune malum. Infonem enim & justum non occides *Exod. 23.* Nec licere tradere illum Tyranno ad mortem & cruciatum. Ratio, quia ex ordine morali mors innocentis non est remedium consentaneum seu proportionatum, ad conservandam salutem plurium: nec ostendi potest, quomodo traditio cum tali tradentis intentione ab ipsa cæde differat. Secundo colliges, non licere illi deserere civem innocentem. Ratio, quia repugnat tacitæ conventioni civium inter se, quæ scilicet placuit ab initio, ut omnium commune esset periculum, omnium una salus. Dn. Ziegl. ex Vasquio. ad Grot. l. 2. c. 25. n. 3. Concedit enim Molina de J. & J. Tom. 4. Tract. 3. disp. 10. n. 6. debere defendi talem civem etiam cum maximò plurium periculò, & dubiò victoriæ eventu. Quamvis enim deserere aliquando liceat, cum defendere nequis; ut in acie, confusa multitudine, & ruentibus in fugam cunctis, ubi videtur jus mutæ defensionis resolutum; cum nec videatur extendi potuisse ad casum, quo planè inutile auxilium, quia sic videretur magis societas mortis quam defensionis electa; Clausis tamen portis, & ubi periculum in talem formam redactum nondum est, nolle tradere, & tamen velle permittere, ut tollat hostis, non proficit ad excusationem, neque videtur satis distingui posse. Distinguit nihilominus ex multis Grot. l. 2. c. 25. tb. 3. Conf. Molin. d. l. n. 5. Porro nec existimo ad rem facere, si distinguas, an possit imperari innocenti, ut se dedat, & an possit jure se dedere, si ipse voluerit. Nam si ipse velle poterit illæsa justitia, poterit & cogi salvo jure: Et si non poterit cogi nec poterit velle, quatenus voluntas ipsius publicæ legi subest, & quod velle possit, ex respectu sociali venit, cum extra illum integrum nemini sit tali modò suam exponere vitam: Neque attendendum discrimen Grotii, quod charitas exigat à cive, ut maximæ multitudinis innocentis vitam suæ præferat, non verò imperet justitia. Nam si justitiæ vocabulum laxius accipias, quod charitas præcipit, descendit ex justitia; pendet enim in mandato charitatis universale lex, & Prophetæ *Matth. 22. 38.* Et cum illius debitum nequeat sine culpa omitti, cur non poterit præcipere Magistratus, ad quod ita obligamur.

gamur. Sed nec ostendit adhuc Grotius, quod assumpserat. Ordinata enim charitas incipit à se ipsa, & habet Molina *d. l.* cum aliis, quod & maximæ multitudinis periculò retinendus sit talis civis, si probabilis spes affulgeat, defendi eum posse. Ergo ratio multitudinis non admodum stringit. Nam illius bonum ita teneor promovere, ut totius à quo non secludor: Quò casu verò cessat omnis communio, cessat ratio partis, cessat obligatio. Et aliàs leonina societas est, quâ nullam lucri, omnem damni partem cogitur sustinere alter sociorum *L. 29. ff. pro Socio.* plura vide apud Comment. ad illum Grotij *l. 2. c. 25. ib. 3.* Conf. & Johan. Frider. Horn. *Politic. part. Architect. de Civit. l. 2. c. 2. ib. 18.* Quæ autem dicta sunt, non procedunt eò casu, ubi non certa mors tradendo imminet. Sicut enim ad periculum etiã gravissimum obligatur civis in gratiam civitatis subeundum alias: Ita neque recusare illud debet in dictis circumstantiis, maxime si adhibeantur cautiones de solvenda statim obsidione post traditionem, & non quævis existimatio periculi ad hoc sufficiens reputetur. Si cui tamen simpliciter arrideat contraria dissidentium opinio, cum hæc in utramque partem possint probabiliter disputari, eisdem non refragabor admodum. Licuit tamen in præsentī in his terminis philosophari.

16 Subjungi nunc debet jus se obligandi ad servitia militaria: Quod quandoque ex imperio fluere, nemo ambigit. Sed nec tamen omne inde petendum esse, ostenditur ex eò, quod peregrinus etiã, non subditus tantùm, se rectè hæcenus possit obstringere; quamvis neque sic excludatur respectus publici boni: Nam & jus belli non competit regulariter, nisi vi Majestatis; Et obligare se non licet, nisi habenti jus bellandi. Bene multæ tamen hic cautiones sunt. De subditis certum esto, si injusta belli causa sit, non teneri eos ad munia bellica subeunda ex Apostoli Maxima; quod DEO magis quam Hominibus obediendum sit. Si verò perobscura causa belli est, vel dubia, præsumptionem esse pro Principe, neque detrectandum esse, si imperet, obsequium, neque, si non imperet, subterfugiendam omnino militiam ob defectum non satis perspectæ justitiæ causæ, modo adhibeatur possibilis inquisitio, & discussio ejus. Non expedit enim ad arcana privatos admittere, & sæpe quod ex privata opinione non videtur, prudentum calculo pensandum, maxime cum illi momenta rerum satis nequeant ponderare. Habet quippe hoc sphaera moralis, ut qui suo nequeunt, sapiunt nonnunquam alieno judicio. Ex-
tendo

tendo dicta ad eum casum, quò Princeps antecedenter belli causam dedit, ob quam postea impetitur. Nam & autor rixæ poterit se defendere in privatis certò sensu: In publicis qui causam dedit tunc maximè, cum oblata pax, & restitutio non acceptatur. Nam tunc cessat bellandi justus usus in altero, licet adfuerit justa causa: Neque exigit ulla ratio, ut alterius impotenti animo, qui nullum faceret nocendi finem, cuncta relinquat obvia alter. Alio sensu improbandum capitul. 2. *Feud. 28. V. Hulfem. d. c. 20. th. 20. Dn. Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 26. 53.* Objicies; in dubio tutius eligendum esse, eoque consultius esse, si abstineat dubitans. Sed non est dubium aut incertum, esse obsequendum Principi, si non imperet impia manifesto. Estque præsumptio tam diu pro Principe, quamdiu nequit subditus rerum inter se nexus, & compagem æque penetrare V. Gerhard. in *L. de Magistrat. Pol. numer. 309.* Quid vero de Consiliariis sentiendum sit, V. apud Osiand *ad Grot. l. 2. c. 26. th. 2.* Quid de Duce apud B. Hulfem. in *extens. Brev. c. 20. th. 18.* pertinet huc discrimen inter practicum dubium, & theoreticum, inter belli causas, & occultos fines ad quos ordinantur &c. Conf. Molin. *disp. 113. perz. de alienigenis non vacat dicere.*

Cæterum vel ex potestate Reip. in caput subditi, vel ex Jure se obligandi militari sacramento fuit, quod miles exponi loco periculosissimo possit sine injuria, quod teneatur suffodere turres hostiles, vel subruere mœnia, etiam cum præsentissimo vitæ discrimine: In genere, quod teneatur subire cuncta, ex imperio superioris, quæ ulla ratione, vel utilia esse possunt vel gloriosa Reip. modo nihil horum lædat honestatem. Nam quæ facta contra bonos mores sunt, nec facere non posse credendum est *l. 15. ff. de Condit. Instit.* Et generaliter novimus, turpes stipulationes nullius momenti esse *l. 26. ff. de V. O.* Unde non licet militi, ut hostem præcipitet, se simul cum eo præcipitare: Nec fas est etiam ex præceptò Principis pulveri nitato ignem injicere, ut unâ cum nave pereas, & ne præda in manus perveniat hostium. Quod tamen multi defendunt, V. Less *de J. & J. l. 2. c. 9. dub. 6. num. 34.* Fagund. in *Decal. l. 5. c. 11. n. 6.* V. Amel. *de conse. l. 4. c. 31. qu. 6.* Ratio est, quia tale factum incidit in avthocheriæ crimen, quod per mandatum Superioris nequit transire in speciem actus liciti: Et distinctio in directam & indirectam occisionem, ut illa hostis, hac ipse pereas, non potest habere locum, quando utrique par imminet necessitas. In iis, quæ ex loco similium

Vol. II. Disp. XV.

G

petuntur,

petuntur, latet dissimilitudo. Nam & qui inter confertissimos manu non sua cadit. non potest dici, sibi ipsi intulisse manus violentas. Et quid sibi velit illa excusatio, quâ ajunt, ignis impetum adferre mortem, non vero allegandam esse aliquam propitricidii labem, nequeo penetrare. Si autem fingi casus potest, ubi aliqua restat spes evadendi in dictis circumstantiis, habebunt me facile consentientem, qui dissentiant, sine dubio tamen obscura quæstio est, & potest contra eam ex regula parium non leviter argum. V. Wiffenb. *ad ff. l. 9. th. 16.* B. Brunnemann. *ad ff. l. 9. Tit. 2. L. 13. ad l. Aquil.* qui negativam sententiam adstruunt. Sed quæ de jure belli saluberrimè præcipiuntur, inania sunt in praxi, & movet sæpe magis stipendiorum, quam honestatis ratio, & fingitur sua cuique ad arbitrium conscientia. In scrupulis tamen, qui reveratales sunt, si ullibi, certe obtinet in castris illud *Eccles. 7. 16. ne sis justus nimis.* V. Danhauer. *de Cons. p. 269.*

18 Cæterum quid pietas ratione patres exigit, si manus violentas filio inferat, an possit illi in gravissimo vitæ discrimine vis opponi, dubium est. Sanè pater est etiam, qui contemptor legum & impius. *Nov. 12. c. 2.* Si verò pater, quomodo illi resisti poterit; cum invalor Princeps, quia non desinit delinquendo esse Princeps, inviolabilis sit; jus verò Principi debitum obsequium sub patris appellatione stabiliat. Dictum enim, honora patrem & matrem, ut sis longævus super terram. Insuper præceptum gravissimè. *Exod. 21. 15. 17. Lev. 20. 9.* ut morte moriatur, qui percusserit Patrem suum, aut matrem, imò qui tantum maledixerit illis, ubi de justitiâ poenæ agitur alibi longa seria. Accedit, quod olim parentibus jus vitæ & necis competierit in liberos *L. f. C. de P. p. V. D. Lederer de J. B. priv. c. 14. th. 1. J. F. Horn. Politic. de Civit. l. 1. ca.* Unde politicam dominationem ab initio non nisi potestatis patris propaginem fuisse asserit Sanderson *de Oblig. Conf. Prælect. 7. §. 16.* Quod non discutio, cum dubitari possit, an quæ imperii sublimioris erant, ex patria potestate, ante potius ex aliò aliquò assistente respectu, promanarint. Sufficient enim, quod multa præclare hodieque reservavit jus civile parentibus, uti de potestate modicè castigandi, & ferenda sententia à judice in filium immorigerum ex præscripto patris consuli poterit *L. 3. C. de P. P. & ad illam B. Brunnemann.* Videri nihilominus posset hoc rerum statu, quò cessat Jus Vitæ & necis in filium, posse hunc, si manifesta injuria invadatur, & mortis periculum nequeat aliter effugere, vim vi repellere.

repellere. Rationem assignamus hanc, quia Pater non tantum qua civis est, verum etiam qua paterfamilias agnoscit superiorem, eoque non habet imperium cum jure non resistendi, neque potest obligare suos ad patientiam naturæ adversam, sed si excesserit fines suæ potestatis, non exiit quidem respectum patris, quatenus naturale vinculum attenditur, vis tamen illi opponi potest tanquam invasori. Verbo; neque ex ratione potestatis patris, neque ex positivo jure talis patientiæ lex ostendi potest. Sed quod ita licet in patrem, an filius possit ex voluntario observantiæ consilio omittere: Vel an defensio tali casu præcepta non sit, potest ambigi. Multi affirmabunt non esse præceptam V. Andreas à Matre DEI *Curs. Theol. Moral. tr. 13. de Resist. punct. 1. §. 3. n. 39. V. supra hujus c. n. 14.* Conf. Fagund. in *Decal. l. 5. c. 6. num. 10.* Quod ego libenter concederem. cum plurima hic imperet charitas, & sancta semper videri filio debeat patris persona *l. 4 ff. de Obseq. Parent. & patr. præst.* modo constaret satis, an pietas sit, quam solius facientis eligit arbitrium, & quomodo salus habeat Dominium vitæ DEUS, si dispensandi nobis relicta facultas, aut suspendendi effectum ejus in certis casibus. Nolo tamen cui convenit satis cum suâ conscientia, si quid pietas suggerit, vel improbare illud, vel hac in parte esse censor rigidus; Et succurrit D. Balduinum *Cas. Consc. l. 4. c. 1. Cas. 14. pr.* quod contra principem concedit hac in parte licitum esse, negare contra Parentes. Ut sic in integrâ quæstione nihil temerè definiam specialem casum continet *L. minime ff. de Religios. ad quam V. Brunnem.*

De innocente multiplex est quæstio & spinosa satis. Ita concedit Lessius, cum allegatis, posse constitutum in extremo vitæ periculo, si invasor innocentem obvertat, à cuius tergo lateat, illum cum opposito innocente occidere: Item si fugiens hostem non possit evadere, nisi per angustum iter, ubi protereret infansem, vel claudum, licere nihilominus fugere, V. ille *L. 2. c. 9. Dub. 9. l. n. 57. 58. 59.* Ita & Fagund. concedit *l. 5. c. 6. n. 11.* posse in vasum arripere infansem, & ejus interpositione se licitè tueri, quamvis occidatur infans. Ratio in his & similibus adferri solet, quod mors innocentis non intendatur directè, sed indirectè. Aliam suppeditat Lessius *d. l.* nempe Jus defendendi, quod competit mihi, non posse adimi alterius interpositione: Et licere ex usu belli dirigere tormenta adversus arcem hostis, ubi captivos innocentes detinet. Quæ ratio facit in genere sententiam hanc probabilem.

G. 2

Nam

- 20 Nam diversitatem rationis hic ostendere arduum fuerit. **Scit** tamen alii in contrariâ sententia, quam antequam exponam, dicendam, quod jam tum tetigimus; discrimen inter intentionem directam & indirectam non posse explicari satis in casu, ubi id, quod intenditur indirectè, sequitur necessariò. Sufficit enim ad rationem homicidii actus naturalis cum iudicio & voluntate agentis: Et talis distinctio in omni propicida cogitari posset, ut intendat liberationem à molestiis vitæ v. g. directè, indirectè verò suam mortem; Nec admitti debet, quod possit quis directè finem velle, & non velle ita media; Saltem ad rationem boni vel mali negandam, vel adstruendam discretio talis voluntatis, vel voluntatis non conducet. Unde minus verum est, permitti saltem mortem innocentis in casibus dictis.
- 21 Aliud autem dicendum cur mors sequitur vel non prævisa, vel per accidens. Illo casu enim nihil imputandum foret illi, qui coactus nocet, vel invitus. Hòc perinde excusandus; Nam id egit ob justam sui defensionem, unde mors innocentis sequi potuit, & non sequi, imò ex ordine causæ sequi non solet. Sic enim probabilis spes adest, quæ immunem à culpa reddit, v. g. si transilire dormientem in via volens, calce læseris remove incedens, læseris, unde vel mors, vel vulnus existit, quæ non vacat diducere ulterius. His suppositis posset prima sententia impugnari sequentibus rationibus; Primò nequit offendi, unde mihi jus detur in innocentem. Nam necessitas non tribuit licentiam contra Jura: Invasio etiam violenta alterius non dabit, nisi contra invasorem. Si casus præceditur, cur magis idoneus ad casum innocens claudus v. g. innocens invasus, vel potius, cur hic non aptior, à quò casus innoxius injuria invadentis. Secundò quoties tertio datur jus resistendi, modo deficit in secundo impetendi tertium. Nemo autem inficias ibit, nihil negasse jura Gentium hæc in parte vel dormienti in viâ, vel jacenti claudo, si natura, vel licita circumstantia non obstat. Dices; durum reum necessitas, & horribilius morte nihil. Sed sic tibi vita, cur non erit & alteri? Arctanda intra terminos defensio, nequid ob eam licere tibi in providentiam Numinis existimes. Si murus obstat, si fossa fugienti, quam non posset transilire, si fallente vestigio rueret in manus aggressoris, agnosceret casum, componeret ad patientiæ legem animam. Et cum jus obstat, cum innocens objicitur, emittet voces querulas. Est alicubi standum saepe, quo cum perveneris, venerari sata

fas est, & ut eorum assequaris clementiam, submittere fortunam. Cogitari circa hæc tamen distinctè posset, imprimis tertius casus, si spes probabilis adesset oppositum infantem ab invasore non iri occisum, vacaret culpa: Et fateri habeo Lessirationem ultimam movere in signem scrupulum in genere, nisi dicere velis, plura in bello publico licere, quam in privato: Nec posse evidenter sciri, an in ipso temporis articulo præsentibus adhuc sint captivi; insuper de hoc reddendam captivanti rationem. Sed prelixiores fuimus. V. B. Brunn. *ad L. 3. C. ad l. C. de Sic.* ubi explicat verba legis, *quem cunque alium* de sociis aggressoris. Addatur Ziegl. *ad Grot. l. 2. c. 1. §. 4.* Osiander. *ad d. L.* Nec dissentit Balduin. *Cas. Confid. l. 4. c. 1. cas. 14. pr.* De illò autem, quod ajunt nonnulli posse naufragum, socium arreptæ tabulæ, si dubium sit, an illa sufficere possit vitæ utriusque conservandæ, ab alterò dejici, dubitare licet. In pari causa enim fingere justiore conditionem, involvit dissensum terminorum. Nec licet privare alterum Jure suo, ut tuò potiarius. Quod maximè verum, si causam à te non habet socius, sed casu in communionem inciditis. Si autem volens eum admisisi, imputare tibi habes periculum; Nec est, quod alleges tacitam exceptionem illius. Nam illa præsumi nequit, cum alter vitæ causa pactus: Et alias non omne periculum respuit charitas, quò succurri proximo potest. Securius itaque etiam inter pericula navigant, si communem fertunt necessitatem & spei vela DEO committunt, & in hoc enatant asylo, quam si tant exosum jus exercent in se ipsos; Fides enim etiam montes transfert.

Sed gravius dubium succurrit, quid liceat homini in suam vitam casu quò periclitaretur æterna salus proximi. v. g. novit se quis constitutum in statu gratiæ, invasorem verò, reum gehennæ, maximè si in ipsa arena, & sic flagranti crimine moriendum ipsi foret. Quid tum imperat, vel quid non imperat charitas? Sane nulla proportio est inter temporale bonum meum, & æternum alterius, quò privaretur. Nihil enim prodest integrum mundum lucrari, & jacturam facere animæ: Restat quippe post hoc fragile temporis momentum una dies, sed nunquam finienda; una mors, sed qua damnati nunquam morientur. Si permissa tantum esset sui defensio, quæ sententiæ multis argumentis defenditur, sed supra à nobis impugnata est, quis non daret aliquid charitati, quod sine dubio rependeret æternitas. Verum enim verò dicendum breviter, multum probare dicta.

§2 Nam si classis bonorum attendenda foret, cum inferius cedere debeat superiori, non licitum tantum, sed præceptum esset, dicto casu oppetere mortem ob salutem æternam alterius. Quod porro si conceditur, concedit omne moderamen inculpatæ tutelæ. Nam de omni inuasore, si occumbat in illâ furoris immanitate ex repentino ictu, dicta in quaestione vera erunt: Et tamen nemo tenebitur ob illum metum sufflaminare sui defensionem. Si alia desideras, repete ex sacra pagina, angustam esse cœli portam, spaciosam verò viam ad perditionem, per quam multi ambulent; Non necessarios esse DEO impios, viros sanguinum & dolosos non dimidiare dies suos: Unde ergo tibi certò constabit de secutura salute proximi, cui illius intuitu parceres. Deinde & hoc tenendum, non esse semper etiam piis conscientiam in numeratò, cum vivamus omnes sub venia: Subitum etiam periculum accurato examini non facere locum: Et potuisse in ipsò concertationis fervore aliquid intercedere, ob quod requiratur collectis viribus contritio cordis, confessio oris. Quod quamvis non omne momentum probationis absolvat, non est tamen à scopò planè alienum. Non debemus enim nimis nostræ indulgere conscientiæ; Et tutissimum eligendum, cum eligendi postea nunquam redit arbitrium, Concludo itaque, non esse ordinatum medium, neque ex indigentia causæ, neque intentione DEI nostri mortem fratris pro fratre. Non obstant verba ex 1. *Johan. 3. v. 16.* quod nimirum debeamus animas ponere pro fratribus. Nam hoc verum, si mors sequatur ex periculo aliquò, quod gloria DEI, & vocatio suadet, non quod sine ordine sumitur: seu ubi vita nostra corporalis alii necessaria ad vitam spiritualem, uti loquitur Molin. *Tom. 4. tr. disp. 13. n. 1.* Conf. latè Osiand. *ad Grot. l. 1. c. 2. th. 6. 3. Obs. 2.* Sane si verba generaliter accipienda, potest admitti frater insons ad supplicium pro aliò condemnatò: Quod improbat lex justitiæ Laym. *Tb. Moral. l. 2. tr. 3. c. 3.* necessitatem moralem cum patitur proximus valere dicta, non cum miseriam voluntariam Balduin. *Cas. conf. 4. c. 17. c. 8.* notat promptitudinem serviendi etiam cum periculo insinuari verbis adductis Johannis. Quæ explicationes fortè conjungi possunt.

§6 Quæ dicta sunt de actibus negativis, quatenus non liceat omittere sui defensionem, lucem accipiunt ex iis, quæ in genere de ordine charitatis vel gradibus disputari solent, ubi recensentur pulchra est D. Thoma, quæ

quæ v. apud D. Osiand. *ad Grov. de J. B. & P. l. 1. c. 2.* Nam & de formalitate charitatis, seu fundamentò, de boni discrimine, secundum quod diligimus, de beneficentiæ regula ex *Epist. ad Gal. 6. 10.* Item ex *1. ad Tim. 5. 8.* De his inquam & pulchrè, & prolixè tractari debet alibi: In nostras autem dissertationis tam steriles areolas ex suis illa fontibus derivare, nec materiæ dignitas, nec tempus permittit, & recusant humeri. Conferatur imprimis Paul. Laym. *Theol. Moral. l. 2. tr. 3. c. 3.* Amel. *de Conscient. l. 5. c. 7.* Addatur Stephanus à S. Paulò *Theol. Moral. Tr. 3. disp. 3. dub. 1.* Balduin. *Cas. Conf. l. 4. c. 14. L. 4. c. 17.* Redeundum nobis ad jus in vitam, an licitum sit exponere vitam certo periculo, ut proximi certam mortem avertamus? Quod affirmat Amel. *d. l. licet distinctè*; consentiunt Scholastici, qui statunt communiter licitum esse, quando justa causa subest aliquid facere, vel omittere, unde certo scitur secuturus interitus indirectè, Less. *l. 2. c. 9. dub. 6. n. 27.* Fagund. *ad Decal. L. 5. c. 12. n. 18.* Andr. à Matre Dei *Theol. Mor. Tr. 1. c. 2. de Restit. Punct. i. § 3.* Sic ex motivò honestatis & amicitie licere quandoque eligere certam mortem indirectè, dicit probari pluribus, sed non malè impugnari à Navarro, Laym. *Theol. Moral. l. 2. tr. 3. c. 3.* Si autem concurrat publicæ utilitatis respectus ob universalis bonum, non licet tantum, sed asserunt adesse eò casò obligationem. Generalius tamen Andr. à Matre DEI, inchoandum esse charitatis ordinem ab amico, quando vita ipsius conjungitur cum aliqua ratione virtutis, pietatis, observantiæ, asseruit. Quod in Principe supra probavimus, ventilavimus de patre in utramque partem, de cætero & permissum esse negamus, nedum præceptum. Quod accipe distinctius; Dico primò teneri quemvis succurrere proximo constituto in vitæ discrimine, neque in hac materia separo præceptum ab honesto; quod miror fieri ab illis, qui tamen negant, esse vel homini in se ipsùm, vel ulli hominum in alterius vitam, seu corpus dominium? Nec intelligo quò jure possim vitam meam alteri dono dare, cum tamen teneam in conscientia contra aggressorem defendere alienam. Aut ergo statuendum est, non esse in præcepto dilectionem proximi, aut si hoc admittitur, tenendum, non esse tantum permissam dilectionem sui ipsius, quæ regula, quæ mensura illius, nisi velis fingere regulatum vel sine regula, vel prius illa. Et sanè si ex motivò amicitie &c. licet oppetere mortem, vel si laudabilior permissio mortis propriæ, quam occisio, quid hic præcepti suberit, quævis obligans, quod vinculum defensionis? Pariunt hæc

hæc intricatas distinctiones & conjecturas, & anxiam reddunt fluctuantemque conscientiam. Dico secundò non teneri aliquem succurrere proximo cum manifesto dispendio vitæ suæ, licet sit benemeritus de Rep. aut fructuosus civis. Ratio, quia nemo, si invadatur ab aliquo, etiam utilissimò Reip. membro, excepto Principe, ulla Juris ratione obstringitur, ut cedat injuriæ & succumbat illi volens. Quod confirmatur, quia reatus excludit dignitatem, & frustra parcitur illi, cui nihilominus imminet tanquam homicidæ ultimi supplicii pœna. Nec video quid suadeat servari talem civem, cum hic nullum jus aggratiandj fingi debeat & necesse sit vel mori homicidam, vel reos esse eos, qui facinus illius dimittunt impunitum. Aut quam hic utilitatem sperare Resp. possit, aut quid retribuere præmiorum bene merito, nisi tristem moriendi moram præmium, & theatricam mortem velis appellare gloriosam. Si itaq; nemo tenetur pati mortem ab utili Reip. viro ob rationem talis utilitatis: nec utilem ejusmodi virum cum jactura certa suæ vitæ tueri contra injuriam aggressoris tenebitur. Neque majus bonum semper minori præferendum est, sed hoc procedit tantum, cum bonum illud est planè ex diversa classe, ut si spirituale & corporale & cum illud cui præferitur est in nostra potestate. Alias nec licet se occidere secundum omnes directo etiam ob æternam alterius salutem. Porro non licet in extrema necessitate famis dare alteri panem, quò conservari vita poterat, & se finire emori, ut Lessius *d. l.* loquitur; Non permittit jus naturæ, ut tabulam occupatam propter amicum deseras, & te undis sine spe evadendi committas. Non permittit, ut telo volanti, ne feriat amicum, objicias te ipsum, neque ut occurras hosti, aut bestię furenti in gratiam amici: Quæ tamen probat Andr. à Matre Dei *Theol. Moral. Tr. 13. c. 2. Restit. punct. 1. §. 3.* Et videntur non posse probari, nisi minus tibi periculum forte ob robur, aut artificium immineat, quam amico. Est in his aliquid ad minimum conterminum avtophonix: Neque mors tantum admittitur, sed procuratur.

29 Concludimus itaque, licet alterius vitam certa sua morte nemo teneatur redimere, non omne tamen periculum subterfugiendum esse proximi causa, si ipsum liberandi spes adsit. Quod si non admittitur, nimis enervatur officium hominis erga proximum, & receditur ab aureâ dilectionis regula. e. g. Video aliquem sub cruento inimici gladio semianimem, quem tamen, & liberandi spes est, & habendi socium colle-

ctis

Etis viribus, si vir sanguinis revulsus ab ipsius jugulo, auderet con-
 versis armis meum petere. Non succurreret hic charitas invocanti
 anhelis vocibus meum auxilium? Imò succurreret. Nam suppono
 adversarium non esse ita vel armis instructum, vel manu promptum,
 ut conjunctis viribus non possit facile superari. Extendo dicta, ut ali- 30
 quando ad æquale periculum teneat, scilicet si alias gravissimum pro-
 ximi discrimen mea participatione minueretur & leve evaderet. Tunc
 enim non invertitur ordo charitatis. Cæterum & supra diximus cre-
 scere obligationem ex ratione societatis, & civitatis. Unde & noto-
 riè fructuosum civem Reip. teneor, si injuriam patiat ab alio, servare,
 etiam magno meæ vitæ periculo, maximè Principem. Quo refero ex-
 emplum Ribischii cujusdam, obrutum Turcis Mauritium Saxonix Du-
 cem se ipso protegentis, quod ex Sleidanô recenset D. Balduin. *Caf. Consc.*
l. 4. c. 17. c. 8. Mortem tamen vel moraliter certissimam, vel vicariam 31
 pro alio eligendam esse, non ostenditur ex aliquo vel connato ratio-
 nis, vel revelato scripturam principio *Conf. Deut. 24. v. 16. Ezech. 18. v. 20.*
 Porro & hoc observandum venire à vulgari obligatione distinguendam 32
 pietatem erga parentes, amorem erga liberos; ipsorumque conjugum
 debitum inter se non exigendum esse ad communem regulam. Quis
 tamen inter hos præferri debeat, ubi à Thoma parentibus primum af-
 signari locum in extremâ necessitate, asserit Laym. V. apud eundem
Theol. Moral. l. 2. tr. 3. c. 3. Specialis etiam est obligatio Vasalli erga feu-
 di dominum, licet inferior eâ, quâ tenetur subditus erga Principem;
 Circa quam de bello offensivo, & quid juris sit pro domino feudi con-
 tra patrem non una controversia. Quæ nervosè reperies in eò exposita,
 quod sibi nunc honestarum artium studiosa juvenus exprimi typis cu-
 rat, Dn. Præsidis *Exam. jur. Feud. c. 17. qv. 15. 16. 18.* De reciproca ve- 33
 ro domini fide erga vasallum, an possit malefidus aliquando censerì,
 committere feloniam, & de appellatione conjugis V. 2. *feud. 6. inf. 2. feud.*
26. §. antepen. & 2. f. 58. §. 1. & consulantur passim Dd. Qui autem
 alias ex officio specialius teneantur V. apud Laym. *d. l. Lessium de 7. &*
7. l. 2. c. 9. dub. 13. n. 91. B. Brunnem. *in quest. ad L. Cornel. de Sic. qv. 19.*
Fagund. in Decal. l. 5. c. 4. num. 16. ubi de urbium Prætoribus, judicibus,
 justitiæ ministris. De Principe inquires? Resp. si administrator potius
 Reip. sit quam Rex; si Majestatis jure non polleat, sed specie tantum,
 non repugnat eum obligari ad gravissima discrimina vitæ, nisi ob ex-
 ternum

ternum splendorem aliquid reservavit Resp. Cujus rei exempla & nostra aetas complectitur; & si quid specialium pactorum intercessit, poterit inde peti decisio. Si vero summa potestate emineat, non est tutum exponi eum periculis; cum sic posset in uno amitti, quod omnibus lugendum: Nec in armis fulgeat tantum Majestatis vis, sed in providentia maximè, & consilio. Quam periculosum enim, & exitiale est, librari corpus Reip. sine Rectore? Si tamen quem sublimior spiritus impellit, suspicimus coelestem dotem, & aliquando licere illi generosius audere facinus pro sua Rep. ita admittimus sicut & ignavi Principis imitatione militum ardor deteritur; & circumspèctum esse Principem decet, non mollem: Quanquam & remissiore obligatio in regno patrimoniali incumbat. Sed quæ dicta sunt habent exceptionem in causâ spirituali. Non licet enim succurrere proximo cum animæ periculo. Nam hoc foret, magis diligere homines, quam DEUM & facere mala, ut eveniant bona & refert Stephanus à S. Paulo *Theol. Moral. Tr. 3. disp. 3. dub. 1. num. 8.* nec licitum esse, ita dicere si possem sine peccato, sine jactura charitatis &c. non salvari, ut totus mundus salvaretur vellem non salvari. Sed quid de precibus Moïsi *Exod. 32. v. 32.* quid de Apostoli verbis ad Rom. 9. 3. dicendum? puto posse illis non unam responsonem accommodari. Observa tamen notanter, cum indiget tua corporali vitâ proximi spiritualis, hujus gratia illam periculo exponi posse. Quem puto communem esse, & pium Christianorum omnium sensum Conf. 1. *Job. 3. 16. Job. 15. 13.* & quæ supra insinuata sunt de hac materia h. c. Stephanus à S. Paulo dicit, in extrema necessitate, ut si quis moriturus sit in peccato mortali, cui succurrendi certa spes offerat, teneri quemvis ad officium charitatis etiam cum dispendio vitæ: Quod si casus hic possibilis esset admitti posset: si autè gravis saltem necessitas constringat proximum, obligari eos, qui debent succurrere ex justitia seu jure vocationis specialis, ut Parochi tempore pestis; quod concedo. Et Conf. hic Laym. *d. l.* & Ludovicus Dunte in *Decis. Cas. Conf. c. 7. qv. 6.* Specialem casum de obstetricante sacerdote habet dictus à S. Paulo *L. cit.* Sed hæc & plura alia, quæ tam fecunda materia supeditat, cum suis restrictionibus exponere alienum à nostro instituto est.

34 Nunc videndum quid condemnato ad supplicium incumbat ex lata judicis sententia. Ubi nota statim, justè recusati obsequium, quan-

do veneni sumptio, vel incisio venæ, à Reo facienda, vel alias violentarum manuum illatio, eidem etiam in forma judiciali demandatur. Licet enim non teneatur condemnatus conservare vitam, cum lex vetat, aut pulsato carnifice, ruptisque catenis tentare fugam: Quod ita injustum est, sicut juri adversum, non irrogari ob delicta meritas pœnas, facere tamen non tenetur, quod in crimen incidit, quod delictum involvit. Nec est potestas vaga judici statuendi hæc in parte pro lubitu, aut imperandi actum, qui quodammodo supra naturæ vires est, uti loquitur Fagund. in *Decal. l. 5. c. 12. n. 12.* Unde & hoc infero, si cui ex sententia judicis inedia moriendum & cibus adsit, quem contingere queat posse illum salvâ conscientia fedare famem. Hæc & talia enim directè pugnant cum inclinatione communi naturæ, quam rationem generalem adfert Lessius *l. 2. c. 9. dub. 6. n. 26.* Aut ergo in postremo casu judex auferat simul omnia vitæ subsidia, aut non imponat famis pœnam, cum hanc pati non debeat, cui contra eam remedia adsunt: Quamvis hic non solum communem illam rerum omnium inclinationem, quæ nunquam suum interitum intendunt, sufficere putem, sed insuper obstat superius aliquod rationis principium, quod judici facultas non sit exercendi in corpus alterius arbitrium irrestrictum, cum non prosuat illa ex jure domini, sed sola delicti proportione: quod non liceat sævire naturaliter in se ipsum. An autem DEUS, qui & autor naturæ est, & omnis vitæ Dominus, ad talem nos patientiam, vel actus etiam positivos obligare possit, de eo cogitari debet. V. Grot. *de J. B. & P. L. 1. c. 3. th. 3. & ad illum L. Comment.* Est itaque certum, qui actus licitè imperari non possunt, eos nec peragi licitè à reis: Contra verò cum imperium superioris justum, obsequium non esse illegitimum. Unde scalam ascendere, collum funi aptare, &c. possunt sponte fieri, cum possint etiam nolentibus imperari: Non inferunt enim mortem ex se tales actus; & distinguit in genere bene Fagundez, *d. l. n. 14.* inter actus, qui sunt dispositiones & qui sunt ipsa mors. Sed dices pertinere dispositiones necessarias ad genus causæ efficientis? Resp. si ordo, quem ex eventu habent, & ad quem mandato motoris destinantur, spectetur, possunt eò referri; nequeunt verò, qua spectantur in causa physica, quando illa hic agit cum intentione non procurandi mortem active, sed passive admittendi. Non itaque in hujusmodi actibus nimis procedendum remissè, neque tamen & nimis rigidè. Nam proflire ad mortem licet, ut tamen non contemnantur

innantur omnia, sed servetur & imbecillitatis, & simul patientiæ recordatio; Non decet enim, ut pro pia morte Numini supplices, & tamen mortem, quam ferre debes, constanter recuses: Sed trepidatio fide ac spe vincenda. Impetus quoque, quem devotio non suggerit, ostendit, mortem non excipi deliberato satis: Et habet aliquid nonnunquam vanæ ostentationis admixtum. Potest hic subjungi quæstio, an quis se ipsum deferre teneatur in Conscientia? Et Jure civili quidem ob voluntariam sui delationem pœnas mitigari, asserit Brunnemann. *ad l. un. C. d. his qui se deferunt. num. 9.* Nemo tamen etiam in conscientia obligatus, ut deferat se ipsum, tum ex eò, quia nemo cogitur regulariter accusare alium *L. un. C. ut nemo invitus.* Ergo multo minus se ipsum Conf. Zoef. *ad tit. de Accusat. num. 17.* Tabor in *Barbos. locupl. c. 24. ax. 2.* Tum ex eo, quia magnus humani sanguinis favor est, ut ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluerit *l. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sentent.* Et liceat cuilibet appellare etiam pro festinante perire *arg. l. 6. ff. de appell.* Quorum rationem ulteriorem cogitare hanc licet; quod justitia in se considerata non exigat absolute & immutabiliter, ut omne delictum simpliciter innotescat, vel deferatur per unum alterumve, hic & nunc, cum non finiatur omnis retributio in hoc seculo: Et habeat omniscius Moderatorum occulta etiam delicta manifestis flagellis puniendi modos. Quod verò interrogatus à competente iudice secundum juris ordinem cogatur respondere, ita certum est, sicuti verissimum extra illum ordinem interrogato licere quidem non respondere, justum tamen non esse fallere interrogantem mentali reservatione, v.g. non fieri, quod tibi dicam. Conf. in genere ad quæstionem hanc Dn. Puffend. *Elem. Jurisprud. Univers. l. 1. def. 12. 33.* Et referri huc potest, quod habet B. Brunnemann. *ad Tit. ff. de appell. l. 6. num. 8.* fidelinquens petat pœnam capitalem, quæ tamen ob circumstantias mitigari poterat, non esse ipsius desiderio satisfaciendum, nisi metuatur relapsus. Caterum in materia defensionis hætenus omiſſa insinuanda hic regula, Autorem rixæ non posse prætere necessariam defensionem Berlich. *p. 4. Concl. 13. n. 5.* Carpvov. *P. 4. C. 9. g. def. 4.* Item injustam esse defensionem, cum licita offensio. Unde cum liceat occidere transfugas quasi hostes, ubicunque inventi fuerint. *l. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Sic.* & cum certis personis certa ratione competat jus occidendi adulterum *V. L. 4. C. ad L. Jul.*

L. *Jul. de Adult.* l. 22. 23. 24. ff. *ad L. Jul. de Adult.* nec transfuga, nec adulter aliquod prætere defensionis moderamen potest. Bannitum vero interficere periculosum est, quia posset aliquam habere defensionem. Brunemann. *ad Tit. ff. L. Cornel. de Sicar. qv. 28.* Duo adhuc restant in hoc capite, sed quæ prolixam continent dubitationem: Unum de jure mentiendi ob vitæ conservationem, alterum de licito usu rei alienæ ob eandem. De natura mendacii constare primò debet, quam tractationem latebrosam vocat, & quibusdam velut cavernosis anfractibus variam, ut modo velut elabatur è manibus, quod inventum est, modo rursus appareat, & rursus absorbeatur, August. *ad Consens. de Mend. cap. 1.*

Observa primò, fundamentum veritatis non esse petendum ab obligatione quadam Gentium, quasi recipiendò voces ad significandos mentis conceptus, invicem sibi stipulati sint infallibilem connexionem signi cum signato. Sine dubio enim verum dicere, præcipit naturalis ratio, sicut prohibet mentiri: Constat quoque quæ ita per pacta Gentium introducta essent, posse contrariis pactis rescindi, quod qui de veritate affirmavit, omnium consensu falsus est. Secundò sciendum, non omnem dissensum vocum à mentis sententia efficere mendacium, sed illum tantum, cui fallendi intentio jungitur: Seu voluntas enuntiandi aliquid, juxta proponentis conscientiam objecto dissonum, ex qua enuntiatione prænoscat apta sequi alterius deceptio, quæ verba sunt Raynaudii *in append. ad Lessium contra Barnes. c. 2. n. 7.* ubi plura de indirecta, & directa intentione. Addatur Franciscus Pavonius Catacens. *in Introduc. in Aristot. & Theolog. Doctr. Moral. disp. 3. qv. 3. prop. 9. num. 11.* Tertiò ad cognoscendam dextrè mendacii naturam separanda puncta licita ab illicitis. Nam fabulas & fictos casus, qui physicè tantum veri non sunt, locutiones catachresticas & Hyperbolicas &c. nemo vocabit abusum signorum: Neque occultationem veri, cum non adest dicendi obligatio, neque terminorum æquivocationem Grammaticam in illam classè referet V. B. Hulseus. *Exterf. Brev. c. 12. th. 23.* Raynaud. *d. l. n. 15.* Dn. Ziegl. *ad Grot. l. 3. c. 1. §. 8.* His suppositis quaritur, an mendacii in perniciosum, officiosum & jocosum divisio admittenda, & per consequens quid ex hoc genere liceat homini ad vitæ suæ conservationem? Circa hanc rem & antiquitas in diversas partes ivit: Et non est hodieque unanimis omnium sensus. Theologorum tamen

hanc existimo esse sententiam, mendacia omnia esse peccata, inquit B. Brunnemann. religiosus ille quondam Juris nostri Antistes in *Comment. ff. ad L. 11. numer. 16. Tit. de interrog. in jur. fac.* Cujus rationem hanc ex Thoma allegare solent communiter; quod, cum voces sint signa naturaliter conceptuum mentis, innaturale sit ac indebitum significare voce, quod non probatur in corde; eoque cadat mendacium supra indebitam materiam, sitque ex suo genere malum. V. Gerhard. *Locor. Theol. Tom. 3. de lege DEI §. 176.* Meisn. *Philos. Sobr. p. 3. c. 9. Sect. 1. quest. 3.* Quæ licet vera esse intelligantur; obstant tamen plurima, faciuntque cogitanti negotium. Ut taceam quæ ex sanctis scripturis cumulari solent, de quibus Conf. d. l. Gerhard. Rivet. d. l. *Explic. Decal. Exod. 20. v. 15.* Osiand. *ad Grot. l. 3. c. 1.* non levia argumenta ex affinis questionibus depromi possunt. Si enim simulatio non improbat, quatenus notat aliquam consilii solertiam; si admittitur dolus bonus in actu positivò, cur omnem dissensum vocum à mentis sententiâ tanquam contrariam juri rejiciemus; Vel cur hic durum necessitatis telum non faciet veniæ locum, cum illa etiam extra necessitatis circumstantiam quotidiano, & familiari usu servantur. V. Dn. Ziegler. *ad Grot. l. 3. c. 1. §. 6. 7.* Molin. *de J. & J. Disp. 283. l. 2.* Gravius adhuc obstat, quod concedunt etiam Theologi, licere illæ sâ justitiâ uti stratagematibus, fictis sparsisque literis vulgatò falsò rumore &c. fallere hostem; & consequi prudentiæ compendio, quod per multas lentasque clades non posses. Et tamen si mendacium sui natura malum est, quid honesti conferent circumstantiæ, unde fortietur juris rationem, quando hosti opponitur. Accedit quod in gravissimo vitæ discrimine fundere humanum sanguinem salvâ conscientia, quod in extrema necessitate famis, alienis rebus uti licet: Et verba paululum dissona, quæ tanta consternatio exprimit, quæ imperat stricto chalybe hostis, statim facient reum hominem inter suas angustias contremiscentem. Estne itaque in gravissimo periculo permixtum mendacium? Nullum sanè. Quod non ægrè feres, si cogitaris multa nos sæpe constringere, quæ mutare integrum non est: Neque licuisse unquam ob conservationem vitæ, quo accederet nævus animæ: Sufficere etiam, quod gradus peccatorum sint, & faciliior semper venia, quò minor delinquendi, nocendique voluntas. Et sane occurret semper vocum abusus, depravatio signorum, & quod pro officiosâ mendacii honestate adstrues, turbabit. Non sunt enim sine omni turpitudine,

tudine, nec congruunt simpliciter sanæ morum regulæ. Sed de argumentis in hoc tam difficili argumento, qui post Augustinum in *libris de mendacio, & contra mendacium*, laborabit anxie, sterili se conatu fatigabit. Saltem petes diversitatem rationis in iis, quæ adduximus in contrarium. Primum itaque reperies in Dannhavvero ad *Decalog.* p. 440: *Grot. J.B. & P.l.3. c.1. th. 8.V.* distinctio Bonavent. apud. *Gerb. de L. DEI* §. 177. Secundum meo judicio non satis expeditum neque facile reperire est, quod solvat nodum: Et cum negatione officiosi mendacii quomodo satis consistere possit ignoro. In gratiam tamen illud asserentium hoc accipe; Nempe voces sive linguâ, sive scriptura figuratas casu, quò licitè ad circumveniendum hostem publicum adhiberentur, amittere vim suam significativam, & retinere saltem materiale contextum literarum quodam quasi tacito Gentium pactò. Cum enim voces citra hominum voluntatem nihil significant, cur non posset certis eventibus suspendi impositus illis significatus, cum possit planè diversus imponi. Ergo non licet quidem abuti signis in sensu composito, seu quatenus manent talia, possunt tamen illa desinere certo modo esse signa, & sic cessare in illis aptitudo inducendi in errorem alium, cum si ille continuet hætenus receptam significationem, contra prudentiæ legem faciat, qua scire debebat, se falli jure posse, & evulgatam ab hoste famam circumspicere acceptandam esse. Quod de hoste publico intellige. Unde si ex mandato sui Regis Chiliarcha ad fallendum hostem forte intercepturum literas, verbis expressis planè contrarium significare intendat, non erit mendacium, nec in genere mendax est scriptura, quæ occulta. Ut sic vocum significatio etiam relativè consideranda, & ratio illius habenda sit, ad quem diriguntur. Nam qui furdis falsa dicit, & non intelligentibus loquitur, non committit mendacium. Quod latius diducere non vacat, & si ita laxius contra veritatem differitur, obsequar meliori aliorum judicio. Non dices autem obtinere hæc etiam in privato hoste, si vel meam, vel alterius vitam servare aliquo falso loquio possint: Nam & publico hosti data fides servanda. Conf. distinctè Hulseman. *d. Extens. Brev. c. 12. th. 24.* Cæterum quod obstat de licita interneccione infaustoris, & de justo rerum aliarum usu, id facilius solves. Nimirum nulla hic vel occisio, vel furtum, quatenus ille vocabula in decalogi prohibitionem sunt. Cum, quæ lex prohibet nunquam facienda sint, & obligent pro omni tempore, nullis unquam circumstantiis honestanda. Sed quò tempore verum fuit, non licere quemquam

quam privata autoritate, vel cupido vindictæ animo occidere: Eo etiam verum fuit licere, vel publico Magistratus jussu, vel ex inculpatæ tutelæ moderamine perimere invasorem. Et quo tempore sanxit Æternus Nomotheta, non esse auferendam rem invito domino, lucrificandi animo; Eodem non prohibuit auferre eandem in extrema necessitate. Ergone illa rerum æterna regula mutatur, aut decedit aliquid ejus valori? Id verò negatur maximè, si proprie loqui velis. Ad quod enim se nunquam extendit, ratione ejus nunquam dicitur mutata, vel immutata. Diverso objecto diversum jus applicandum est. Objectum autem hic diversum non ob extrinsecam loci vel temporis, vel personæ circumstantiam, sed intrinsecam sui conditionem. Si ostendi idem posset in casu gravissimi periculi admittenda foret falsa dictio. Sed instabis, saltem itaque licitum esse uti tunc aliqua restrictione mentali, nescio, quod tibi dicam, ad dicendum &c. Resp. mentales restrictiones improbamus in universum, neque possunt ab officioso mendacio separari in dictis circumstantiis. Dicunt; falsum non adstruit, quia nescio se nescire, restringit autem hoc tacite; nempe se nescire ad dicendum. Atqui hoc ipsum non dixit. Ergo falsum dixit. Nec ad rem pertinet, quod, esse illam enuntiationem incompletam volunt, quam completæ restrictio mentalis. Nam quomodo enuntiatio in ratione signi extrinseci complebitur per occultum mentis conceptum. Aliud sane est occultare partem veritatis, aliud est jus subducendi. Deinde qui officiosum mendacium protulit, interrogatus, cur fecerit, respondebit, quia dicere verum non tenebar. Ergo omni mendacio officioso inest talis restrictio, licet non semper actu expresso; ut taceam hanc reservationem, scilicet, quod tibi dicere debeam, ita esse explicandam; feci, sed dicere non debeo. Quas propositiones tamen non convenire in ratione veritatis, nemo non videt. Consulantur passim patroni restrictionum mentalium, inter eos pro Lessio Raynaudus contra Barnesium. Contra restrictiones verò V. Rivet. *Explic. Decal. Exod. 22. v. 15.* Meisn. *Sobr. Phil. p. 3. c. 7. Sect. 1.* Hulsemann, in *Extens. Brev. c. 12.* Promendacio Confer. Alberic. Gentil. *de abusu Mendacii.* Grot. *de J. B. & P. l. 3. c. 1.* quamvis sibi nihil definiendum sumat *d. l. th. 17. numer. 3.* Sed nullum admittit communis schola mendacium, quod proprie tale est, secundum jam dicta: Nec rem licitam, & quæ propriam mendacii rationem non habet, putamus latiori vocis illius acceptio-

ne esse

~~non~~ comprehendendam V. Layman. *Theol. Moral. l. 4. tr. 3. c. 33. num. 8.*
 Sed plurima adhuc addenda essent de voluntate, & intentione fallendi,
 quia hoc ad argumenta contraria de iudificatione puerorum, de tenta-
 minibus &c. refellenda faceret; Sed tempore excludimur. V. Rivet.
d. l. Ziegl. ad Grot. l. 3. c. 1. §. 11. 12. Raynaud contra Barnes. *c. 2. num. 16.*
 De furto jam insinuavimus quæri, an liceat ad vitæ conservationem in
 extrema famis necessitate? Quod video affirmari à plurimis, negari à
 nonnullis. Dicendum, licere rem alienam auferre, si casus ritè forme-
 tur, non quidem ex jure reviviscentis communionis, quia hoc tum ob re-
 stituendi necessitatem tum ob defectum datæ talis communionis secun-
 dum non paucos, dubium est: sed ex regula charitatis, qua tenetur qui-
 libet succurrere proximo in necessitate, maximè jactura bonorum suorum
 e.g. navis, quæ ex pacto alterius navis nonnulla alimenta receperat, in
 vastissimum mare rejecta vi tempestatis, consumptis suis alimentis omni-
 bus, non tantum dubia spe inter procellas fluctuat, sed insuper durissi-
 ma fame compressis hominibus, si à deposito cibo alieno abstinerent,
 moriendum esset. Cur eo casu dubitent aliena tangere? Aliud ex-
 emplum fingi poterit in fociis, imprudenter à se invicem in nemore quo-
 dam deviantibus. Cessat enim ratio furti h. l. non tantum ob pronissi-
 mam conjecturam voluntatis in dominò, & cessantem adeò dolum §. 7.
Instit. de oblig. qua ex delict. Nam in tam certis voluntas præsumpta pro
 expressa haberi debet; Sed etiam ob juris necessitatem. Cum enim
 illa res judicis autoritate, si præfens esset, mihi debeatur, incipit esse mea
 ipso jure quodammodo illò absente, ob periculum in mora gravissimum.
 Posterior tamen ratio aliam gignit controversiam, si præfens dominus
 resisteret armis & sic metus esset, ne humanus sanguis funderetur,
 quid tunc disponderet Jus? Quod examine
superfedeo.

CAPUT IV.

De

Jure Hominis in corpus.

S U M M A R I A.

| | |
|---|--|
| <p>Connexio n. 1. Non est homini dominium in membra 2. Certo tamen modo facultas disponendi de il- lis n. 3. Non obstat l. 9. §. 7. ff. de pe- cul. 4. An liceat Tyranno jubente amputare sibi membrum 5. An liceat membrum alligatum 6. Quid ob salutem animæ juris sit 7. Ob mor- bum 8. An teneat ad mutilationem</p> | <p>in gravissimo morbo. 9. De Polyga- miâ 10. An adversatur juri natu- ra 11. Quid ob pudicitiam confer- vandam juris sit in invasorem. 12. An liceat renunciare juri primogeniture 13. Possit se quis obligare ad carce- rem 14. An imperari, ut maneat in carcere 15. An promissi reditus in carcerem? 16.</p> |
|---|--|

1 **P**ostquam de Jure Hominis in vitam dicta sunt nonnulla, de cor-
pore suscipienda tractatio; Quam non putabis subjungendam fuisse
secundo capiti de Animâ, quia neque in homine sine anima vita est,
neque conjunctum animæ corpus sine vita, ut ita hujus intermedia
consideratio esse debuerit. Magna verò est nostrorum corporum di-
gnitas. Non enim ad consortium tantum mortalis fortunæ, sed fu-
turæ etiam gloriæ societatem vocantur. Quod ut humana credere
2 posset fragilitas, DEUS fieri homo voluit, VERBUM Caro. Non su-
mus itaque membrorum nostrorum domini, prout hoc satis clarè ex-
presit l. 13. ff. ad L. Aquil. Cum nobis jus non sit liberè de illis dispo-
nendi, sed incumbat potius illa conservandi fovendique obligatio;
Non enim possumus unum capillum album facere, aut nigrum Matth.
3 5. v. 27. Quædam tamen facultas disponendi de partibus in commo-
dum totius, negari non debet Homini, cum partes naturaliter sint
propter totum, & bonum hujus præferendum sit bono partis; Nam
& hoc

& hoc cum illò connexum est & in illò insuper vel conservatur vel periclitatur plurius bonum. Nihil tamen hic vel atrocitatis, vel despotici Juris, ut dictum, fingendum est; aut admittenda extensio ultronea necessitatis aut commoditatis totius, sed desumatur interpretatio ex natura rei, ne dominium intervertatur illius, qui aliquem saltem usum indulgit. Unde & dentium excussio, ut illis loco glandis plumbeæ uti possis, quam concedere videtur Lesius militibus in gravissima necessitate, & aliquando factam memorat de *J. & J. l. 2. c. 9. de b. 14. n. 100.* aut nullum est, aut valde coactum, extortumque remedium: Et *l. 9. §. 7. ff. de pecul.* quæ vult servo licere naturaliter in sua membra sævire, vel loquitur de licentiâ facti, ob saniolem sensum *l. 23. §. 3. ff. de Edilit. Ed. Vel sapit scholam Stoicorum. Brunnem. ad l. 13. ff. ad Aquil. Conf. de pœna se ipsum vulnerantis, qui eam arbitrariam esse defendit, Carpzov. P. Crim. qu. 2. numer. 45. 46. non obstantibus l. 38. §. 12. ff. de pœn. & l. 6. §. 7. ff. de Remilit.*

Inter alias autem de jure in corpus quæstiones gravis est, quæ de Tyrannò movetur, an eò postulante abscissionem membri aut mortem minitante, licita sit membri amputatio. Quod negasse Sotum Molina asserit, vocatque sententiam illius falsam de *J & J. Tractat. 3. disp. 10. l. 6.* A quo non omnino dissentio, quia Soti ratio, quod scilicet eò casu abscissio tantum necessaria foret ab extrinsecò, assensum non meretur. Intrinsecum bonum est, quod defenditur, cui undecunque periculum immineat, arcendum erit. Sola autem totius salus ratio est, quæ nobis aliquid in nostri partes indulget: Cavendum tamen hic, ne Tyranni peccato cooperemur nimia facilitate, sed expectemus potius, quantum fieri potest, dubiam fortunæ aleam. V. Fagund. ex sententia Thomæ in *Decalog. l. 5. c. 12. n. 16.* Sed porro & alligatum membrum, ne te flamma corripit, amputari posse, & cum dispendiò integritatis cruris licere se præcipitem dare, si casum imperent angustia, concedimus. Viliori enim augustius bonum redimitur, nempe vita, in quam tibi nihil licet, multa vero licent propter ipsam. Quod expressit significantius Lesius *d. l. n. 101.* Et consentit apud eundem Sotus ex ratione, quia alligatum membrum infert vim toti. Sed hæc vis peræquæ ab extrinsecò est, aut à culpa, si ipse, aut ab injuria, si te alius alligavit. Nec infert vim membrum, quam patitur: Et subtilis saltem distinctio est, nisi fortè metum allegare velis, ne alieno peccato scilicet Tyranni in casu primo coopereris. Sua-

deo tamen in his & similibus maturas moras, quas conficit lenta senectus, & metum requiro, qui in constantem Virum cadit: Dicit etiam volo de membris intellecta, quæ non sunt absolutè ad vitam necessaria. Nam discrimen inter partes & membrum, hocque vel propriè petes ex iis, quæ prolixè habet Paul. Zach. *quæst. medico-Legal. l. 5. Tit. 3. qv. 1.*

7 Confer. & Dn. Præf. de *Jure Sens. Dissert. 3. c. 5. n. 20. 21.* Cæterum in hac de partium corporis nostri doctrinâ miram quandam sanctitatem vidit orbis hominum, qui animò infirmi membrorum culpam accusarunt. Evnuchorum intendo hæresin, animæ salutem non masculè quærentium; quasi mutilatio sui illam consequendi remedium esset, aut posset æterna vita per injuriam Creatoris obtineri. Pessimi hi & sui Custodes, & Salvatoris interpretes, non intellexerunt, licere cuivis mutilare externum hominem, cum tamen verba Salvatoris *Matth. 12.* non ~~contineantur~~ ab omnibus: Et miror cur pedes & oculos non abjecerint; quæ membra secundum veterem hominem exuenda, non secundum Physicum truncanda, præcipiuntur. Sed ostensum est à viris sanctissimis, non obesse sexum gloriæ; neque exstingui ardorem, dum exiit externi membri figura. V. allegati apud Lessium de *J. & J. l. 2. c. 9. dub. 14. n. 98.* Et quanto illis cautior fuit Thomas de Aquin. qui fatuo amoris igni fertur torrem objecisse. Jus quoque canonicum eum, qui semet ipsum abscidit, non sine causa homicidam vocat, & DEI conditionis inimicum, *c. 4. Dist. 55.* Neq̄ ignoratur pœna Civilis Juris, statuta in eos, qui fecerint Evnuchos, gravis satis, quia capitalis ex *L. 1. C. de Evnuch.* ut taceam *l. 4. ff. ad L. Cornel. de Sic. circumcidere 11.* eod. Quam tamen pœnam distinctè mutavit Nov. 142. c. 1. De irrogata irreparabili amputationem membri in genere. V. Laym. *Theol. Moral. 17. 3. 73. c. 11.* Illud puto certum esse, quod amputare liceat infectum morbo membrum, ne se diffundat contagio mali: Et testatur excipi casum, qui medicinæ causa fit à *l. 1. C. de Evnuch.* B. Brunnemann, ad illam *Leg.*

9 An autem obligetur quis in conscientia ut obtemperet Medicorum consilio, & sic præcepta sicut conservatio vitæ dicto modo, dubium est. Sane si vita ægroti maxime necessaria foret Reip. volunt multi teneri ipsum, etiam dolores sustinere ex imperio illius gravissimos; licet non possit omnis superior tam heroicam patientiam imperare. In genere minuet obligationem, vel augebit minor majorve spes recuperandæ sanitatis.

De Polygamiâ uti difficilis, ita vulgata est, & pervetusta contro- 10
 versia, aliis negantibus in eâ directam cum naturali jure repugnantiam,
 asserentibus contra aliis. Nobis, etsi tam eruditum argumentum &
 undique intricatum explanare integrum non est; probabilior tamen vi-
 detur negantium opinio. Tum ex eo, quia contrarium ostendi eviden- 11
 ter nequit; tum, quia valde arduum est, statuere, vetustius seculum
 cum præsentissima DEI gratia, qui tamen contra insanam venerem fatis
 severa vindictæ suæ exempla dedit, in communi quadam tam vel iniqui
 erroris, vel supinæ ignorantæ possessione fuisse, cum tamen nostris
 temporibus illa non ignorentur: Aut voluisse DEUM in publicis,
 continuatis, & coherentibus peccatis tam patienter connivere. Non
 obstat dictum *1. Cor. 7. v. 4.* de potestate conjugum in corpus, qua occa-
 sione quoque hanc materiam in præsentem tangimus. Nam responderi
 potest, qui uni corporis sui plenam potestatem addixit, si superinducat
 aliam eum peccare contra datam fidem, & ita ob externam rationem
 pacti, quod assistit connubiali fœderi, non ex ratione sui, pugnare Poly-
 gamiam cum recta ratione: Pugnam autem hanc tolli vel consensu uxo-
 ris, vel DEO dispensante, cui quæsitum jus mulieri auferendi, & rela-
 xandi pacti vinculum potestas est. Hæc responsio potest sufficere, si
 præcisè termini juris naturalis spectentur, quo talis potestas non est im-
 mutabiliter præcepta, licet eam æquitas suadere videatur. Alii tamen,
 qui supponunt legem positivam DEI, inductivam Monogamiæ, V. Marc.
 Anton de Dominis *de Rep. Eccles. l. 5. cap. 11. num. 2.* B. Hulfem. *extens.*
Brev. c. 21. th. 8. Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 5. th. 9.* referent dictum Aposto-
 li ad tempus N. T. cum in illò cesset dispensatio quondam patribus facta
 super illa lege primævæ institutionis, quam controversiam non vacat ex-
 pendere. Addatur pro assertione nostra Dn. Ziegl. *ad L. 2. Grot. c. 5. §. 9. &*
prolixè Puffend. d. J. n. & Gent. l. 6. c. 1. §. 17. Dissent. Beza de Polygam. à pr. per
multas paginas. Boecler. in Comm. ad Grot. l. 2. c. 5. th. 9. Amel. l. 5. c. 35. n. 7.
Conf. tamen d. l. n. 13.

Nunc videndum an ob conservandam pudicitiam violentum in- 12
 vasorem liceat occidere? Quod uti affirmant plurimi, ita præ aliis soli-
 da ratione confirmat Molina *de J. & J. Tom. 4. Tr. 3. disp. 17. n. 10.* nempe
 exponi Virginem gravissimo periculo consentiendi in alienum deli-
 ctum. Quæ ratio hanc sententiam efficit valde probabilem. Si
 tamen aliquis contrariam tueri maluerit, quæ est D. Augustini se-
 cundum

cundum plurimos, dicere posset; virginitatem non esse in potestate hostis externi, nisi quæ naturalis ejus integritas spectatur; Hoc sensu vero corporale bonum esse & sic inter illam, & proximi vitam non dari proportionem: Consensum quoque qui tendit passivè in virginalis claustris apertionem non esse peccatum, licet, qui Animum aliquò sensu voluptatis contaminaret, illicitus foret; Hunc verò non fluere immediate ex injuriâ hostis, sed carnis infirmitate. Neque obstabit, quod sic arripiatur peccandi occasio: Et quod tale peccatum maximè sit secundum conditionem nostræ fragilitatis; ob quam causam Apostolus, cum contra omnia vitia pugnam indiceret, svaferit, fugiendam esse fornicationem. Nam peccandi occasionem non amat, qui illi exponitur in vitus: Et gloriosior victoria, in quibus difficilior pugna. Sed & Molina suam sententiam limitat d.l. n.11.

Nunc se offert aliqua de jure primogenituræ tanquam corpori conjuncta qualitate disceptatio; quod jus uti frequentatum maximè, ita illius origo in incertò est. Alii enim ad divinæ legis autoritatem, alii ad jura Gentium, plurimi ad pacta provocant Rerump. V. Joh. Frideric. Horn. de Civit. l. 2. c. 9. Separamus hic ordinem naturæ ab accessoriò jure succedendi. Licet enim aliquid tribuamus illi ordini in puncto meritorum dubiò, aut æquali excellentia personarum; non tamen ita conexam habet necessario prærogativam successionis, ut contrariis pactis locorum mutari non potuerit; Nullum enim hic immutabile præceptum naturæ, nullus Gentium usus cum mutuâ obligatione receptus ostendi potest: Immo Germania nostra etiam in majoribus feudis diversos secuta mores, licet nunc paulatim ad pristinos redeat. V. Magnif. Dn. D. Rheus Patronus noster colendissimus *Commentar. in Jus feud. comm. l. 1. Titul. 8. pag. 309. n. 6.* Reinking. *Regimin. secul. & Eccles. l. 1. cl. 4. c. 17. numer. 32.* Exigua itaque dignitas erit primogenituræ, si ulla; Nam solas ordo naturæ & ætatis sat tenuis prærogativa est, si pacta abstrahas, quibus illi certa addita privilegia sunt; quamvis robustiores, & formosiores esse soleant primogeniti, uti Paul. Zachar. in *quest. Medicol. l. 9. Tit. 12. qv. 4.* refert ex Tiraquello, & pulchre determinat, qui sint appellandi primogeniti. Cæterum ex dictis satis apparet, posse aliquem juri primogenituræ renuntiare. Quod intellige non de articulo temporis, quò prius quis lucem aspexit, & sic de naturali qualitate, sed de jure concomitante vi vel specialium pactorum, vel

vel receptæ consuetudinis. Quis autem in dubio sit primogenitus, si
 nempe de eo non constet obstetricum incuriâ in gemello partu, Vid.
 apud B. Brunnemann. *ad L. 10. ff. de Reb. dub.* Ubi suadet successio-
 nem pro indiviso; Quis primogenitus habendus, si filiorum unus ante
 adeptum feudum, alter postea natus, item si primogenitus decesserit,
 an secundo genitus Nepoti ex illô præferendus sit, repete ex Domini
 Præfidi *Exam. J. Feud. c. 14. qv. 25. 26.* Add. Excellentissim. Dn. D.
 Becmann. *Medit. Politic. dissert. 8. th. 11.* De carcere restat, ut non-
 nulla exponamus in hoc capite, imprimis, an hominî jus sit, obligan-
 di se ipsum ad carcerem; quod commodius fiet, si notaverimus aliqua
 cum de natura carceris, tum de modò se obligandi: Et jure quidem
 civili tantum custodia causa haberi carceres, uti certum est *ex l. 8. §. 9.*
ff. de pen. imprimis l. 6. C. eod. ita Canonico, & moribus contrarium re-
 ceptum *C. 3. de poen. 6.* Confer. Carpov. *Pr. Crim. qu. 130. numer. 8.*
8 9. Brunnemann. *ad L. 6. C. de pen.* Ex quò fluit, & pœnæ &
 custodia causa dari obligationem ad carcerem tum, ratione consen-
 sus taciti vel generalis cujusque civis in Rep. de quo non ambigitur,
 tum ratione expressæ conventionis privatorum inter se. Neutra ta-
 men obligatio pura, sed conditionata est; nempe si quid fiat, vel non
 fiat, quandoquidem Magistratui non competit potestas incarcerandi
 aliquem sine prævia causa, & sic extendendi carcerem ultra vel illius na-
 turam, vel legis intentionem, nisi fortè quis importunè flagitet vincula,
 coërcendus eo nomine, ut insulsæ voluntatis præmia ferat, & discat sa-
 pere inter catenas. Deinde & hæc conditio in conventionem tali sub-
 intelligitur, ut ex pactò nata incarceratio à Magistratu executioni
 manderetur, cum privatos habere carceres sit contra *Titulum C. de Pri-
 vat. Carcer.* Jam concludimus dari hominî tale jus in corpus, seu
 circa corpus, ut cuius possit obligare se ad carcerem. Ratio quia pati
 carcerem non est factum turpe, & contra bonos mores, sed incommo-
 duti saltem externum, quod subire cum postulat necessitas ita homi-
 num conditioni consentaneum est, sicuti tolerare adversa famem & g.
 tempestates. Et sane si esset malum intrinsecè, & Magistratum hic irrita
 iusta, & iniquus foret Gentium usus. Ergo & licet carceres habere in
 Rep. & se ad eosdem obligare, cum sic avertatur sæpe majus malum
 tam levi libertatis restrictione. Nam sic tolli propriè libertatem non
 dices, nisi fortè existimes; consistere illam in usura liberioris aere,
 velis-

velisque perpetuo morbo defixos, quibus non contingit semper videre orientem, & occidentem solem appellare servos. Et hinc infero validam esse renuntiationem factam super beneficio cessionis bonorum, argumento etiam à tacitò ad expressum *ex L. fin. C. qui bon. cedere possunt*, ubi tacitè cessionis bonorum renuntiat per impetrationem quinquennialium. V. Brunnemann. *ad illam L. numer. 4.* Infero & fidejussorem posse se obligare ad carcerem non obstante ulla naturali ratione. Neque enim hic juris ordo intervertitur, sed fit executio auctoritate Magistratus; neque fit quicquam omnino insolitum, aut legibus incognitum. Constat enim, quid licuerit olim in debitores: Et quid locorum plurium consuetudo hodie approbet, V. apud Mev. *ad Jus Lubecens. l. 1. tit. 3. artic. 1. numer. 28. & seqq.* Nolim tamen quæ de obligatione ad carcerem dicta sunt ad perpetuum extendere. Nam tale jus se obligandi durum esset & saperet aliquod dominium hominis in se ipsum; Et sicut temporalis custodia quando creditori ad jus suum consequendum necessaria est, non obest humanitati illius, ita maximè obesset perpetua. Servitus enim est & mortis equiparatur; dicitur pœna capitalis & ultimi supplicii Carpzov. *P. 4. Constit. 9. def. 6. numer. 7. 8. Conf. idem Pr. Crimin. qu. iii. numer. 56. & seqq.* Dissentiat Bachov. *ad Treutl. disp. 28. tb. 4. l. f. V. & disp. 24. tb. 4. L. c.* Zoel. *ad ff. tit. de Bon. Cess. n. 16.* Struv. *Exercit. 44. tb. 26.* Porro prolixè de eò disputari solent, an possit reus licitè fugere ex carcere, & vincula, carceremque infringere: Quod aliam involvit controversiam, quatenus scilicet hoc possit imperare Magistratus. Respondemus; injustè carceratum posse impune fugere, sive id sine sive cum effractione fiat. *Brunnemann. in quest. ad tit. ff. de Custod. & Exhib. Reor. Zoel. cod. num. 29.* Infringimus, ante vel post sententiam id fiat, custodie, an pœnz loco teneatur. Ratio quia Magistratus mandatum non obligat contra conscientiam, quæ cuiusque conservationem sui intimè commendat: Deinde non præcipit hic quicquam Magistratus absolute, maxime si incarcerationis ex actis & probatis immineat certa mors; imò si illum novisset infontem, nihil excepisset. Ergo dum ordinem juris sequitur, non vult jus interpretari. Neque resistitur hoc modo magistratui tum ob dictam rationem conditionatæ voluntatis, tum ex eò, quia injustam illam vim non imputarit Magistratui, sed aliorum injuriæ & improbè litigantium calumniis, quas dum catenas rumpit, propulsat innocens. Puto tamen

tamen dicta hactenus non esse intelligenda de casu, quò insons levio-
rem injuriam pateretur, partim ob publicum favorem judiciorum,
partim ob proprium ipsius commodum ne dum causam suam servare
cogitat, oneret indicis. De fonte tenendum simpliciter con-
trarium dissentientibus plurimis. V. B. Meisn. *Philos. sobr. p. 3. c. 6. qu.*
5. Lessius. de J. & J. l. 2. c. 31. & Zoel. ad ff. Tit. de cust. & exhib. Reor.
n. 21. 22. 23. Nam licet hic mortem suam etiam jussu judicis active pro-
curare non debeat, nequit tamen illæsa Justitia illam conservare, cum
ex justâ judicis sententia irrogatur supplicii pœna. Et confunditur in-
stinctus naturæ de conservatione sui ipsius & communis illa rerum omni-
um inclinatio cum recta ratione; De pœna autem effractorum quamvis
sensus *L. i. ff. de effract.* valde sit dubius & controversus inter Dd. secun-
dum ea, quæ habet Carpz. *Pr. Crim. qu. 111. num. 90.* Tenendum nihil-
ominus eam tantum arbitrariam esse, neque ad fontem pertinere. V.
Bachov. *ad Treutl. Volum. 2. Disp. 31. 1b. 4. L. D. Brunnemann. ad L. pen. n. 2.*
ff. de Custod. & exhib. Reor. An verò quis possit justè promittere re-
ditum in carcerem, illud distinctè ex jam dictis constare poterit.

CAPUT V.

De

Jure Hominis in famam.

S U M M A R I A.

DE fama in genere 1. An homini | tione fama & vitæ. 6. An obligare
competat dominium in suam fa- | qui suam famam possit commodum
mam. 2. Quod negatur. 3. An | proximi. 7. An absolutum Reip. vel
quis possit infamare se ipsum. 4. Utrum | principis. 8. An Christianus possit sal-
sibi quis possit falsum crimen imponere | vâ Conscientiâ agere in injuriarum 9. De
ad vitanda tormenta 5. De equipar- | Restitutione fama 10. Epilogus. 11.

GRavis est jactura famæ, sicut illius pulchra possessio, ad quam tamen
non unam viam, & cum aliorum sæpe injuria invenit ambitio. Sed
Vol. II. Disp. XV. K & ex-

& experientia proditum est, sæpe nocere famam. Quod ego verissimum puto, quando solâ vulgi opinione constat, nullò virtutis merito. Est autem fama seu existimatio secundum *l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.* dignitatis illæ status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro autoritate legum aut minuitur, aut consumitur. Sicut è contra infamatus læsæ existimationis vel ex jure vel factò *l. 20. ff. de his qui not. Inf. l. 3. 19. C. cod.*

- 2 An autem homini sit aliquod dominium in suam famam non est unanimi consensu definitum inter prudentes. Nonnullis hîc cum externis bonis simpliciter confusa comparatione progredientibus; Nam famam acquiri, augeri, remitti posse infamiam &c. eoqve subjacere liberæ dispositioni humanæ, sicut res cunctas fragiles externas.
- 3 Quò non obstante dicendum cum aliis, neminem esse famæ suæ dominum. Consequens enim virtutis fama est, & illius luminis radius illustris, si causam spectes, si famæ solam veramque originem respicias. Quid ergo in famam tuam statuere poteris, si nihil potes contra virtutem illæ sâ honestate. Si vero actum famæ formalem, uti loquuntur, intelligas, ipsam nimirum aliorum de tua virtute existimationem, quomodo erit in dominio tuo, actus in animò alterius. Deinde aut conformis existimatio est tuæ virtuti aut dissona. Hæc fama non est, sed error; Illa veram quidem obtinet famæ indolem, minui vero nequit, nisi vel boni definant recte judicare, vel ipse definas bene agere. Dissent. Lessius cum Soto Covar. &c. *L. 2. de J. & J. c. 4. dub. 11. num. 59.* Fagund. *in Decalog. l. 8. c. 8. num. 2.* Sed uti, quæ afferuntur in contrarium, solvi possunt facillimè, ita imprimis non obstat, quod remitti possit injuria, quatenus & summa potestas noluit omnes suorum temporum obtrectatores Pœnæ subjugari in aurea *L. un. C. si quis Imper. maledix.*

- 4 Ex dictis sequitur, non posse aliquem infamare se ipsum salva conscientia. Quod communiter conceditur, sed distinctio ne peccati mortalis & venialis, justitiæ & charitatis, non supposita semper, ejusdem commoda explicatione involvitur apud dictos Autores. Sequitur secundò etiam ob evitanda tormenta sive levia, sive gravia, non posse aliquem sibi imponere falsum crimen sive pœna, ob illud irro-

irroganda, levior illis tormentis sive gravior, & ultimi supplicii foret: Non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona, minus, ut eveniant mala. Et miror non advertere multos quod hic intercedat manifesto mendacium, vel simulatio præter injustam famæ læsionem, & quod, quando ob confessionem falsi criminis, necessaria mors imminet, non leve committatur delictum à confitente. Imo tenebitur confessus revocare falsiloquium sive statim post tormenta, sive in præsentis sententiæ executione, licet id sciat non profuturum ad excusationem, sed metuat nova tormenta. Ratio est, quia cum non sufficiat talis confessio, sed requiratur ejus post torturam facta ratificatio, de qua Vid. Dn. Carpzov. *Pr. Crimin. qv. 126. numer. 17. & seq.* quæ extortam confessionem postea spontaneam efficit, confessus cumlaret delicta, & posset videri immemor mori æternæ salutis, quia immemor veritatis.

Et hoc sensu qui famam vitæ æquipararunt, non aberrarunt à vero. Quæ autem communiter afferuntur de fama, quatenus solam hominum opinionem notat; ambulare illam cum vita pari passu, periculum ejus æquiparari periculo mortis, esse bonum maximum, ita saltem vera sunt, sicut alia non satis accuratè dicta. V. Barbof. *locupl. l. 6. cap. 8. axiom. 14.* Reparari enim fama potest legitimis remediis, non autem amissa semel vita si tolli potuit injuria privatorum, quod non concedit allata definitio existimationis *ex l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.* Vid. Carpzov. *P. 4. Constit. 10. def. 6.* Sed peperit putatitia vulgi existimatio melioris jacturam famæ, & seculo quidem accommodatas, sed non revocatas ad lancem veritatis etiam eruditorum has & similes opiniones, nempe posse jure occidi fugientem adversarium ad recuperandam famam, acceptâ alapa, imò hujus vitandæ causa licere idem: Non necessariam esse Viro Nobili fugam, licet commodè fugere, & abstinere possit à fundendo humano sanguine &c. V. Lesius *de J. & J. l. 2. c. 9. dub. 8. num. 44.* Laym. *Theol. Moral. l. 3. Tr. 3. p. 3. c. 3. num. 2.* Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 1. tb. 10.* Sed non servatur in talibus moderamen inculpatæ tutelæ, sicut de fugâ in specie id exponit Bachov. *ad Treutl. Volum. 1. disp. 18. tb. 7. l. f.* Conf. in genere de homicidio

cidio ob infamiam, seu contumeliam etiam Carpzov. d. P. 4. *Conff.* 10. def. 6. & 7. qui præjudiciis confirmat, non absolvendum esse ab ordinaria pœna, qui injuriis laceffitus injuriantem occidit, posse tamen id quandoque evenire ob magnam rationem circumstantiarum.

De famâ porrò & illud quæri solet; utrum eam obligare in commodum proximi liceat; ut si hic non præstet v. g. datam fidem, ipse velis malefidus reputari, aut obnoxius esse arbitrariæ illius contumeliæ, cui fidejussisti: Et nominatim, quid statuendum sit de obligatione bey Schelmen schelten. Resp. obligationem talem quæ ad productionem actionis alicujus ex illa adjectione esse invalidam & vi illius posse fidejussorem infamari ab illò, cui fides data, admittere non licere, nisi putes aliquo casu concessam esse in conscientia contumeliam, aut posse eam etiam citrà delictum irrogari autoritate privata; neque obligari famam potuisse cum hoc effectu; Res enim sui natura turpis nequit etiam in obligationem alternativam deduci, cum non purget vitium disjunctio, & vera sit, quæ alternat, obligatio. Ergo ob interpositam ejusmodi conventionem non denegabitur actio injuriato. In terminis similibus tractarunt hanc controversiam; Gilman. *decif. l. 1. decif. 9. n. 24. & multis seq.* Wehner. *Pr. observ. l. 8. p. 44.* ubi respondet ad argumenta contraria. De patria cogitabis conformiter, & consules Puffend. in *disp. de oblig. erg. patriam*, ubi de famâ. Cæterum an religioni consentaneum sit agere injuriarum, gravior est quæstio. Sane crudelis est, qui famam negligit secundum *c. 56. c. 11. qv. 3. c. 10. c. 12. qv. 1.* Et B. Brunnemann. *ad L. 25. ff. de procurat. n. 7.* alias concessa non sunt si existimationis nostræ interfit, licita esse asserit. Respondeo primò, non debere hic allegari retorsionem seu recriminationem, tanquam speciem defensionis, cum moribus tolerata, civili verò jure introducta non sit, non *obst. l. 14. § 8 ff. de bon. libert.* Sanctis etiam scripturis plane ignota; nec potest confirmationis loco adduci, quod percutientem repercutere liceat, cum id saltem limitate verum sit, nec ad arcendam injuriam facere possit retorsio injuriæ, sicut repercussio. Quæ autem verba non ingerunt convicium, sed pertinere possunt ad removendam injuriam

v. g. aliena esse à nobis quæ imputantur, conficta esse crimina &c. ita possunt licite regeri, sicut nullam injuriæ retorsionem continent. Dissentit Gail. *l. 2. observ. 1000. num. 3.* Non nihil Laym. *Theol. Moral. l. 3. Tr. 3. P. 2. c. 6. num. 2.* ubi in specie de verbo mentiris. Sed V. proluxius Bachov. *Volum. 2. disputat. 30. ibes. ult. l. e. f. g. in f.* Respondeo secundo: si crimen aliquid gravius impingat adversarius, ex quo inciperet vilescere autoritas necessaria vel ratione officii publici vel ratione posteritatis; maxime si inde vel infirmis scandalum, vel blasphemandi occasio infideli dari posset, aut quevis modo sædari Christi Religio, tenetur in conscientia injuriam passus, denunciare hoc judici. Sed in quibusvis etiam levioribus, illico proflire ad proluxa sæpe, & verba judiciorum tertamina vel in genere, cum ad æstimationem injuriæ devenitur unicum verbum tot mille taleris æstimare, idque juramento, hoc an Christiano conveniat, subdubito ex Dn. Præside *rr. de Jure Sens. disputat. 9. c. 4. numer. 33.* Videtur enim in talibus casibus convenientius esse agere ad palmiodiam, vel si potest aliquam pati debet, qui injuriam intulit, petere ut illa Pisco applicetur, quam ita contentiose & acerbe persequi, quod tamen re vera læsum vel ablatum non est *arg. L. un. C. de famoꝝ. lib.* Unde multo magis verum est, ab ægroto per ministrum Ecclesiæ publicè facta deprecatione remissam esse ipsam injuriam, non tantum rancorem; quam distinctionem tamen multi probant, sed ad Christianæ pietatis regulam censuramque solidè revocat Dn. Præside *d. l. à numer. 13. ad fin. quem V. potest addi Bachov. ad §. fin. Instit. de Injur.*

De restitutione famæ multa spinosè solent tractari, quid in superiore juris, ubi monet secundum Laym. *Theol. Moral. l. 3. Tr. 3. p. 2. c. 7. numer. 6.* Augustinus, frangi sæpe agendi autoritatem, dum nimia servatur humilitas; Pariter quoque, an quis cum periculo suæ famæ, alterius famam teneatur restituere? de quo Fagundez *ad Decalog. lib. 8. caput. 15.* Quomodo teneatur, qui injuriam tantum materiale intulit v. g. detulit a pud superiorem aliquem bona fide seu ignoranter de falso crimine; ubi Molin. *Tr. 4. disp. 40. num. 3.* statuit, obligari infamantem ad restitutionem per

per retractationem sine notabili suo incommodo ; Item quid juris sit si damnum bonorum per meam infamationem aliquis passus sit, quod volunt restitui : quid in occulta restitutione propter contumeliam per signa charitatis, benevolentiae &c. quam aliquando concedunt. Sed multa non concedunt nobis, ut in hunc locum juris prolixè excurramus. Profecti enim ultra virium nostrarum, & temporis angustias, portum desideramus, imo jam tenemus, non librata quidem ubique æqualiter industria, sed qui etiam bonorum vituperia libenter suscipimus & malevolorum iniquam censuram non formidamus. Nam uti his necesse non est ; ita illis non possumus, cum plurima desint, excusare omnia. Tibi verò Sancte, Salvator, qui lucem tenebris nostris affundere voluisti, Æterne DEUS, Fili Patris, pro concessa gratia grates agit nostra tenuitas, licet sentiendò, quam dicendò copiosius: TE exorat, ut quam hætenus indulxisti clementissime, non desinas largiri quotidie & veniam & gratiam donec erit in

TE

FINIS.

